
EX SCIENTIA SPES
JULIUS S. HELD

Digitized by the Internet Archive
in 2014

https://archive.org/details/operaomniaseptemlips


Lipsius

Antwerp - Plantin,
1613-14

(B1) $22,50

IVSTI LIPSI
V. C.
OPERA OMNIA,
SEPTEM TOMIS DISTINCTA,

Poſtremùm aucta & recognita.



MK.

ANTVERPIÆ,

EX OFFICINA PLANTINIANA,

Apud Viduam & Filios Ioannis Moreti.

CIↃ. IↃC. XIV.

Cum Priuilegiis Cæſareo & duorum Regum, & Principum Belgarum.

CANDIDO LECTORI

BALTHASAR MORETVS

S. P.

IVSTI LIPSI, Viri Sapientiâ & Litteris longè omnium clariſſimi, de arte Typographicâ vaticinium, Res litteraria veriſſimum hodierno æuo experitur : *Ty-* Præfat. ad Critica.
pographia, inquit, *bona ſanè ſtudiorum nutrix ; ſed audax ſæpè, lucri-cupida, & quæ non minùs verè corruptrix librorum audiet, quàm propagatrix.* Nutrit ſtudia (quis neget?) fecundiſſima librorum parens ; cuius perpetuo velut partu, tot felicium ingeniorum fetus, æternis aliàs tenebris damnandi, in nouam vitam ac lucem ſuſcitantur. At dum ab auidis ſubinde bibliopolis, qui Mercurio quàm Apollini operari gaudent, ea occupatur ; LIPSIO iterùm alibi teſtanti, Lector beneuole aſſentias : *Merca-* Cent. I. Miſcell.
tura & quidquid artium ad opes ducit, ducit ad vitia. Epiſt. IIX.
Ab his vt quàm maximè libri ſui immunes eſſent, viuus in primis cauit; Imperatoris, Regum, Princi-

pum inuocatâ auctoritate & ſubſidio, vt non cuivis paſſim typographo eos propagandi libertas foret: haud ignarus, vt à variâ olim exſcribentium manu, variæ Auctorum non dicam lectiones, ſed corruptelæ irrepſerunt; ita à pluribus modò typographis, plures libris maculas ſæpè aſpergi. Quod equidem non tantùm impunè, ſed magno peccantium fructu, hodie admittitur, cùm non de editionis præſtantiâ, ſed pretij vilitate, à pleriſque ementium inquiritur: tanti ſcilicet facientibus ignauiæ plumbum, quanti induſtriæ aurum; tanti inſcitiæ vitrum, quanti ſcientiæ margaritum. Quare Lugdunenſis mihi typographus ignoſcat (licet ad grauiores fortaſſis aliorum, in libris Plantinianis recudendis, errores ſileo) ſi defuncto Rei litterariæ Principi, cui non vno nomine debere me profiteor, hoc grati animi officium præſtem, vt diuina eius Opera fœdari aut truncari grauiùs feram. Exigua aut leuia non mihi hîc curæ, quæ nec inſpicere libuit: nam quod de hominibus veriſſimè Poëta, de libris ego hîc dixerim:

—— Vitiis nemo ſine naſcitur, optimus ille eſt
Qui minimis vrgetur.

At pręſtantiſſimos *Politicorum* Libros haud deprauari oportebat, Auctorum loca ſententiarum contextui immiſcendo; Notas rerum indices, & quæ Scholiorum vicem ſupplent, non æquis ſemper interuallis diſtinguendo. Hęc tamen vt ſedulò ſeruarentur, LIPSIVS, Operis ſui initio, palàm admonet,

atque

atque obteſtatur: *Typographe, quiſquis es, rogamus, Ne abſque noſtro arbitrio aut iuſſu hæc recudas. Minuta quædam hîc ſeruauimus, in Punctis, Interuallis, Verborũ diſcriminibus, haud facilè per te ſeruanda: ſed quæ negligi tamen aut inuerti ſine noxâ Operis non poſſunt.* Quod Auctoris præſcriptum, Lugdunenſis ſatis cautè, ne ſe argueret, at parùm ex fide, à ſuâ editione abeſſe voluit. in *Poliorceticis* autem, imprudenter (neque enim malignitatem ſubeſſe ſuſpicor, quæ Illmo Principi, Litterarum & Litteratorum Mæcenati, gloriam inuideret) IOANNIS FERDINANDI VELASQVII Comitis-ſtabuli elogium & beneficium prætermiſit. Plura addere, Modeſtia mihi diſſuadet; quam præ omni Doctrinâ æſtimare, à Doctorum modeſtiſſimo didici. imò libens Cardonium excuſo, quem ſcio bibliopolam propriè agere, non typographum; & facilè decipi poſſe, dum alienis typis, alienæ operæ & induſtriæ nimiùm fidit. Quàm vanè igitur *accuratæ inſpectionis* titulo Lugdunenſis editio glorietur, haud vltrà diſputo. Plantinianam tantummodò, bonorum atq; adeò ipſius Cardonij veniâ, defendo; quæ velut per partes ſparſa traducitur. Quid? fruſtrà ergo, ſub finem *Famæ Poſtumæ*, in ſeptem Tomos ex formulâ ipſius Auctoris diſtinxi? fruſtrà cauſſam addidi, cur in paullò minori, & non in folij formâ Opera excuſa ſint? vt nimirum & ſinguli legi & circumferri Libri poſſint, & ſimul in Bibliothecis reponi vniuerſi. idque an non ma-

iori tuo, Lector, commodo, teipſum iudicem appello. Nam ſi vel ſplendorem editionis æſtimes; an non auguſtiores, etſi in minori hac formâ, Plantiniani typi? an non ænearum vbique imaginũ fulgor, quibus ligneas Lugdunenſis alibi ſubſtituit? Quamquam, nequid diſſimulem, de maiori Operum formâ, vt omnium ſatisfieret votis, Officina Plantiniana cogitabat, ſi maior melioris litteraturæ amor iuuentuti ſupereſſet: quem cum noſtro Sapientiæ & Litterarum Antiſtite abiiſſe, reipsâ ſentimus, atque indolemus. At longiùs ipſe abiero, ſi querimoniæ hanc telam texere incepero. quam libentiùs proinde abrumpo; & Indicem Operum LIPSIANORVM tantùm ſubiungo, vt Plantinianam editionem, non temerè in partes ſparſam, ſed ipſius Auctoris iudicio in Tomos diſtinctam, denuò probem. Sed breuiorem hîc eum quàm alibi concinno, in vſum magis bibliopegi: & nequid iſte ambigat, ordinem Tomorum leuiter immuto; vt quæ in folio excuſa ſunt, in *Senecam* & *Tacitum* Commentaria, poſtremo loco coniungantur. Porrò *Fama Poſtuma*, quæ LIPSIVM aduerſus maleuolorum iniurias validè tuetur, & ex vero laudatum ad poſteros trãſmittit, Prolegomenωn loco ſubſeruiat: cui ego & nouum iſtum Operum Indicem, & hanc de Plantinianâ eorumdem editione epiſtolam apologeticam præfigo. Vale & fruere Lector, ac Plantiniano LABORI & CONSTANTIAE, tuo ipſius bono, fauere perge.

IN-

INDEX OPERVM IVSTI LIPSI.

PRIMO TOMO *continentur:*

Opera omnia quæ ad Criticam propriè ſpectant.
quorum hic ordo eſt:

Variarum Lectionum Libri tres.
Antiquarum Lectionum Libri quinque.
Epiſtolicarum Quæſtionum Libri quinque.
Electorum Libri duo: in quibus, præter Cenſuras, varij priſci Ritus.
Ad Valerium Maximum Breues Notæ.
Animaduerſiones in Tragœdias quæ L. Annæo Senecæ tribuuntur.
Iudicium de Conſolatione Ciceronis.
Satyra Menippæa. Somnium. Luſus in noſtri æui Criticos.
De rectâ pronuntiatione Latinæ linguæ Dialogus.

SECVNDI TOMI *priori parte:*

Epiſtolarum Centuriæ quinque Miſcellaneæ.

Eiuſdem TOMI *parte alterâ:*

Epiſtolarum Centuria ſingularis ad Italos & Hiſpanos.
Epiſtolarum Centuria ſingularis ad Germanos & Gallos.
Epiſtolarum Centuriæ tres ad Belgas.
Epiſtolica Inſtitutio, excepta è dictantis ore.

TERTII TOMI *parte primâ:*

De Militiâ Romanâ Libri quinque: Commentarius ad Polybium.
Poliorceticωn, ſiue De Machinis, Tormentis, Telis, Libri quinque.

Eiuſdem TOMI *parte ſecundâ:*

Admiranda, ſiue De Magnitudine Romanâ, Libri quattuor.
Saturnalium Sermonum Libri duo, qui de Gladiatoribus.
De Amphitheatro Liber: in quo forma ipſa Loci expreſſa, & ratio ſpectandi.

De

De Amphitheatris quæ extra Romam Libellus.
De Veſtâ & Veſtalibus Syntagma.
De Bibliothecis Syntagma.

Eiuſdem TOMI *parte tertiâ:*

De Cruce Libri tres, ad ſacram profanamque hiſtoriam vtiles.
Diua Virgo Hallenſis. Beneficia eius & Miracula fide atque ordine deſcripta.
Diua Sichemienſis, ſiue Aſpricollis. Noua eius Beneficia & Admiranda.
Reiectiuncula Sannionis cuiuſdam Bataui.
Louanium, ſiue opidi & Academiæ eius Deſcriptio.

QVARTO TOMO:

Politicorum ſiue Ciuilis Doctrinæ Libri ſex, qui ad Principatum maximè ſpectant.
De vnâ Religione aduerſus Dialogiſtam Liber.
Monita & exempla Politica: Libri duo, qui Virtutes & Vitia Principum ſpectant.
Leges Regiæ & Leges Decemuirales.
Diſſertatiuncula apud Sereniſſimos Belgarum Principes.
Commentarius in C. PliniI Secundi Panegyricum Traiano dictum.

QVINTO TOMO:

De Conſtantiâ Libri duo, qui alloquium præcipuè continent in publicis malis.
Manuductionis ad Stoicam Philoſophiam Libri tres, *&*
Phyſiologiæ Stoicorum Libri tres, L. Annæo Senecæ, aliiſque Scriptoribus illuſtrandis.

SEXTO TOMO:


C. Cornelij Taciti opera quæ exſtant, emendata & Commentariis illuſtrata.
Diſpunctio Notarum Mirandulani Codicis ad Corn. Tacitum.
C. Velleius Paterculus cum Animaduerſionibus.

SEPTIMO TOMO:

L. Annæi Senecæ opera quæ exſtant, emendata & Scholiis illuſtrata.

IVSTI LIPSI
SAPIENTIÆ
ET
LITTERARVM
ANTISTITIS
Fama poſtuma.

Editio ſecunda, variè aucta & correcta.



ANTVERPIAE,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Viduam & Filios Ioannis Moreti.
M. DC. XIII.

REV^{DO} ET CLAR^{MO} VIRO

D. DIONYSIO VILLERIO

CANONICO ET CANCELLARIO TORNACENSI

BALTHASAR MORETVS

S. P.

FAMAM POSTVMAM, in quâ colligendâ & recenſendâ aliquantus meus labor; quam antehac, breui Inſcriptione, æternæ IVSTI LIPSI memoriæ conſecrabam; tuo nunc etiam Nomini, Vir Cl^{me}, libens meritò inſcribo. Libens, dum inſignem affectum tuum cogito, quem debito erga te obſequio & amori meo reponis. Meritò, dum te & LIPSIVM ſpecto; quos ſanctioris amicitiæ fœdus, in ipſis ætatis ſtudiorumque rudimentis conce-

ptum, annis deinde iudicioque firmatum, Candore & MODESTIA quàm ſimillimos, coniunxit. Atque alterius huius LIPSIO ingenitæ, non adſumptæ Virtutis, te præ aliis non iam teſtem ſed vindicem appello, aduerſus nouum ab Italiâ ſcriptorem; qui eam τῷ μακαρίτῃ noſtro, quà potuit, detrahere eſt auſus. Neque enim aliter liberius quoddam de BEMBI ſtilo iudicium interpretatur, quàm ſi Modeſtiæ ſuæ omnis oblitus LIPSIVS, ſummâ Italiæ totius gentem, & præcipuè BEMBVM, iniuriâ affeciſſet. At vel paucas LIPSI epiſtolas quiſquis legerit, eximium Italiæ cultorem vltrò ac ſtatim agnoſcet. nam ſe hanc ipſam *amare* teſtatur *ſupra omnes terras:* & honeſtiſſimo elogio, *felicem artium virtutumque parentem* haud ſemel appellat: in quâ viros illos memorat, *quos meritò admiremur, quos ad imitandum proponamus, generoſi & honeſti omnis exemplar*. Et vt propiùs dictioni eius inhæream, atque ipſum LIPSIVM optimum cauſſæ ſuæ patronum ſiſtam: *Italiam*, inquit, *amo & veneror, tacitâ quadam inclinatione naturæ, tum etiam ob illa ipſa ſtudia quæ colimus,*

Cent. ad Ital. epiſt. I.

Epiſt. XXI. & alibi.

Epiſt. XX.

limus, quibus fons illic & ſedes. Quòd ſi voto meo dirigenda vita mea ſit (ſed Deus, & id quod Fatum vocamus, ſuperant) Italia me videat, teneat, cineres etiam meos condat. Quis de patriâ ſuâ Italus benigniùs, quis honeſtiùs?

At BEMBVM læſit. imò verò minimè eum depreſſum iuit; tantùm iuuentutem retractam voluit ab imitatiunculis quibuſdam ineptis. Sciuit in verſâ & proſâ oratione virum illum valuiſſe: ſed in vtrâque extra omnem iudiciorum aleam poſitum eſſe, non conſenſit. atqui cum modo & modeſtiâ illa ipſa dixit; à quibus ſi abiiſſe videretur, nihil recuſabat liberâ admonitiunculâ intra limites compelli. Hæc palàm Alfonſo Ciaconi Theologo teſtatus eſt, eiuſque iudicio ſubmiſit, ſiue mitiùs illa in BEMBVM dici ſiue non dici vellet: præclarâ adhæc ſimilitudine vſus, quâ liberior de re litterariâ iudicatio admitti atque excuſari queat. *Ego hactenus,* ait, *ita cenſui. vt in muſicâ concentus quidam diſcors probatur; ſic in ſtudiis eſſe, nec liberum aliquem diſſenſum improbari, ſi citra conuitium aut litem.* Poterat ſpongia iſta ſufficere ma- Epiſt VI.

culæ

culæ ſiqua eſſet eluendæ: at Lucius nouam veteris offenſæ pœnitentiam exegit. cui ille, vt Modeſtiæ ſuæ vndiquaque ſatisfaceret, iterùm obtulit

** Spongiam aberrantis quæ medicina ſtili eſt.*

* Σπόγγον, ἀκεσορίην πλαζομένης γραφίδος.

etſi hîc paullo acriùs aduerſus malignitatem ſe tutatus ſit, atque adeò exclamarit:

Diſpunct. Cod. Mirand.

Meam ſortem! vnumquodque verbulum noſtrum ſic acriter examinari, momentis omnibus penſitari? Non eſt veteribus aut nouis, vtpote in iſto epiſtolari genere, factum. Sed fiat, fiat; & cautior per hanc malignitatem, ſi non melior reddar. Et tamen quid inclamant? quid dixi aut ſcripſi? nihil, niſi affectatiunculam ſtili, idq; in ſeriâ hiſtoriâ, damnaui: cetera æſtimo BEMBVM, *& colo. An non liceat?*

** Omnino culpæ nemo liber aut notæ.*

* Πάμπαν δ᾽ ἄμωμος οὔτις, οὐδ᾽ ἀκήριος.

At enim familia Ill^{mæ} fuit, tot heroum parentis, Cardinalis, & tuâ deſtinatione (Lucium alloquitur) *Pontifex Maximus, ſi vixiſſet. Credo, & faueo his elogiis. quid autem? ergo in tali, nos qui litteras colimus, nihil iudicemus de litteris? Citharœdus olim quiſpiam, neſcio cui Regi carpenti aut admonenti:* O REX, *inquit*, NON IDEM EST PLECTRVM ET SCEPTRVM. *Bellè. & tu*

vis

vis vt purpuræ iudicia omnia cedant, & faſces ſubmittant? Non impetrabis, Luci. qui in comitia publica hæc deſcendit, puncta famæ ſuæ feret, non feret, vt liber ille Populus Romanus Quiritium volet. Conuitia tantùm amoueamus: quæ tu dolosè mihi adfingis, & ſponſione prouoco, niſi ipſa Epiſtola refellit. Deus bone! an potuit ęquiùs, an modeſtiùs ſe tueri, ne denuò eamdem ob cauſſam alius inſultaret? At ſpero & iſte iamnunc deſinet, atque æquiſſimam LIPSI defenſionem, quam minùs antehac fortè attenderit, ipſius denuò non meis conceptam verbis, ſponte admittet. Sed & te ſuſpiciet, R[de] & Cl[me] VILLERI, veterem & fidum MODESTIÆ LIPSIANÆ teſtem. qui ipſius exemplo, tibi & Muſis viuere, quàm ad altiores euehi dignitates, elegiſti: & vt iucundiùs poſſes, innumera elegantiſſimæ Bibliothecæ præſidia, non ad vanitatem aut pompam, ſed optimorum ſtudiorum vſum, comparaſti; Modeſtiæ tamen libentiùs quàm Doctrinæ gloriam perſecutus. Et verò illam nemo non præferat, quem meliores τοῦ μακαρίτου noſtri voces animauerint: *O miſeri, quid nos, doctrina, fama ſumus?*

In Allocutione ad Lect. de Cruce.

**

mus? Ipſi puluis, illa opinio, iſta ventus. vel qui extremum de morte cogitantis elogium perpenderit:

Humana cuncta fumus, vmbra, vanitas,
Et ſcænæ imago, &, verbo vt abſoluam, nihil.

Deſino in hoc ſapientiſſimæ mentis oraculo. nam reliquum libellum, quo LIPSI Doctrinam imminuere laborat, vel leuiter attingere nec vacat nec lubet. de illâ vnum modò affirmauero, quod omnis mecum Poſteritas aliquando fateatur:

Reprendet aliquis citiùs atq. imitabitur.

* Μωμήσεταί τις θᾶττον, ἢ μιμήσεται.

Epiſt. quæ Diſpunctioni ſubiungitur.

At Modeſtiam illius oppugnari minimè paſſus ſum: de quâ olim publicè mihi aſſeruit: *Omnia mihi detrahi patiar quàm hanc virtutem.* Vale R^de^ & Cl^me^ VILLERI, & me tui amantiſſimum amare perge. Antuerpiæ, in officinâ Plantinianâ, XVII. Kalend. Aprilis, M. DC. XIII.

ÆTER-

ÆTERNÆ MEMORIÆ

IVSTI LIPSI,

QVEM

VIRTVS NASCENTEM EXCEPIT,

DOCTRINA NATVM EXCOLVIT,

MODESTIA SVPRA AEQVALES EXTVLIT;

IN CVIVS AMORE

OMNES BONI CONSPIRARVNT,

INVIDIA FRVSTRA INVIDENTE;

FAMA HÆC POSTVMA,

COMMVNIS AMICORVM AFFECTVS

PERPETVA TESTIS,

L. M. SE DEDICAT CONSECRATQ.

IVSTI LIPSI
DE EPITAPHIO
Quod ſibi ſcripſit & poni mandauit .

EPISTOLA.

I. LIPSIVS IOANNI WOVERIO *ſemper ſuo* S. D.

NON equidem æger animi aut corporis ſum, ne te percutiam: tamen neſcio quis impetus noctu incidit Epitaphium mihi carmen ſcribere. quod feci, & hîc habes. ſed tibi adhuc vni. Legem dico, vt ſiquid mihi ſubitum eueniat (Deum ne fiat deprecor) in monumento noſtro inſculpatur. Quid ad me? inquies. Vita mea ad te iuit, eant quæ ad mortem. Nam ita viuo, mi Woueri, vt nihil vltrà moliar, & cogitem extrema, & non timidus exſpectem. Iamdiu ſcis me imbecillis & exhauſti corporis fuiſſe: quod, vt caducum ædificium, ſuſtinui, fulciui, & velut concinnaui. Sed cùm vniuerſa ruina impendet, cedendum eſt; & non quà reſiſtas, ſed euadas, cogitandum. Hoc ego nũc facio, paro me ad vltimum & magnum diem, & non inuitus relinquo hæc turbida omnium iudicio, meo etiam minuta. Sanè viribus deficio, animo conſto: qui verè mihi dicit, carcere aut cuſto-

diâ

diâ ſe teneri, & adſpirare ad cæleſtem patriam & originem ſui. ô iucundam cogitationem & ſenſum! illum ſapere, & capere experimentum quis futurus ſit ſine vinculo quod coërcet. Adeſſes, plura dicerem. Amaui enim te, amo; idq́ue in vitâ oſtendam & poſt eam, quàm carus, quàm altè inſitus huic adfectui ſis. Imò ſi gratia mihi & vita apud poſteros ſit (nec planè diffido;) & tuum nomen, atque amor in me, iure viuent, ſicut Pomponij illius cum Tullio, Lucilij cum Senecâ, ſi magnis exemplis concedis vti. Vtinam vt in pecuniæ, ſic adoptare in famæ partem liceret! ſed tu à te nitere, & potes arbor eſſe quandoque

—ſeris factura nepotibus vmbram.

Vale mi optime, & ſemper meus, quia non deſinam eſſe tuus, nec cùm deſinam. Louanij, M. DC. IV. III. Id. Febr.

IVSTI LIPSI EPITAPHIVM;

Quod Louanij viſitur in æde D. Franciſci.

QVIS HIC SEPVLTVS, QVÆRIS? IPSE EDISSERAM.
NVPER LOCVTVS ET STILO ET LINGVA FVI;
NVNC ALTERO LICEBIT. EGO SVM LIPSIVS:
CVI LITTERÆ DANT NOMEN, ET TVVS FAVOR.
SED NOMEN. IPSE ABIVI. ABIBIT HOC QVOQVE:
ET NIHIL HIC ORBIS, QVOD PERENNET, POSSIDET.
VIS ALTIORE VOCE ME TECVM LOQVI?
HVMANA CVNCTA FVMVS, VMBRA, VANITAS,
ET SCÆNÆ IMAGO, ET VERBO VT ABSOLVAM, NIHIL.

EXTREMVM HOC TE ALLOQVOR:
ÆTERNVM VT GAVDEAM, TV APPRECARE.

IVSTVS LIPSIVS VIXIT ANNOS LVIII. MENSES V.
OBIIT ANNO CHRISTIANO CIↃ. IↃCVI. X. KAL. APRIL.

Lapidis ſepulcralis Inſcriptio,
in dictâ Vrbe & Æde.

IVSTI LIPSI
QVOD CLAVDI POTVIT,
HIC IACET.

S. P. Q. ANTVERP.
INCLYTI VIRI
FAMAE, ORBI NOTAE;
VIRTVTI, CAELO RECEPTAE,
H. M. P.

D. O. M.

V.C. IVSTO LIPSIO: TANTO ERVDIENDÆ PVBIS ARTIFICI, VT SOLVS DIGNVS VISVS SIT, QVI SCHOLAM INTROIRET: RERVM AVTEM CIVILIVM, MILITARIVM, ALIARVMQVE SCIENTIARVM ADEO PERITO, VT SOLVS DIGNVS VISVS SIT, QVI EO NON ACCEDERET: QVI ID APVD POSTEROS OBTINVIT, VT NON HOMO, SED DOCTRINÆ ET ELOQVENTIÆ NOMEN HABEATVR: CVIVS ANTIQVIOR STILVS TANTAM SPECIEM HABET, QVANTAM RELIGIONEM: RECENTIOR COMPOSITIONEM ADEO DILIGENTEM, VT NEC CVRA REPREHENDI QVEAT: IMO QVEM SEMPER SVO INGENIO, NVMQVAM ALIENO IVDICIO SCRIPSISSE QVIS VELIT: ET CVIVS SALSAM IVCVNDITATEM, NVLLIVS ADFECTATIO, LICET AB ARGVTVLIS SCIOLIS INCASSVM TENTATA, CONSEQVI POTVERIT: VIRO DENIQVE DIGNISSIMO, VT QVEMADMODVM SVMMA IN DEVM RELIGIONE, IN PATRIAM PIETATE, MORVM INTEGRITATE, ET IN OMNES HVMANITATE SVMMA, CÆTERIS ÆVI SVI DOCTORIBVS PRÆCELLVIT, ITA EI FIRMIOR VALETVDO, AC VITA LONGIOR CONTIGISSET.

SEB. ROLLIARDVS
AMICITIÆ EPISTOLIS CONTRACTÆ
MNEMOSYNON MOER. POSVIT.

IN OBITVM
MAGNI LIPSI
REIP. LITTERARIÆ
PRINCIPIS

Mimeſis Ouid. Eleg. VI. Amor. II.

Ad Rdum & Clmum DIONYSIVM VILLERIVM
Cancellarium & Canonicum Tornacenſem.

LIPSIVS *Aonidum ſummus Sophiæq; ſacerdos*
Occidit, exſequias Palladij ite chori.
Ite pij iuuenes, & tundite pectora palmis,
Et calido teneras imbre rigate genas.
Squallida pro nitido ſumatur veſtis amictu,
Nænia pro læto carmine mœſta ſonet.
Quid iuuat Autolycis querulos impendere verſus?
Indigna eſt numeris decolor vmbra ſacris.
Triſte viri clari triſtes deducite funus,
Non eſt in toto dignior Orbe cani.
Omnes qui Sophiâ colitis duce & auſpice Muſas,
Tu tamen ante alios VILLERI *amate dole.*
Magna fuit Magni tecum coniunctio LIPSI,
Et ſtetit in nullâ ſaucia parte fides.
Inter ſe quales Damon cum Pythiâ amici,
Mutuo in affectu talis vterque fuit.
Quid tamen iſta fides? calami quid gratia docti?
Quid mens omnigenis nobilitata bonis?
Quid vixiſſe iuuat non vllâ labe notatum?
Inclyta Belgarum gloria nempe iaces!

MORIBVS ANTIQVIS *poteras ſuperare Catones,*
Tincta ferens docto plurima ſcripta ſale.
Non fuit hoc æuo, nec erit præſtantior alter,
Sæcula priſca etiam non habuêre parem.
Raptus es inuidiâ; neque enim tu bella mouebas,
Integer, & niueæ non niſi pacis amans.
Atqui ſæua inter viuunt Leſtrygones arma,
Et durant multi per fera bella ſenes.
Magnus eras; magnum neque te tamen ipſe ferebas,
Grata fuit ſemper vita modeſta tibi.
Paſcebas diam ſincero dogmate mentem,
Curáque erat puro fonte leuare ſitim.
Viuit hebes Bauius, turbatque ſacraria Phœbi
Mæuius, & Clariæ Zoïlus oſor aquæ:
Viuit & aſtrifero Timon inuiſus Olympo,
Et rabido doctos ſanctáque dente petit.
Occidit ille ſui decus indubitabile ſæcli
LIPSIVS, *ætheriâ munus ab arce datum.*
Optima quæque rapit prima, inclementia fati,
Extendunt curſum deteriora ſuum.
Vidit iners Drances animoſi funera Turni,
Occubuit mœchum Troïlus ante Parin.
Quid porrò referam pro te pia vota bonorum?
Vota ſuos, eheu, non habitura Deos!
Vltima nox aderat, noctis caritura ſequelâ,
Deplerátque tuam Parca maligna colum:
Nec tamen extremæ titubas in puluere Luctæ
CHRISTE PIA, *dixſti,* CVM GENITRICE FAVE.
Sublimi in cælo locus eſt, doctorum vbi Manes,
Aſſiduè gaudent concinuiſſe DEVM:
Triſtia perturbant animas vbi nulla beatas,
Sontibus acceſſus quò via nulla patet.

LANGIVS

LANGIVS *eſt illic, eſt culti* BENCIVS *oris,*
VICTOR *ibi bellè ſe* GISELINVS *habet:*
Spectat & vſque ſacros Virtus BVSBEQVIA *iuſſus,*
DEINIVS *ac de ſe Lemmata amica legit.*
LIPSIVS *hos inter geniali ſede receptus,*
In ſua conuertit Cælituum ora choros.
Oſſa ſacrata tegit tumulus, pro nomine, paruus,
Hoc ceſtro inſcriptum qui breue carmen habet.
Colligor è lacrymis cœtû placuiſſe proborum:
Æqua fuit ſemper mens mihi, dante Deo.

Ad eumdem R^dum & Cl^mum VILLERIVM.

VILLERI ab Illuſtris calamo mihi cognite LIPSI,
Mentis ab aſpectu note deinde magis:
Quando vel abſentes ſeſe agnoſcuntque videntque
Puri animi, Philio ritè litantque Ioui:
Accipe communi celebratum funus amico,
Noſſe tuum OVDARTVM, fors, quoque vt inde queas.

2. 5. 4. 3. 1.
IVs LAude COroNat.
2.3.5. 6.1. 4.7.

IIRMEIÆ PIERSSENÆI I. C.
IN OBITVM
AMPLISSIMI CLARISSIMIQVE V.
IVSTI LIPSI
AD V.V.V. C.C.C.
PETRVM PANTINVM
NICOLAVM OVDARTVM &
IANVM LERNVTIVM

Elegeia funebris.

QVAM *res parua voluptatum eſt ætate in agundâ,*
Præ quàm quod miſero vita moleſta homini eſt!
Verùm ita DIs placitum, vt ſedeant poſt gaudia curæ,
Vtque voluptati ſit comes anxietas:

Quin etiam extemplò adueniat plus ſæpè malorum,
Hilum ſi cuiquam fortè boni obtigerit.
Hoc de me experior, toties edoctus amaris
FVNERA *Amicorum fletibus abluere.*
Quod VOBIS, *noſtri tria maxima* LVMINA BELGI,
Phœbi & Muſarum gloria Pieridum,
VOBIS, *formoſos reſoluta* ELEGEIA *capillos,*
Flebilis indigno conqueritur gemitu.
VOBIS, *quorum eadem rerum variantia mentes*
Adfligit, caſu nobilitata nouo:
Quo noſtro nullus funeſtior accidit orbi,
Nec puto genti hominum triſtior eueniet.
En poſt IPRENSIS MYSTAE *defleta* SIMONI
FVNERA, *cuius adhuc noſtra dolore dolet*
Mens, tacito æternum ſeruans ſub pectore vulnus;
Quod curare herbæ, ſæcla nec vlla queant:
Triſtior ad noſtram defertur nuntius aurem,
Hei mihi quam ſurdâ tum aure fuiſſe velim!
Eximium LIPSI *morbo langueſcere* FLOREM,
Quin etiam ſummum tandem obiiſſe diem:
Iuiſſe ad plures, ſolus qui Neſtoris annos,
Atque adeò æternùm heic viuere dignus erat.
Quo conſternatus rumore, ita inhorrui, vt ægro
Protinus exſtinctus ſit mihi corde vigor:
Mensque oblita ſui, curisque ingentibus impar,
Ceſſerit; vt ſæuo ſorpta repentè mari.
Quâ reduce, & factâ ad lugubria murmura voce;
Conſcius acceptæ cladis, ob interitum
Illius, & nimio pandens mea corda dolori,
Dicebam hæc triſtes Carmina ad inferias:
LIPSI, *delicium Phœbi, Sapientiæ ocelle;*
Flos vatum, Rudij mellinia eloquij:

Romani interpres ô conſultiſſime Iuris,
LIPSI, diuinæ Myſta ſacer Themidos:
Priſci Moris honos, priſci Fax aurea ſæcli,
Æternum Antiquæ præſidium HISTORIAE:
Immortale decus patriæ, SOL VNICE BELGI;
Diæ Virtutis perpetuum columen:
LIPSI, *ſola trium Charitum mellita voluptas,*
Cunctarum Venerum feruida cura & amor.
Et tu heic, IVSTE, *iaces, hominum clariſſime? vitam, heu!*
Fatalíſne etiam pauſa ſecuta tuam eſt?
Tun', LIPSI, *cuius certatim Numina mentem*
Ditarant donis omnia cælitibus?
Vbertim & dederant genera omnia doctrinarum,
Diuinâ memoris mente tenenda animi?
Ad quam, diſcendi cauſsâ, confluxe frequentes
Vidi alios inter, duplicis Heſperiæ,
Græciæ item populos; & quos largo æquore Rhenus
Adluit, & Ligerim quique bibunt Thameſin;
Atque alios: tamquam ſcitatum oracula Phœbi,
Alterius Diui aut Numina fatidica.
Téne igitur, MIRACLVM HOMINIS!

Et tua diuinæ violans ſacraria mentis,
Momine ſolo Orbi tollere tanta bona?
Ten' vicit, qui omnes acie ingenij ſuperaſti,
Ingenuâ & cordati integritate animi;
Præſtringit ſtellarum uti fulgida lumina Solis
Claror, vbi Eoi naſcitur amne maris?
IVSTE, *iaces certè, &* BELGI SOL *occubuiſti,*
Non vllâ nobis exoriture die.
Lugete Aonides & tundite pectora Muſæ,
Cunctaque vos GRVDII *Numina Gymnaſij:*

 Nam-

Namque vnà interijt veſtri laus nominis, vnà &
Præſidium veſtri concidit Imperij.
Ecquis iam vobis, palantia Numina, amœnum
Præbebit ſancti pectoris hoſpitium?
At tu gaude hominum fortunatiſſime, LIPSI,
Quot ſunt, quotquot erunt, quotque fuère aliàs.
Maiori nec enim quiſquam cum laude ſuperſtes
Vixit: nec quiſquam, lumine adempto, animam
Maiori cum laude piè magis exſpirauit;
Nec toti humano flebilior generi.
ALBERTVS, BELGI PRINCEPS, *te* AMPLISSIMI HONORE
ORDINIS *adfecit; te ſibi ab* HISTORIIS
Inluſtri adſumpſit titulo REX *ille* PHILIPPVS,
Cui terra Heſperia atque India toſta ſubeſt;
Addentes decori regalia munera, tantæ
Debita virtuti præmia & ingenio.
Et nunc ſis de gente ſitâ licet, haud tamen omnis
Mortuus. at FAMA, PARS MELIORQVE TVI,
Letifera indomitæ ciſpellens ſpicula Mortis,
Euaſit Lethes flumina Tartarea.
HÆC, *veteris Patriæ meminens & originis altæ,*
Æterni adſcendit cælica regna DEI.
Libera vbi humanæ vitæ anxietate, malisque,
Et peccatorum libera ſeruitio,
Sanctorum fruitur clementi Numine Diuûm,
Semper nectareis ebria delicijs.
ILLA, *memor præclari animi, tantumque laborum,*
Vberis atque OPERVM *nobilium Ingenij:*
Quæ non vlla dies, veniens neque temporis ætas
Perdet, Virtuti nec comes Inuidia
Tabifico audebit dentis corrodere morſu,
Demeritum poterit nec decus eripere:

MNEMO-

MNEMOSYNÆ *nec enim quidquam diuinius illis*
Conſecrare queat, ANNA PERENNA, *Deæ:*
ILLA, *inquam, pennis vecta altiuolantibus ales,*
Ætheris & liquidi vaſta ſecans ſpatia,
Magna, triumphali, reſonat tua Nomina, cantu;
Et Maieſtatem tam eximij DECORIS
Concelebrans, æterna tibi ſtatuit Monumenta,
LIPSI: *nam ſolo viuitur Ingenio:*
Nullus vt in toto iaceat terræ angulus Orbe,
Qui te non laudet, Fataque nec doleat.
Verùm vbi ſic placitum Diuis; neque fletibus vllis,
Non vllis votis, non prece, non opibus
Poſſe, ſciam, ad ſuperas quemquam reuocarier auras;
Vt mutas redeat ſpiritus in cineres:
Hoc cape, FORMATOR, *noſtræ, doctiſſime, mentis,*
Atque rudis ſenſus lima polita mei,
Noſtri MNEMOSYNON LVCTVS, *pia munera* AMORIS;
Quæ ingratis grato hoc ſoluo tibi officio.
Perpetui intereà LAVRVS *Phœbea viroris,*
Florida victricis atque HEDERÆ *folia,*
Omni cum FLORVM *ſæclo hæc* MONVMENTA *coronent:*
Sitque æterna tuæ PAX & HONOR CINERI.

FAMÆ
DE V. C. IVSTO LIPSIO
PRÆCONIVM.

QVÆ *loquor, aſtriferi domus audiat omnis Olympi,*
Et fecunda Ceres multicolore ſinu:
Ac per inane Poli ſpatium diffuſilis aër,
Quæque fluit vitreo purior vnda mari.

Jam placidos ſpirent Aquilonia flabra ſuſurros;
Aut ſpecus Æolij carceris illa premat:
Neu piceam retegens nimboſus Aquarius vrnam,
Solis anhelantes imbre moretur equos.
Clarior at radijs, cæli conuexa repurget
Phoſphorus; & nitido proferat axe iubar.
Nec minùs auritas gentes, ipſius ab ortu
Limen ad Heſperium, conciliare velit:
Seu quà marmoream, ſub caudâ Erymanthidos vrſæ,
Tranſuolat ærigero Sarmata calce niuem:
Aut vbi per tepidæ ſaltus ſyluaſque Sabææ,
Auſter olet proprijs fumida thura focis:
Denique ſphæritenens quacumque ſubingemit Atlas,
Quadrifidiſque rotat ſidera cardinibus:
Omnia iam requieta vacent; pulſoque tumultu,
Jure meis faueant prorſus amica ſonis.
Nam mihi nunc magno, magno nunc pangitur ore,
Vnicus Aonij LIPSIVS *orbis honos.*
LIPSIVS, *Auguſti primus qui flectere ſceptri*
Palladijs potuit faſcibus imperium.
LIPSIVS, *ignotam Muſas qui duxit in Aulam,*
Et procerum docuit ſtare miniſterijs.
Solus abire Scholâ dignus, qui publica noſſet:
Solus ob ingenium dignus adire Scholam.
LIPSIVS, *emeritas qui cùm prouexerit Artes,*
Laudibus emeritum poſtulet Artificem.
Nec mihi Stentoreo tumeant ſi guttura flatu,
Pulmoque largifluis ſpiret anhelitibus;
Nec ſi millenæ ſtrepitent quaſi claſſica linguæ,
Multifori-ve ſatum murmur ab ore tonet;
Nec vaga ſi celeri vox currat Iapygis alâ,
Præpes & à Zephyro tranet aduſque Notum;

Soluere

Soluere LIPSIADÆ *præconia digna potiſſit,*
Æquipareſque viro concelebrare modos.
O felix tanti propagine SCALDIS *Alumni!*
Ipſáque vel tanto BELGICA *ſole minor!*
BELGICA *ſole minor, cuius ſplendore coruſcat,*
Latiùs indigenæ finibus Oceani.
O pueri felix ISCANIA *villula cunis,*
Exortuque nouo proſperioris Heri!
Cuius in ora fauos roſeis infundere roſtris
Diſtentas ſuaui Nectare vidit Apes;
Et violis fluido circùm blandirier imbre
Gratificas Veneres fontis Acidalij:
Cuique ſimul blandos ceciniſſe Genethlia Cygnos,
In ſeriem poſitis audijt agminibus;
Hunc fore, conditum cui ſe debere lepôrem
SVADA *fateretur nobiliore Thymo:*
Cuius & ad latices, iam rarior Hippocrene,
Vertere labra ſuum cogeret ipſa Gregem.
Hinc quoque præſigni Doctore LOVANIA *Pallas,*
Nunc licet erepto, iure beata cluis:
Qui reliquos ſupra Permeſſi attollere montes
Virgo tuum potuit ſolſtitiale caput.
Ac velut omnigeno fragrans Panthera vapore,
Pellicit errantes poſt ſua terga feras:
Sic ille obſtrictam linguaï compede pubem,
Ad ſua preſſit ouans Pulpita ferre gradum:
Seu dedit Auſoniæ cui fax Euandria lumen,
Laurigeriſ-ve ferax GALLIA *palmitibus;*
Aut quam celſa fouet rutilo Germania crine,
Cuí-ve Tagi fuſcum verſat arena latus;
Aut rigidos glacie trux Viſtula perluit agros,
Quám-ve ſuis effert Anglia littoribus;

Aduocat aut iuuenes quibus vnde vel vnde Cythæron
Finibus, ad Clarios nocte diéque Choros;
Omnibus egregium via recta tetendit ad Hermen:
LIPSIVS *in votis vnus Apollo fuit.*
LIPSIVS *ardentes in ſe conuertit ocellos,*
Atque ſui Tripodis prætulit ipſe iubar:
A quo homines peterent dubiis Oracula Griphis,
Aegyptique Pharo certius indicium:
Cuius ad exedram cuperet ſtudioſa Iuuentus
Sugere Cecropiæ mella ſaleſque dapis:
Quemque Cleanthéo paſcentem pectora fructu,
Iugis ab attentâ paſceret aure fauor.
Verborum nec enim ſolos ad lumina flores
Pierijs ſtuduit ſtrinxe cacuminibus;
Aſt penitas Sophiæ terebrauit ad vſque medullas:
Incoxitque pium relligione iecur;
Certus & antiquos proauorum effingere mores,
Vitæ hanc cum ſcriptis contulit harmoniam,
Vt grauis exempli perpes Cenſura probaret,
Viuere ſic iuuenem ſic ſtatuiſſe ſenem.
Vnde tot eximias cæleſti munere dotes,
Tot meruit laudum ſidere culminibus:
Parcior vt reliquis promit quos Condus honores,
Ac ſolet exili quod tribuiſſe manu;
Omnia LIPSIADÆ *Genio cumularit in vno,*
Vel cumulo veteres exſuperante modos.
Nam quis Hyantéâ tacitus latet angulus orâ?
Ecquod Athenæis mercibus emporium?
Aut quis Apollineo celebris viret hortulus Hæmo?
Quiſ-ve loquax Cyrrhæ manat ab amne latex?
Quæ ſibi fouerunt hilares melimela Camœnæ?
Quale-ve plantarum percoluere genus?

Vnde

Vnde auidis caſiam coſtumque haud legerit vlnis,
Pubentesque crocos, puniceasque roſas?
Mentis & in paſtum, maturo tempore meſſem,
Tritáque Nectareo feruida muſta lacu?
Ac miſeris olim coïtura viatica rugis,
Imò vltra comites luctibus Inferias?
Quid grauis Vranie celſo libauit olympo,
Quod Sophiæ ſtillis arida corda riget?
Ecquid in Annales retulit veriſcia Clio,
Dum veterum ſæclis edita geſta ſonat?
Quid fera Melpomene Tragicum ſudauit ob hircum,
Comica laſciuis quid-ve Thalia iocis?
Quas minor Euterpe labijs inflare cicutas,
Fundere quæ potuit iubila Terpſichore?
Quos Erato cytharis adiungere carmine motus,
Hymnia quo geſtu detinuiſſe chelyn?
Quid-ve tot auriferis Heroum aptare Triumphis
Pegaſeum ſtuduit Calliopéa melos?
Quid fata eſt Pitho? quid in omni Helicone profudit
Phœbus Olorigenæ quid-ve Minerua gregi?
Quod ſibi non totum, ſolido non aſſe pararit
Impiger à teneris LIPSIVS *vnguiculis?*
Atque ita Doctorum medio diluxerit orbe,
Inter vt vmbrarum ſplendida Luna faces?
Pluribus hinc florens Academia creuit alumnis,
Vel per bellicrepam Marſpitris ære tubam.
Omnibus hinc LIPSI *viſendi animoſa cupido:*
Nec tam plebeiâ ſorte Librariolis,
Quàm quibus alta ferit vertex faſtigia rerum,
Et datur in bello pacéque primus honor.
Ipſe etiam Aulaï pompas DVX BELGICVS, *altæ*
Suſtinuit LIPSI *ſuppoſuiſſe Scholæ:*

Inſignemque virum (quæ gloria rara Camœnis)
Neſtoris arcani iuſſit obire vicem.
Scilicet armiſonos inter triſteſque tumultus,
Et ſua Doctrinæ præmia certa manent.
Veriùs, aut tanti puduiſſet Apollinis artes
In patrio ſpretas deſerüiſſe ſolo:
Cùm Tyberinus Apex, magnoque Bononia plauſu,
Inſulaque Adriacas inter opima rates,
Largior & Rhenus pingui hunc mercede beatum,
Optaritque ſuis SEQVANA *littoribus.*
Deinde quis illius cum laude ambire fauorem,
Haud ſtuduit lepidis creber Epiſtolijs?
Cuius at obnixo non mox impenſus amori,
Vel meritis maius reddidit Elogium,
Quod bona poſteritas, hominis mirata decôrem,
Inſculptum ſolido firmiùs ære leget?
Nempe tot inter ouans titulos, vrbanus in omnes
Vixit, & inuidiæ charus in inuidiam.
Vna tamen Iuno Herowm contraria votis,
Et Genio illius ſemper iniqua fuit:
Tabificámque NOSON, *Luctus Mortiſque ſororem,*
Accijt ex Erebi deteriore lacu:
Continuis tenues morbis quæ rumperet artus,
Inque ſalute viri dira Megæra foret.
Hoc chorus Aonidum tulit ægrè, hoc magnus Apollo,
Fronte pilos vellens, dilaceranſque comas.
Atque ASCLEPIADEN *(ſæpè his ſermonibus vſus)*
Vt primum è gnatis ſic pater increpuit:
Quis pudor, ô fili? quianam tibi ceſſat amicæ
Natiuæque artis dulce miniſterium?
Ecquæ Pæonios rapuerunt faſcina ſuccos?
Ecquis odoriferum liuor Amaracinum?

Heu

Heu ſtabili multus quàm Ganeo robore pollet,
Penelopesq́ue auidos gens imitata procos!
Natus at ornandis vulgari haud lumine Muſis,
Præſtansq́ue artifici LIPSIVS *ingenio,*
Heu! iacet adſiduo confectus membra dolore,
Deficit & tantis, heu! medicina malis.
Subijcit at contrà paucis ASCLEPIVS *Heros,*
Hocq́ue patrem mulcens detinet alloquio:
Sic ſtata Fatorum ſeries, Pater optime, ſanxit:
Mollia nec FATIS *vnguina reſtiterint.*
Hanc DEVS *humanis variat cum pondere ſortem:*
Sic admixta fauis porgere fella ſolet.
Qui vaſtum impleuit famâ Tirynthius orbem,
Millibus ærumnis mille pericla tulit:
Nec niſi per medias cælum pertingere flammas,
Nominis aut potuit fixe perenne decus.
Sic LIPSI *haud ſolitis radians fulgoribus Aſtrum,*
Heu! depreſſit humo corporis atra lues:
Vt ſe hominem ſciret, doctis neu ſæpè nocenti
Perderet Heroem gloria vana typho.
Nec Deus Athletæ mediocria lucra rependit,
Cui manet in terris non periturus Honos:
Ac Anima æthereo Superis congaudet Olympo,
Fartimq́ue Ambroſias paſcit anhela dapes.

Sebaſtianus Rolliardus I C. & in ſupremâ curiâ Franciæ Aduocatus.

ELEGIA
In obitum V. C. IVSTI LIPSI Polyhiſtoris.

LIPSIVS *occubuit raptus vitalibus auris,*
LIPSIVS *Aonij gloriæ prima chori:*

Cui cerebro expreſſæ meliùs, quàm Regis achate,
Præſide cum Phœbo turba nouena Deæ.
Hunc Suadela ſuis puerum dea fouerat vlnis,
Fouerat & blando culta Minerua ſinu.
Olli diuinum dedit altera mentis acumen,
Altera linguaï melle-fluentis opes.
His animos pellace potens ſermone trahebat,
Siue ſtylo vellet ſcribere, ſiue loqui:
Illo doctrinæ flauiſſas hauſerat omnes
Antiquo ex Graiûm Romilidûmque penu.
Vidit, & inuidit tantum decus Atropos orbi,
Extremum anticipat mox properata diem.
Scilicet vndenis vixdum trieterida luſtris
Addiderat Lacheſis de tribus vna ſoror:
Martis erat menſis, quo tempore ſæuus Orion
Conditur Heſperio Pleïadesque ſalo:
Luxerunt fatum, ac cælum imbribus omne replerunt,
Funderet vt riguas fluminis inſtar aquas.
Inde per æſtatem facies obnubila cæli
Vſque fuit, luctus teſtificata ſuos.
Luxerunt quoque Naïades, laticésque refuſos
Miſcuerunt lacrymis Doris amara tuis.
Ipſæ etiam Muſæ ſua fletibus ora rigantes,
Turbarunt ſacros ex Helicone lacus:
Atque dolorifico Parnaſſia culmina planctu
Implerunt latè Peieriumque nemus.
Vidimus ad tumulum ſtantes lugubria mœſtis
Carmina flebiliter concinuiſſe modis.
Indoluit Phœbus, venturi conſcius Augur,
Ac ſolers varias rerum aperire vices.
Ecquid (ait) vanis iuuat indulgere querelis,
Vnguibus & roſeas dilaniare comas?

An

An ſperatis Anus confecta reuoluere penſa,
Et ſolido intortos ex adamante glomos?
LIPSIVS *ante diem pallentibus occubat vmbris:*
Parcarum ſtabiles ſic ſtatuêre colus.
Dignus erat certè Euboïcos tranſcendere fines,
Atque triſæcliſenis tempora longa Ducis.
Verùm ſat vixit, quem ſat vixiſſe laborum
Manſura æternùm tot monimenta probant.
Cui Virtus meritis cæli ardua templa recluſit,
Lactea quà rectum linea pandit iter.
Et quia Iuſtitiæ cultor, dum vita manebat,
Nominéque & facto IVSTVS *vbique fuit:*
Sedem habet Aſtræam iuxtà Cheláſque ſequentes,
Fulget vbi noſtro ſidus in orbe nouum.
Hæc memini Phœbum ceciniſſe interprete lauru,
Fletibus & Muſas impoſuiſſe modum.
Tum manibus plenis lectos inſpergere flores
Ad tumulum, & Iuſto ſoluere Iuſta viro:
Certatimque pios venerari carmine manes,
Quod celebret patrijs Anna perenna ſacris.

Iacobus Denyautius
in Senatu Norm. Patronus.

In obitum IVSTI LIPSI Elegia.

PONE *leues calamos, quos Pegaſis vbere lactat,*
Martia Phœbe tuas armet arundo manus.
Penſa trahunt alij, non iam bellatur Arachne:
Saxificæ Pallas Gorgonis ora gerat.
Soluite ohe choreas, modulatos ſpargite greſſus,
Virgineâ Charites tela vibrate manu.

En

En piceâ exultans trabe Mors immanè minatur;
LIPSIADÆque ferox inuolat vmbra caput.
Purpureum tentat Proſerpina rumpere crinem:
Fataliq́ue metit forcipe Parca colum.
Eripite, ô tandem! rapidis è faucibus Orci;
Eripite, ô! veſtrum nobile delicium.
Caſtris caſtra decet, ferrumq́ue opponere ferro:
Par numerus vobis, par quoque ſexus erit.
Quid comeſſaris dolor improbe? ſola ligurit
Heu fruſtrà lacrymas futilis aura tuas.
Omnes vrna citat Minoïa. nemo catenam
Soluere fatorum, fallere nemo poteſt.
Ditis auara fames, & inexorabilis vrget;
Víxque deas penſum perſoluïſſe ſinit.
Gratior eſt tenero fruticat dum victima cornu;
Decrepita infernæ non placet agna gulæ.
Imminet ante diem. nondum Venus excita ſomno eſt,
Pubeſcens celeri carpitur vngue roſa.
Præcipitante cadunt iuuenantia poma colono:
Rugoſam ſenij præuenit ille cutem.
Perfuga ſiſte dolor, quæ flectis in auia greſſum?
Vna ſatis lacrymis area vaſta tuis.
Phœbe vale, Pallaſque vale, Chariteſque valete,
Ferale en naulum LIPSIVS ore gerit.
Ergóne iam fruſtrà ad lychnum vigilata Cleanthis
Nox fuit, in Sophiæ te recubante ſinu?
Ebrium Athenææ pectus fuligine teſtæ,
Atque Stoæ fruſtrà puluere ſenta cutis?
Nec iuuat in varios torquere ſophiſmata rhombos,
Et Labyrinthéas ire redire vias?
Non legum cohibet ſæuam reuerentia Clotho:
In Themidos myſtas inijcit illa manus.

Bacca-

Baccatamque molit pedibus mors improba laurum:
Nil prodeſſe ſuæ Daphnidi Apollo poteſt.
Sed magis exuuijs maioribus emicat Orcus,
Et ſpolia excelſis figit opima tholis.
Seſſitat ambroſiis incaſſum Suada labellis:
Nil ſata crudeli corda adamante mouet.
Florida Suada licet, cui mille & mille corollas
Aonidum innodat delicioſa manus;
Palluit ad mortis iaculum: mens excidit & vox,
Ceruſſam lacrymis diluit ipſa ſuis.
O piceo nutrita olim Mors improba lacte,
Vipereis pendens matris ab vberibus!
Auſa nefas, immane nefas, dignumque parente,
Belgiadum nuper funerat orbe diem;
Dum caput obſcurâ LIPSI *ferrugine opacat,*
Aemulaque auratis lumina ſideribus.
Iam veſpertina acceleraſſe crepuſcula cerno,
Et ſtudijs tenebras præcipitaſſe ſuas.
Iam magis hibernant ſolito Parnaſſidos horti,
Pegaſei ſtomachum fontis acerbat hiems.
Iamque rebellanti non imperat alueus vndæ,
Pieridum effrænis depopulatur agros.
Si quem fortè iuuat Helicona reuiſere vatem,
Vdus in immundâ pes natat illuuie.
Flent nerui, citharæ lacrymantur; & vndique luror,
Vndique feralis carmina pædor habet.
Nec potis inſolitum verſus animare vigorem;
Flendo oculos Muſæ diſſecuêre ſuos.
Jlla ſuum vocat Hiſtoricum, vocat altera Vatem.
Cuilibet in titulos vndat adulta ſeges.
Omnia luctus habet. primas ante omnia partes
Lurida pullato ſyrmate Roma gerit.

Admiranda ſacrum nuper caput intulit aſtris,
Inuida nunc iterùm fata, deoſque timet.
Purpura ſit procul hinc, nigro prætoria panno,
Atque nigro miles nubilat arma ſago.
Ecce lacertoſas amiſit machina vires,
Tartareique aries iam timet ora canis.
Inferias LIPSI *mœſtus gladiator adornat:*
Cetera ſopitis ſtertit arena iocis.
Roma ſuo cernit nil triſtius amphitheatro:
Flent impendentem rudera viua necem.
Sed minimum eſt tellus; & vix ſemiuncia luctus.
Aſſe putes toto condoluiſſe Stygem.
Iam nouus Elyſijs decurrit riuus in aruis,
Heroüm lacrymis omnis inundat ager.
Et Seneca & Tacitus mutila in ſuſpiria anhelant,
Iámque vident plagis hiſcere membra nouis.
Fruſtrà eheu nuper, fruſtrà eſt obducta cicatrix;
Sicam barbaries inſidioſa vibrat.
Cetera quid memorem magnorum ſchemata Diuûm?
Tetra magis Stygij fumigat aula Iouis.
Tertia nec regio luctu vacat: aſtráque mœrent:
Hiſpidus aſſiduo lacrymat imbre polus.
Et ſi fata ſinant, MARIAM *quoque mœror haberet,*
Aurea dum Lethes flumina penna bibit.
Illa ſed in tetricos iam degit inhoſpita planctus:
Quam circum illimi gaudia fronte volant.
Nos tamen haud fictis implemus planctibus vrnam:
Finge alibi leſſos Præfica docta tuos.
Nos gemitus, nos ſingultus, nos carmina buſto,
(O vtinam Fato dexteriore!) damus.

N. S.

IVSTO

IVSTO LIPSIO Parentatio.

DVM tua mœrentes animos ſimulacra pererrant,
O LIPSI, patriæ gloria rara tuæ;
Scinditur in varias mentis ſententia partes,
Alternant dubias triſtia, læta, vices:
Applauſúne ſequar, an mæſto funera fletu:
Fama vetat lacrymas, quas tamen vrna ſitit.
Indigetum ſociata choris mens gaudia verſat:
At mea mens luctu ſaucia triſte melos.
Triſte melos Phœbus plectro meditatur eburno,
Et quiſquis Phœbum Caſtalidaſque colit.
Ergo vince dolor, parituráque nubila rumpe:
Verba ſonent buſtis officioſa nouis.
Si fors in laudes me verba reſoluere malis;
Vnâ eâdemque viâ lausque dolórque fluent.
Laude dolor creſcet, & laus teſtata dolore:
Quis ſcit, an & cauſſam funeris ipſa dedit?
Erueras ſcriptis torpenti è gurgite Lethes,
Inuida quod Stygio merſerat amne dies:
Romulidum geſtis dederas, quod fata negarant,
Remigio æthereum carpere honoris iter:
Multiplici vt laudum rediuiua vireret ariſtâ,
Temporis heu! dudum falce reſecta ſeges.
Vidit, & inuidit ſæuiſſima Parca, ſuæque
Ingemuit per te iura perire colus.
Nec mora, ferrato reſtantia ſtamina fuſo,
Heu! nimiùm celeri meſſuit ægra manu.
Hinc Heliconiades atratâ in veſte ſorores,
Quarum de veſtro vulnere ſanguis ijt:
Hinc ſiluêre lyræ, hinc languentia barbita Phœbi,
Pympláque mutatis ſalſior iuit aquis.

Hinc doctorum hederæ marcent in frontibus: omnes
LIPSIADEN *cupiunt,* LIPSIADEN*q́; gemunt.*
Ecquid Phœbe preces, ſuſpiria, vota ſecundas?
Sícne aditus animi duro adamante ſeras?
Heu meus! Aonides clamant, mœrensque Minerua,
Heu meus! ingeminat, heu, iterátque, meus!
Ecquid Phœbe preces, ſuſpiria, vota ſecundas?
Sícne aditus animi duro adamante ſeras?
An tibi, dum ſinuat mors arcum in fata clientum,
Languida fluctiuagans otia neruus agit?
An tibi Pæoniâ nullum eſt medicamen ab arte,
Membra affixa toro dum vorat ægra febris?
Dum vorat ægra febris flammâ populante medullas,
Nulláne Phillyridæ rupibus herba venit?
Nil opibus terræ prægnans tibi ſufficit Ida?
Nílne Machaonio gramine fœtus Eryx?
Dum tergo trepidæ venantum hæsêre ſagittæ,
Dictamnum Idæis cerua requirit agris.
Herculeâ volucris panaceâ inimica colubris,
Lenæâ morbis fronde medetur aper.
Non fugit inſomnes Progne chelidonia curas,
Dum capta eſt ſoboles garrula luminibus.
At tu quem Chiron, quem omnis ſuſpectat Iapyx,
Non potis es medica Phœbe leuare manu?
Huic quondam Euboïcæ vouiſti ſæcla Sibyllæ:
Nec potis es medicâ Phœbe leuare manu?
Sed video, heu! video, dum mors Rodopeïa vibrat
Spicula, dum crines infera Iuno ſecat;
Nec medicâ Phœbus Lacheſin, nec Phaſias arte
Theſſalicâ, aut modulis vincere Muſa poteſt.
Unica, quam celebras, Hallenſis DIVA *valebat*
Auxiliatrices, LIPSI, *adhibere manus.*

Illa

Illa tamen (voto quod ſingultante petebas)
Maluit æthereis te ſociare choris.
Queis dum te ſociat, longos firmata per annos
Dulcis amicitiæ vincula diſſociat.
Dans animam Superis, nobis in funera corpus
Linquit, Pierio funera mœſta choro.
Quid tamen impendam tumulo? lachrymáſne? vetabis.
An mage tangentes ſidera pyramidas?
An thalami conſors hauſtâ quod fida fauillâ
Coniugis è Pario marmore ſtruxit opus?
Saxa alios memori commendent poſtuma ſæclo:
Nam tua plus ſaxis ſcripta vigoris habent.
Molibus excelſis vitam ſi ſcripta negaſſent,
Iamdudum exciſas fama ſileret anus.
An tibi mendaci ſpirantes marmore vultus,
Frondenti ornatos ſtemmate, conſtituam?
Nil opus eſt: viuis cordis penetralibus imis,
Viuis doctrinæ lumine conſpicuus.
Dent alij tumulo ſilicernia: ridet inane
Obſequium æthereis mens ſatiata fauis.
Cyllenes alij Diuum triacontade placent:
In te nil Lethes numina iuris habent.
Cippo alios donet ſiticen, mœſtóque ſuſurro
Murmuret: Hîc ſitus es, ſit tibi terra leuis.
Te, quem fama vehit per Solis vtroſque penates,
Non ſitus, & ſquallor, non breuis vrna capit.
Mens tua ſidereo ſpatiatur in æquore, terras
Gloria peruolitat, ſcripta Minerua fouet.
Quantula pars buſto quantillo tempore cedit,
Dum reſoluta dabit vincla coïre Deus?
His tamen exuuijs, his mœſtâ voce cupreſſis,
Soluere ſincerus iuſta coëgit amor.

Solui: dúmque meos vegatabit ſpiritus artus,
IVSTE *tibi memori pectore iuſta dabo.*
Ne mihi pollinctor, ne flebilis inſonet auri,
Jlicet, extremá Præfica voce canens.
Jre licet? non ire libet: dum vita manebit,
IVSTE *tibi memori pectore iuſta dabo.*

I. T.

IANI LERNVTI
IN OBITVM IVSTI LIPSI
ELEGIA.

EXEQVIAS *mecum comites ſimul ite frequenter,*
Cura quibus culti cordis & oris adeſt.
Non rediturus abeſt nam flos populi, vnicus ille
Qui modò formator cordis & oris erat.
LIPSIVS *Aonidum antiſtes, Sophiæque medulla,*
Par cui ad eloquium nobile nemo fuit;
En iacet impoſitus feretro ſine luminis vſu,
Voce ſine, & digitis quinque mouetur onus.
Ne fletu tumulum vano rorate dolenter:
Facta Viri potiùs tollite laude pia.
Nam quamuis meritò fatis lugemus ademtum,
Et deſiderij vis animum acris agat:
Sors tamen in planctus prohibet nos illius ire.
Cur? cœlo miſſus, cæli iterùm alta tenet.
Quem Themis in ſuperis voluit ſocium eſſe Deorum,
Hunc mœrere minùs nos Ratio ipſa monet.
Ennius antè pater vetuit ſua funera fleri:
Pectore non poterit LIPSIVS *eſſe pari?*
Maior erat, dum noſter erat. tot ſcripta diſerta
Teſtes Virtutis prærata ſigna ferunt.

Luce

uce tuâ fulgens volitas LIPSI *omnium in ora;*
Et tuus à ſero funere viuet honor.
Nil vltra neruos morti concedis & oſſa:
Ingenio nullam vim Libitina tulit.
Ducta tibi Auſonidum priſcas ita vita per artes,
Crederet vt Latium te genus eſſe Remi.
Cecropio maduit ſic mens tua plena lepôre,
Accola vt Hymetti cederet ipſe tibi.
Non petere externas merces orientis ab orbe,
Nec captare lucrum trans mare cura fuit;
Non gladio munire latus, non caſſide vultum;
Belláque ciuili cæde cruenta ſequi.
Nec te per cuneos egit populi æſtus hiantem;
Spreuiſti fallax ambitionis iter.
Otia dîa tibi placuêre, nouemque Sororum
Orgia, per quæ laus creſceret aucta tua.
Creuit, & in cælum plauſis ſe ſuſtulit alis,
Cædere quas cani falx nequit vnca ſenis.
Porticus admiſit adytis te Stoïca apertis,
Zenonis ſocium teque Cleanthis habet.
Quam penitus decorare volens, Senecæ antra ſubîſti,
Preſſa ſitu veteri, ſentibus hirta nouis:
Detergens runcansque ſolum, nitidi æquoris inſtar
Illa iterùm cogis luce vigere ſacrâ
Iudicij ingenijque tui. Conſtantia parta eſt
Hinc tibi, fortunæ nullâ agitanda vice:
Terſum opus eximiúmque, ſatis quod nemo celebret,
Diuinum planè ni fateatur opus.
Hinc fines animo certi, moresque ſine vllâ
Labe, per incertum te ſtatuêre mare
Mortalis vitæ aurigam dextrumque probúmque,
Qualem ſæcla patrum vix habuêre priùs.

Horum ope poſt quoque fata perenni es nomine clarus,
Et, dum Sol mundo lumina ſparget, eris.
Horum decretis ſemper feliciter vſum,
Æris te numquam cepit auarus amor.
Cùm tibi Rex Gallus montes promitteret aureos,
Et puppim veheret aura ſecunda tuam,
Sorte tuâ contentus amaſti viuere tecum,
Velorum plenos & tenuare ſinus.
Nec potuit te Roma caput rerum allicere ad ſe,
In te prona licet Principis aula foret:
Principis Auguſti, Domino qui primus ab illo eſt,
Quo maius nihil eſt, nec prius eſſe poteſt.
Nec ſibi Doctorem potuêre adſciſcere Senæ,
Larga eſſet Thuſci cùm tibi dextra Ducis.
Nec te Felſinei colles, Pataui ardua nec te
Mœnia traxerunt in ſua ſacra ſuum:
Hinc Veneti quamuis inſtarent ſedulò, & illinc
Purpura Boiorum ſollicitaret idem;
Omnes certatim te præmia ad ampla vocantes,
Qualia nec genitis ſe penes addere ament.
Sed viſum in patriâ tibi degere corporis ægro:
Louanij placuit dulce piumque ſolum.
Ergo hîc fixa domus, nulli non hoſpita docto:
Quam propriam Virtus priſca libens coluit.
Hîc tibi Romanæ miracula prodita gentis:
Hîc celebrata Crucis ſunt monumenta ſacræ:
Plurimáque in lucem miſſa immortalia ſcripta:
Poſteritas omnis quæ venerata leget.
Nulla quibus robigo æui carioſa nocebit,
Non ſi Liuoris dente ſit acta nigri.
O vulgi mens læua leuis! quis fingere pectus
Artibus his capitur? quis bona ſortis adit

Ingenuæ

Ingenuæ rectis oculis? vix commoda pauci
Expendunt dociles quæ dare Pallas habet.
Formatur ſtudijs iſtis inſcita iuuentus:
Decrepitum oblectant erudiuntque ſenem.
Ornamenta ferunt rebus iucunda ſecundis:
Perfugium aduerſis præſidiumque gerunt.
Siue domi maneas, fomenta domeſtica præbent;
Ad latus ire parant, ſeu libet eſſe foris.
Poſt obitum quoque perſiſtunt in amore, & honorem
Cultori adfirmant, nec periſſe ſinunt.
Hinc populi pendent cupidi, Regesque Ducesque
Qui ſecum nolunt geſta ſua alta mori.
Nam virtus celata iacet velut obſita nocte:
Gnauus ab ignauo diſtat abeſtque parum,
Si careat calamo fidi ſcriptoris vterque;
Qui benefacta probans, improbet acta malè.
Tanti etenim quiſque eſt, decoris quantum adſtruit illi
Gloria, præclaris macta virûm ingenijs.
Hæc primis hortor iuuenes colite impigri ab annis;
Vos pudeat ſteriles frugis obire dies;
Si veſtri vobis cura eſt patriæque, nec eſſe
Vultis fatali mortis in arbitrio.
Adſpicite vt LIPSI *nomen totum impleat orbem,*
Et tumuli rupto marmore celſa petat.
Pectoribus noſtris præſens ceu numen inhæret:
Spernit & è Parijs eruta ſaxa iugis.
Illius ergo ſacros Manes celebremus, & Vrnam;
Cuius in anguſto tot bona clauſa ſitu.
Iuſtáque ſoluamus IVSTO *ſollennia, nobis*
Annua quæ referat ſæpè colenda dies.

IN OBITVM
Magni atque incomparabilis Viri
IVSTI LIPSI
Rei litterariæ Principis.

ET *cupio, & verè tibi debeo,* MAXIME LIPSI,
Flebile ſupremi carminis obſequium.
Hoc ſummæ virtutis bonos, doctrináque ſumma
Poſcit, & ANTIQVIS MORIBVS *apta fides.*
Cur igitur triſtes ceſſant, epicedia, verſus,
Cur ſilet ad tumulum Nenia noſtra tuum?
Fallor, an infando ſimul externata dolore
Mens animæ, atque animi nuntia lingua ſtupet?
Victa ſtupet certè: quis enim non fulmine tanto
Senſibus attonitis excidat ipſe ſibi?
Sed tamen exſuperat, velut alto expergita ſomno,
Vnica nos homines quæ Ratio eſſe facit:
Et quod lenta dies, vi molliùs illa benignâ
Temperat, & placidâ mentis in arce ſedet,
Sceptra tenens, longéque hiemes & nubila pellens,
Dum ſua lux animo pura quiéſque redit.
Tum vires attollit amor, victrixque recurrit
Vltima quæ cineri debita cura pio.
At quæcumque tibi pietas litat, optime LIPSI,
Nec ſatis illa tibi, nec facit ipſa ſibi.
Nam vitæ velut antè tuæ, ſic gloria mortis
Clara piæ, officij vicerit omne decus.
Nec tam iuſta tibi, ſibi quàm feralia viuo
Buſta ſtruit, leſſum qui tibi IVSTE *ſtruit.*
Ceſſo igitur, ceſſo; tumulo ne præficus impar
Mergar in eulogij naufragus amne tui.

At tu qui numero & cumulo laudum omnia vincis,
SALVE *anime, atque omni maior honore* VALE.

In XII. Faces Funeris LIPSIANI.

QVÆRENDÆ *ſoboli geminas pro lampade pinus,*
Orbe vagans toto, ſuſtulit orba Ceres.
Iuſtiùs at quanto DVODENAS, IVSTE, *Cupreſſos*
Pro totidem facibus nos tibi ferre decet?
Singulæ vt ante gerant operum monumenta tuorum
Singula, & excultas tot tibi ritè DEAS. Muſas & Charites.
Quarum prima nigram ducens ex ordine pompam,
Ardua CONSTANTI *fulta virago pede,* I Conſtantia.
Deſpectam calcabit humum; luctúque metúque
Fortior, atque ipſâ ſe quoque morte geret.
Altera pænè animo polluta, ſed ore POLITA, II Politica.
Syrma trahet pullæ ſeſquipedale togæ.
Aptior inde SAGO, *rigidóque aſſueta* QVIRINO, III. Militia.
MILITIÆ *veteris ſigna animoſa feret.*
Succedet varias telorum inſtructa per artes IV. Poliorcetica.
OPPIDA *Diua ruens, oppida Diua ſtruens.*
At procul admirata, virûm tot ROMA *triumphis* V Admiranda.
ADMIRANDA, *ſuum planget obiiſſe decus:*
Quemque decet titulum ſtatuet, ſtatuámque ſepulcro,
Æmula quam TVLLI *ſpectet & vmbra* TITI.
Quin etiam THERMÆ, *& magni labor* AMPHITHEATRI, VI. Amphitheatra, Thermæ, &c.
Quilibet & CIRCVS LIPSIADÆ *eſſe volet.*
VESTA *ſuper tumulum raptas de vertice vittas* VII De Veſtâ, &c.
Sparget, & incanis lilia miſta roſis.
At pia RELLIGIO *noſtræ manifeſta ſalutis* VIII. De Cruce.
Signa gerens, ſanctam præferet alta CRVCEM.
Illa Crucem; CRITICE *lucem, faculamque micantem* IX. Libri Critices.
Attollet veterum mille voluminibus:

In quibus & TACITVS, SENECA, atque PATERCVLVS, atris
Deterſi à maculis, nomina pura, nitent.
x. Louanium. *Illud at antiquum ſtudiisque illuſtre LYCÆVM,*
Pulcher vbi GRVDIVM Dilia opimat agrum;
Hiſtoricâ nuper vix cultum veſte, repentè
Morte ſui Hiſtorici, mortui ad-inſtar habet.
Sed tamen eſt aliquid cineres ſeruare ſepulti:
Quis ſcit an ô Phœnix pullulet inde nouus?
Omnem qui pennâ recidiuâ poſtumus orbem
xi. Centuriæ Epiſtolarum. *Luſtret; vt ille ſuis nuper EPISTOLIIS,*
Perque manus, perque ora virûm conferta cucurrit:
Nominis & famæ dum ſatur vſque nouæ,
EMERITAM PENNAM *ſuſpendit poſtibus* HALLÆ,
Victuram auſpiciis, CHRISTIPARA ALMA, tuis;
xii. Mirac. B. Virg. Hall. atq; Aſpricol. *Dum tua per cunctas MIRACVLA dìdita terras,*
Téque, tuamque tubam LIPSIVM ad aſtra vehent.

Pietatis & beniuolentiæ ergô
Maxæmylianus Vriendtius
Senatui Gand. à Secretis
merenti mœrens P.

IVSTO LIPSIO V. C.
IVSTA FACIT
Adrianus Flerontinus I. C.
AD MEMORIAM.

O quæ fatorum domitrix, letóque ſuperſtes
Effugis euicti lurida buſta rogi:
Per te aliquid ſi ſunt manes, ſi nomina viuunt,
Et reparas famâ temporis inuidiam:
Huc ades, æternisque fauens allabere pennis,
Queis poſt fata, virûm grata per ora volas.

Huc

Huc ades; ecce tuam pia turba parentat ad aram,
Et tibi, LIPSIADÆ IVSTA *dicata, vouet.*
Accipe ſupremum quod mœſti munus amici, hinc
Publico, & hinc priuo nomine perſoluunt.
Accipe: & æternis diuini ſi monimentis
Ingenij, Muſis reddita vita tuis;
Fac viuat, per quem natæ, per quem ipſa reuixti,
Sentiat & vires inuida Parca tuas.
Cetera ſint cæli, terris ſaltem aſſere nomen.
LIPSIADEM *quondam fama loquatur anus.*

AD V. C. GERARDVM CORSELIVM ICtum & Anteceſſorem.

O *decus eximium; Grudijs vbi Pallas Athenis*
Fundit inexhauſtas pleni Heliconis opes:
Quæ tibi pro gratâ referat præconia mente,
Quæve tuis ſtudijs præmia poſteritas,
LIPSIADÆ *dum ſollicitus ſic* IVSTA *rependis,*
Supremum & tantis manibus obſequium?
Nec modò funebri elogio, ſcriptóve parentas:
Scilicet affectum non capis ipſe tuum:
Latiùs effuſis ſed corripis omnia flammis,
Et toto vates ex Helicone cies.
At mihi cordolium, mihi circumfuſa doloris
Nubila, penè omnem mentem animi eripiunt.
Nec potis eſt genius ſe in carmina ſoluere triſtis;
Tabuit in tantis arida vena malis.
Adde quòd Aonidum IVSTVS *ſecum agmina traxit;*
Munera nec nobis, quæ priùs, vlla ſuper.
Dum flos ille hominum BILLÆVS, *Conſilij fons,*
Fatorum inuiſis occidit arbitrijs;

Tum mihi perculſo perierunt pectore ſenſus,
Tum patriæ luxi triſtia fata meæ.
Ah quantum illius tetigerunt funera! quantum
Publico, & οἰκείῳ nomine perdolitum eſt!
At mihi LIPSIADES, *caſu commotus eodem,*
Conſcriptum lacrymis mittit epiſtolium;
Solatúrque grauem, naturæ lege, dolorem.
Me miſerum! Cygni hæc vox morientis erat.
Littera vix lecta eſt, luctus præſaga futuri;
Ecce aures mortis fama repentè ferit.
Quis mihi tunc, eheu! geminato funere, ſenſus?
Quos, ſæua incuſans fata, dedi gemitus?
Ilicet abruptis renouantur vulnera venis:
Atque impar tantò mens ſtupet icta malo.
Alitis afflatus trifido ſic fulminis ictu,
Attonitum hac atque hac fertque refertque gradum.
Ergóne debueras noſtros lenire dolores,
Duriùs vt ſubitò mens recidiua cadat?
Ite oculi in lacrymas, clarum flete orbis ocellum,
Aut oculo ſi quid clarius eſſe poteſt.
Tu mea, tu moriens fregiſti gaudia LIPSI:
Tecum vnà ſtudia, heu! interiêre mea.
Tecum vnà noſtros aufers vir maxime ſenſus:
Tecum & Athenæi gloria lauſque perit.
Eheu! quo manes, quo carmine compellabo?
Numquam ego te LIPSI *lumine amabilior*
Aſpiciam? numquam velut antè, docentis ab ore
Dulcem fecundi pectoris ambroſiam
Excipiam poſthac? at certè ſemper amabo,
Semper in hoc gratus pectore viuet honor.
Tu tu in me viuis, tecum mors me abſtulit atra:
Vna tuos cineres corque habet vrna meum.

Felices

Felices animæ, quas nexu & fœdere iunctas,
Mors quoque diuiſas tollere non potuit;
BILLÆE, *&* LIPSI, *ſi vos mortalia tangunt,*
Hæc vota, atque pias accipite has lacrymas.
Puræ animæ, patrium poſito iam corpore cælum
Vos habet, & Campis luditis Elyſiis.
Nos turba infelix, per acerba & turbida rerum
Voluimur, incerti quid ſera fata ferant.
Inſpicite, & noſtrum memores miſereſcite caſum;
Et quam ſumma tenent, ô date pace frui.

ÆTERNIS MANIBVS
IVSTI LIPSI
Viri Ampliſſimi & Nobiliſſimi
Hubertus Audeiantius Brugenſis
PARENTABAT.

ET *meritò : quis enim mentem celauerit ægram?*
Præruptis dicam cautibus eſſe ſatum,
Qui potuit ſiccis oculis tua funera , LIPSI,
Spectaſſe, ad gemitus quæ quoque bruta vocant.
LIPSI *delicium Latiæ Graiæque Camenæ,*
LIPSI *hominum pariter delicium atque Deûm:*
Cuius ad affatus effuſa eſt prima iuuentus,
Cuius congreſſu limina trita ſenum.
Omnibus vnus amor reſponſa capeſſere docta,
Atque tuo Muſas ore videre loqui.
Sarmata, téque adiit ſtudio inflamatus vtramque
Qui colit Heſperiam, génſque Boryſtenidum.
Nec tam longinquo quiſquam fuit exter in orbe,
Auditor qui non ambiit eſſe tuus.

Ipſa

Ipſa tuis laribus ſubmittens purpura faſces,
Dicentis quoties pendula ab ore fuit?
Vidimus, & vidiſſe iuuat, quantum illice vocis
Aurea mens potuit, ſuadáque lingua, ſono.
Vidimus, & vidiſſe dolet me præ omnibus vnum,
Qui mihi eras gnato quod ſolet eſſe parens.
Optima ſunt ſpatio conſiſtere neſcia longo;
Augeſcunt annis deteriora ſuis.
Eſt ea fatorum præſcripta licentia; ſurdis
Verba dolor fundit diripienda Notis.
Nondum contigerant algentia ſæcla ſenectæ,
Autumnus vitæ letifer ipſe fuit.
O feſtina dies! exhauſtis libera curis
Debuerat famæ mens ſupereſſe ſuæ:
Sacráque Palladijs ſuſpendere poſtibus arma,
Poſt vigiles noctes otia grata terens:
Tu properata vetas, pallentibus excita lucis,
Ferali peplo circumamicta caput.
Nec modò partus honos tituliq́ue inſignia proſunt,
Quæ Muſarum ergô poſtera ſæcla legent,
In primi accitum collegia ſancta ſenatus
Cùm voluit PRINCEPS *conſilij eſſe ſui;*
Spernentem quamuis, ſoláque à mente peritum
Stemmata nobilibus non niſi vera peti.
Maiorum oſtentat ceras (ais) atria circum,
Degener & priſcis quiſque ſuperbit auis.
Quæ faciunt alij, Virtus, aliena fatetur;
Soláque ſtat pretij terminus ipſa ſui.
Nec tamen haud poteras cenſeri laude tuorum,
Ac quæ iactares nomina ſtirpis erant,
Muſa fuit potior, pérque otia docta parari
Ingenij natum nobilitate decus.

Delectant

Delectant alios faſces populi atque ſecures,
Virgáque cum verbis imperioſa præit.
Aut opibus turgent alij, & præ diuite cenſu
Ventoſæ in paruo eſt ambitionis amor.
Cuique ſuæ Nemeſes inſtant poſt terga, flagello
Inſequitúrque ſuus dira cupido deus.
Te ſecreta quies, & vulgi ſegrega plauſu,
Contentum proprijs iuuit imaginibus.
Bella infeſta nimis, per bella infeſta fuiſſet,
Quàm foret ISCANO *gloria lata tuo!*
Hic vbi diſſereres quæ Tullius & Maro magnus,
Ac quidquid Latiâ conditur hiſtoriâ:
Quæ conſulta patrum, veteris quæ ſtemmata Romæ,
Quæque aperit centum Varro voluminibus.
Tantus ruris erat ſedatâ in mente cupido,
Luſiſſet Stygius ni bona vota furor:
Armorum furor, in Superos quæ tela miniſtrant,
Et lentæ dedunt Belgica teſqua neci.
Nam quæ finis erit? pereat quicumque nefaſto
Impius armatum protegit enſe latus.
Deſpicis hæc, cælóque incedens liber aperto,
Otia pacis agis, quam loca ſumma tenent.
Et fortè ingenij monimenta perennia cernens,
Digna quibus ſoluet præmia nulla dies;
Gaudia mente capis, quòd per tua ſcripta vagando
Fortiùs hæc aliquis publica damna ferat.
Sola etiam hæc contra tua nos CONSTANTIA *firmet,*
Vt ſileam quidquid diſcitur eſſe tuum.
Hinc verò inferias perſoluimus, & tua rapti
Eſt operæ mæſto carmine fata queri.
Belgica ſe in luctum penitus, quin aſpice, vertit,
Naſcenti primùm Belgica tacta tibi:

Horrificámque dedit propè iam lapſura ruinam,
Indigetis fructu cùm viduata tui.
Tunc etiam Tellus motu tremefacta, doloris
Æquoraque indomiti ſigna dedêre maris,
Obuia cùm vndantum latè furibundus aquarum
Proluit inſano vortice cuncta furor;
Et campos per liquentes armenta, per ipſa
Cum ſtabulis merſit paſcua læta greges.
Ipſe dies radios cæcâ ferrugine texit,
Æternæque pauor nil niſi noctis erat.
Non aliàs afflicta ſolo, caſumque tulère
Edita tot cælo culmina, templa, lares.
Flebilis occaſus tuus omnibus: vltima regna
Teſtor, hyperboreâ canáque ſæcla niue.
Et quis ibi, famâ ſaltem tua nomina noſcens,
Corda licet longo diriguêre gelu,
Temperet à lacrymis? Nec tu reprenderis illas,
Deuotæ quoniam ſymbola mentis habent.
Nos genus huc pronum lux prima accepit in auras:
Ferreus eſt animum qui probibere poteſt.
Nil te Stoa moror, nullo Zenone mouebor,
Hauriat & gemitus Porticus ipſa meos.
Muſarum hiſce patri ſollenni more parento;
Manibus & facio, quà pote, iuſta ſacris.
His deſiderium longum teſtabor, amantis
Finiri poterit quod niſi morte meâ.
Pectore donec erit rediuiuum nomen in iſto
LIPSIVS, *officij ſymbola triſtis erunt.*

Elegia de obitu Cl^mi & Doct^mi viri IVSTI LIPSI

Ad Ill^mum & R^mum D. IOANNEM ANDREAM PROCHNICIVM, Ser^mi SIGISMVNDI III. Regis Pol. in Regno Neapolitano Legatum, Abbatem Sieciechouienſem, Præp. Crac.

Ergo, PROCHNICI, crudelia fata fuerunt:
Ergo iam noſter LIPSIVS interijt.
Nec noua diuini legere (heu!) monimenta licebit
Ingenij, aut dulci colloquio inde frui.
Nec tibi ſignum animi mittetur Epiſtola prompti
Amplius: haud te vltrà LIPSIVS alloquitur.
O quoties doctusque liber, vel littera docta,
Miſſa ab eo? quoties & tibi lecta fuit?
Quin etiam ſolumque bonum, ſolumque putaſti
Perfectum, quidquid LIPSIVS ipſe daret;
Quidquid ab ingenio felici prodijt illo,
Et quidquid felix ſcriberet illa manus.
At tu animi pendens, miro percuſſus amore,
Id ſolitus cupidis excipere es manibus:
Quæ noua? quid noſter mittit nunc LIPSIVS orbi?
O nihil à tanto paruum erat ingenio!
Omnia iudicio maturo, acrique labore
Perfecta, ingentis viuida ſigna animi:
Cùm ſubitò infelix percuſſit nuntius aurem,
Nuntius ô quouis vulnere deterior!
Nuntius infelix; nihil infelicius illo;
Heu! mortem LIPSI nuntiat ille tibi.
Heu mortem LIPSI! qui vità dignior omni,
Dignior innumeris viuere temporibus.
Tunc te PROCHNICI dolor ingens ſauciat; omni
Fortunæ telo durior & grauior.

Nam tibi quis maior potuit contingere luctus?
Exprimere aut caſus quis potuit lacrymas?
Nunc quamuis Patriam vexent ciuilia bella,
Quæ ſua iam miſerè viſcera dilaniat:
Seditione graui nunc quamuis fluctuet ingens
Sarmatia; atque ſibi factio cuncta trahat:
Infeſtetque ſuum Regem malè ſedula turba,
Impia quin etiam tela cruenta gerat:
Et noſtros vexent agros nunc fœda Scytharum
Agmina, captiuos vſque trahant populos:
Nunc quamuis totus furijs crudelibus orbis
Turbetur; quamuis claſſica & arma ſonent:
Tu maiora tamen fortunæ damna putaſti,
Quòd tibi, quòd Mundo LIPSIVS *interijt:*
Quòd decus hoc hominum, quòd Sol iſte aureus, orbi
Extinctus, lumen non dabit inde ſuum.
Vnus homo ſapiens Regno præſtantior omni eſt:
Conſtituit Regnum, & deſtruit vnus homo.
Quis nunc Romanas acies, quis bella, triumphos
Deſcribet? quis nunc parta trophæa canet?
Quis te Roma potens mirabitur? aut tua dicet
Tempora, cùm regeres imperio populos?
Quis nunc monſtrabit ſacræ penetralia Veſtæ,
Æternos ignes nobilis Imperij?
Nunc etiam ipſa ſuo populo ſpoliata Theatra
Squallent, nec plauſu iam reſonat Cauea.
Nec iam certabit nudâ gladiator arenâ,
Heu vitâ empturus delicias populo.
Tu ſolus dederas LIPSI *ſpectacula tanta,*
Miratur quæ omni tempore poſteritas.
Cedite Romani Ductores: Nomina magna
Iam ſileant: titulos tempus edax perimat.

LIPSIVS

LIPSIVS *en vobis conſtruxit maxima templa;*
Ille arcus veſtros, armáque diſpoſuit:
Ille aras veſtrisque Dijs, vobisque minſtros
Commodat: illius viuitis ingenio:
Viuetisque diu: nam ſplendida veſtra Trophæa
Non vrbs ſola tenet, totus at Orbis habet.
Atque nec illa tenet: ſic impia fata volebant,
Vt ſub Sole nihil perpetuum eſſe queat.
Quin etiam Romæ Romanam quærimus vrbem:
Quæ miſeris tumulis obruta tota iacet.
Nil niſi nomen habes Romanum, maxima Roma:
Roma caput mundi, nil niſi nomen habes:
Sed tua te virtus, tua te conſtantia Mundo
Illuſtrem ſemper perpetuamque dabit.
Ingenij ſine morte decus, decora omnia veſtra
Illuſtrat, nullo iam peritura die.
Ergo etiam ſequimur veſtigia veſtra libenter:
Iam Romana placet Relligio & Pietas.
Simplicitas Romana placet, placet inclyta Virtus,
Quæ Pace & Bello maxima ſemper erat.
Sed ſine te LIPSI *(quis enim monſtrauerit alter?)*
Aſpicere hoc lumen difficile antè fuit.
Te Duce Romanæ Virtutis templa ſubire
Poſſumus, & veri carpere Honoris iter.
Tu noſtras monitis formas ciuilibus vrbes,
Rectoresque ipſos ſedulus ipſe regis.
Tu priuata doces, tu publica iura: Decorum
Quod ſit commonſtras; officijque mones.
Iam tua iam noſtris animis Conſtantia fixa eſt.
Quis metus, & quæ nos bella mouere queunt?
LIPSI, *quem ſummâ Sapientia in arce locauit,*
Quo nil aut grauius vidimus aut melius;

 Quem

Quem viuum appello theſaurum; pectore cuius
Cuncta arcana ſimul clauſa fuère Sophûm;
Numquam te extinctum cenſebo. nam tua ſemper
Viuet temporibus gloria perpetuis.
Et te poſteritas mirabitur æqua, tuumque
Æternum nomen candida fama feret.
Non vmquam tantum facinus committeret ætas
Poſterior, cuperet quæ ſine Sole diem:
Cui non doctorum relegendo ſcripta virorum,
Inque animo, inque oculis LIPSIVS *inſideat:*
Quæ non Heroas inter ſanctumque Senatum
Collocet, & nomen LIPSII *honore colat.*
Ergo, PROCHNICI, *nihil improba fata valebunt:*
Viuet temporibus LIPSIVS *innumeris.*

Simon Bircouius Polonus, Neapoli in amœniſſimâ Italiæ Campaniâ faciebat.

IVSTO LIPSIO V. C.

BALTHASAR MORETVS

Doctori ſuo meritò parentat.

V*T primùm aggredior magni primordia luctus,*
Mens hebet, & nimio preſſa dolore ſilet.
Vos Aganippeæ Phœbo præeunte ſorores
Edite mœrori congrua verba meo.
Eheu! num triſtes video langueſcere Muſas,
Et quos ipſe peto, ſollicitare modos?
Fallor, an & mecum turbantur funere LIPSI,
Et Phœbi alterius numen abiſſe gemunt?
Ergo nulla viam monſtrant veſtigia, tantis
Manibus exſequias quà meus ardor eat?

Spes

Spes melior ſupereſt: adſit modò promta Voluntas:
Vna hæc Cælitibus ſufficit, vna placet.
Ille inter DIVOS *(Pietas ita credere cogit)*
Regnat; & hanc, veri numinis inſtar, amat.
In magnis voluiſſe ſat eſt. quid nomine IVSTI
Maius? huic vni cælica templa patent.
At cur triſtè cano? RATIO *quin gaudia dictat,*
Et SOPHIA *æterni clara propago Dei.*
Hæc modò læta ſuum deduxit ad æthera Myſtam,
Pacis vbi plenum paſcit amica quies.
Non lugere vicem, fas eſt gaudere, BEATI.
Quò contrà, ô vates, deuius error agit?
Ille diu totum meritis impleuerat orbem,
Dum iuuat hinc doctos, inſtruit inde rudes.
Ipſa ignara ſui, veteriſque oblita decoris,
Hoc ſuper aſtra caput vindice ROMA *tulit:*
Obſtupuitque ARTES *paſſim* MORESq; *renaſci*
ANTIQVOS, *laudis ſymbola priſca ſuæ:*
VARRONEM *læta agnouit, magnumque* CATONEM,
Et SENECAM, *&* TACITVM, *quos ſibi* BELGA *daret.*
BELGICA *complures bellis attrita per annos,*
Hoc vno felix NESTORE *viſa fuit.*
Quamquam ô! ſed nondum cæli placauerat iras,
Vt ſanis poſſet credere conſilijs.
Ille tamen conſtans monitorum ſemina ſpargit,
Viuere ſeu bello, ſeu mage pace velit.
Pacis at exſortem, belli ah crudelis amantem,
MILITIÆ *antiquæ iura ſacrata docet:*
Priſtina ROMANI *quò ſurgat gloria Martis,*
Iuſtitiæque ferox munia miles amet:
Nequis in imbelles poſthac deſæuiat agnos,
Latronémve gerat miles auarus opum.

Aſt ne longa bonos vexent incommoda ciues,
Innumeriſque ſuper cladibus eſſe queant:
Aduocat è cælo Diuam, quæ conſcia Fati,
Languida CONSTANTI *pectora voce beet.*
Illa vltrò acclamat: Non hæc ſine numine Diuûm
Eueniunt: quæ vos cura fatigat iners?
Corpora non animos lædunt fera prælia Martis,
Si firmet RATIO, *ſi* DEVS *ipſe regat.*
Mortales parete DEO: *ſeruate ſecundis*
Vos rebus: tandem proderit iſte labor.
His Dea dum populum mulcet CONSTANTIA *dictis;*
Altera mox IVSTI *voce rogata venit:*
Æquas PRINCIPIBVS *quæ curat ſcribere leges,*
ASTRÆA *ætherei gloria ſumma poli.*
Hinc VITIORVM, *illinc* VIRTVTVM, EXEMPLA *miniſtrat;*
Quæ caueant REGES, *quæ meliora colant:*
Vt tandem virtute DVCVM *Reſpublica felix*
Floreat, & lætæ tempora pacis agat.
Singula perpetuis ſignauit dogmata libris
LIPSIVS, *æternæ quæ præiêre Deæ.*
Quæ ſi non præſens, ætas ventura fruetur:
Et ſcriptis diſcet fidere conſilijs;
Nulla quibus blandæ ſubſunt mendacia linguæ,
Parcere nec vero ſpéſve metúſve iubent.
Illius ergo graui meritorum pondere tellus
Tota fatiſcebat: cæli obiêre vices;
Et quæ non homines, donarunt præmia Diui,
Dum IVSTVM *ſuperis inſeruere locis.*
Non lugere vicem, fas eſt gaudere, BEATI:
Ne contrà, ô vates, deuius error agat.

IN

IN OBITVM CL. IVSTI LIPSI

Carmen Elegiacum.

Conditur hoc tumulo Belgarum gloria gentis
LIPSIVS, ingenio viuidus, arte valens.
Vindice quo, veterum florent monumenta vigentque,
Cimmeriis tenebris ſemiſepulta priùs.
Teſtis erit Tacitus, tacitus non ampliùs; imò
Princeps nunc Latiæ conditor hiſtoriæ:
Romanusque Sophus, qui à ſæuo occiſus alumno,
Huius ope in lucem purior ecce redit.
Hoc duce Plautus amat plauſus; nec tempore Cæſar
Cæſus; nec Liuium liuor iniquus habet.
Velleius rediuiuus adeſt: atque auſpice IVSTO,
En tibi Saluſti reddita priſca ſalus.
Singula quid memorem? Priſcorum nemo virorum
Huius non Criticam ſentiit æger opem.
Sentit opem præſens ætas, venturáque ſæpè
Senſura eſt, IVSTI cùm monumenta leget.
Hic regnare docet; docet hic parêre; modúmque
Quo capias arces, quo fera bella geras.
Porticus, hoc ducente manu, patet omnibus; vnà
Cum ſacris Veſtæ Bibliotheca patet.
Amphitheatra edit, pugnasque in pace cruentas:
Quoque modo veteres, verba Latina ſonat.
Accipit hoc auctore nouum Crux alma nitorem.
Roma Admirandas hoc duce monſtrat opes:
Et colitur Regina Poli, quæ præſidet Hallæ;
Quamque Aſpricollis nomine Belga vocat.
Scribendíque vias veras, artémque decoram
Centuriæ tradunt, doctáque Epiſtolica.

F   *Cuncta*

Cuncta quid enumerem? complura affecta reliquit,
  Vixiſſetque utinam, plura daturus erat.
Sed nihil hæc potuêre immitia flectere fata:
  Ah fata ingenijs inſidioſa bonis!
Jure igitur dum Iuſta facis nunc Belgica IVSTO,
  Tantum mœſta virum proſequeris lacrymis;
Hiſpani, Gallíque dolent hoc funere tecum,
  Polonúsque domi militiæ̂que bonus:
Cumq́ue Italo, Muſis Germana addicta Iuuentus,
  Cum fletu exequitur triſte miniſterium.
Imò ipſæ atratæ luxêre hoc funere MVSÆ;
  Hácque ipsâ, exoptant, contumulentur humo.
Hoc etenim tumulo Latiæ pars maxima linguæ,
  Atque vetuſtatis conditur omnis honos.

Michael Groenevveghen,
Lipſianæ diſciplinæ alumnus,
faciebat L. M.

IN OBITVM IVSTI LIPSI V. C.

Epicedion.

Ferales numeros & lamentabile carmen
Ægro animo, nigráque obſeptus nube doloris
Ordior. An Cyrrham mihi fas atque antra mouere
Delia? an Aonias precibus ambire ſorores?
Et ius & fas eſt. nec enim parua vmbra cietur;
Manibus, heu, lacrymas LIPSI *damus, illius olim*
Myſtæ Phœbe tui, atque tui, Polyhymnia, cœtus.
Ergo ſeu rupes vos Theſpia, ſiue biuertex
Parnaſſus, doctíve tenent iuga ſacra Heliconis,
Seu nemorum ramoſa domus, ſecretáque ſanctæ
Caſtaliæ, ſecreta animis gratiſſima veſtris,
Sufficito infando vocem ingeniúmque dolori.
O noſtrum quondam LIPSI *decus! ô mihi cari*
Patris amate vicem, quis te rapit, heu, mihi liuor?
Quis feſtinatis, heu, ſic intercipit annis?
Siccin' abis noſtri ſidus mirabile ſæcli,
Siccin' abis, nec te pòſt vſurpare licebit
Ampliùs hiſce oculis? non auſcultare loquentem,
Et dignas adytis voces dimittere in aures?
O Atlantiade, & cum virgine Phœbe patrimâ,
Vos decuit, decuit vos intercedere iuſſis
Fatorum, & veſtro noxam defendere alumno:
Quò nil Cecropiæ tulerunt præſtantius arces,
Nil Latium vetus atque nouum, nil Gallia triplex.
Qui dignus Pylias æui contingere metas,
Atque omni tandem poſito ſenióque ſitúque
Æſonis in morem reuireſcere, ſiue Iölai.
Saltim cygnéam ſi vocem & iuſſa fuiſſet

Excipere, atque aliquod ſupremo tempore fungi
Triſte miniſterium; ſi prono colligere ore
Effugientem animam, caligantéſque propinquâ
Claudere morte oculos, mœſtúmvè ſubire feretrum,
Solamen tanto ſit lenimenque dolori.
Nunc eſt omni expers fomento plaga, nec vllâ
Ad ſanum coïtura die: nunc prorſus in ima
Viſcera totum enſem & vitæ ſecreta recepi.
Nec certè Ægiden grauioribus externauit
Luctibus interitus letúmque parentis acerbum,
Quàm me nigra dies properatáque funera LIPSI.
Nam quamuis nullâ conſanguinitate propinquum,
Hic me non alio complectebatur amore,
Quàm ſi ſanguis ego verè ipſius: omnia nobis
Vnus erat, quæ læua mihi ſimul omnia Diua
Abſtulit. O vbi nunc amor ille & cura paterna?
O vbi ſpes, vbi votorum menſura meorum?
Arx vbi præſidiumque meum? quo ſoſpite ouabam
Toto animo, cælúmque manu contingere rebar:
Pampinus vt palmeſque tener, cui grandior vlmus
Firma pedamenta & ramorum fulcra miniſtrat,
Mox animos tollit, mox dulceis cogitat vuas:
Ah, quis litterulis iam compellabit amicis?
Quis dubio reſponſa dabit? quis fulgida cæcis
Errorum in tenebris præpandet lumina menti?
Quis varios ægri ſedabit pectoris æſtus
Dulcibus alloquijs, poſtliminióque reuerſum
(Si quando hoc voto Superis damnabimur æquis)
Excipiet, blandíſque premet mea colla lacertis?
O cælum! ô tellus! ô ſalſipotens Neptune!
Omnia mî periere, illi cùm lumen ademptum,
Qui mihi lumen erat; iam nox manet atra dolorum,

Omnia

Omnia iam triſti mihi tempora felle madebunt.
Nec me ſacra iuuent, quorum percuſſus amore
Antè fui; valeant mea quondam gaudia Muſæ.
Tantùm flere lubet; luctum pro LIPSIO *amabo,*
Et rudibus cantabo modis lacrymabile carmen,
Quale vel Alcyones in littoribus deſertis,
Vel ſub populeâ modulatur Daulias vmbrâ,
Pignora cùm nido detraxit callidus auceps.
Ipſæ cum ſocio Charites grege Fontigenarum
Tam cari capitis queritantur præcoque fatum,
Et gemitu & lacrymis & luctiſono concentu,
Caſtalijsque timent poſthac ne fontibus humor
Deſit, & aſſuetas ſilua arida deneget vmbras.
Adde & Muſarum comites, & quotquot vbique
Virtuti Sophiæque litarunt, omnibus ægrè eſt,
Omnes exceſſu LIPSI *tenerè illacrymarunt.*
At miſera ingeminans lugubres Belgica leſſos
In cælum & Superos liberrima verba profundit,
Dirumpítque ſinus, nudatáque pectora plangit,
Aut deturpatos laniat ſibi puluere crines,
Luctu amens, tumulóque inconſolabilis hærens.
Elyſium contra Chaos & iucunda vireta
Fortunatorum nemorum tanti hoſpitis ergô
Lætitiâ plauſúque fremunt: hunc agmina ſtipant
Semideûm Heroum: hunc certatim vndeundique magnæ
Aduolitant animæ, mirabundæque pererrant
Luminibus tacitis, ſociúmque adiungere gaudent:
Haud aliter quàm cùm feto patris edita buſto
Prodit auis, magni tendens per inania mundi
Ad Ptolomæëas Arabum de finibus oras,
Alituum coit omne genus, ſolísque volucrem
Attonitæ denſo circum agmine conglomerantur.

Salue ſupremùm Suadæ illibata medulla,
Doctrinæ Sophiæque penus, clariſſima priſci
Fax æui, & veterum ſcriptorum acerrime vindex,
Humano propè maior, & egregium indulgentis
Naturæ ſpecimen, LIPSI *optime maxime ſalue,*
Supremúmque vale, facilisque hos pectore ab imo
Depromptos gemitus atque illætabile murmur
Accipe; ſi mea non odioſa ingratáque quondam
Muſa fuit; ſi te mappam mittente, tuiſque
Auſpicijs primùm ſpatia hæc decurrere cœpi.
Accipe quod præſtare Dijs hîc manibus vnum
Officioſa poteſt pietas, quæ ſoluere iuſta
Mens ægra ac magno valet oblimata dolore.
Poſteriùs cùm me patriæ ſors proſpera reddet,
Cottidie tua buſta ſalutaturus adibo,
Et benè, mi Doctor, repetam, placidéque quieſcas;
Cottidie flores ſerti ſimul atque ſoluti
Plenis ſpargentur calathiſcis, vrnáque felix
Myrrhâ & Achemenio ſemper ſtillabit amomo.
Semper apud memorem meritorum gratia ſtabit,
Et ſincera tui reuerentia. Non potes vllos
Parca ferox magno fines præſcribere amori,
Non potes; ipſa ſuis paret mens legibus, omni
Libera hero, nullis docta inſeruire lupatis.
Quid libri? quid ſcripta? quis illis marmora & altos
Pyramidum ſumptus animoſáque conferat æra?
Hæc ferro, hæc flammâ fugitiuorúmque caduca
Ictibus annorum: nulla illis tempora, nullæ
Sunt metæ; quæuis leget ac mirabitur ætas.
Namque olim Genio ſunt nata Dijſque ſecundis,
Sæpiùs & dio rore imbuit alma Iuuenta.

Philippus Rubenius Doctori ſuo M. P.

IN

IN V. C. IVSTVM LIPSIVM EPICEDION

Ludouici NonI Doct. Medici.

Magna anima, æthereum quam ſupra euexit Olympum
Æternus genitor, ſolióque locauit auito;
Da faciles threnis aures, ne ſubtrahe vultum,
Nenia funereos mea dum perſoluit honores,
Et buſtis extrema tuis epicedia cantat.
At quinam gemitus, vel quæ lamenta dolori
Sufficient? claros cineres, quæ Præfica, LIPSI,
Perfundet lacrymis? an quæ mœſtiſſima mater
In Sipylo queritur bis ſenas Tantalis vrnas?
An fletu liquefacta ſuo Mæandria Biblis?
An Phaëthontéo quæ in funere diriguerunt
Heliades? ánne Eöis emerſus ab vndis,
Ferales planctus Hyadum chorus occinet orbi?
Tu longæua Themis, doctâ tu Pallas ab arce,
Dic tumulo leſſos, & ſingultantia luctu
Plectra moue; & taxis crines & tempora vela:
Ante fores nullo frondeſcat culmine laurus,
Sed plorata tuos poſtes cypariſſus obumbret;
Nam cecidit vates Helicon tuus. O vbi triſtes
Siccabis lacrymas Grudium? quanto vndique queſtu
Pulpita, Cecropijs certantia pulpita Athenis,
Mœſta ſonant? vacuæ lugent Doctore cathedræ.
Martia ſic magni in Ciceronis funere Roma
Ingemuit quondam; Latiæque ſilentia linguæ,
Vos ſeptem colles, vos fleſtis roſtra Quirini.
Sanctiùs ecquis enim coluit ſacraria Phœbi?
Gorgoneo admouit quis digniùs ora liquori?
Teſtis inexhauſto eſt facundia pectore diues,

Seu lubuit vincire modis effamina certis,
Seu lubuit voces animare lepôre ſoluto.
Qualiter aſſurgis? quàm denſo pondere mentes
Afficis, & dulci perfundis nectare ſenſus?
Non tibi Nelides, non ſe tibi conferet Heros
Dulichius, breuitate potens non frater Atridæ.
Non tua Tellenis turgeſcit pagina nugis,
Aut populo phaleras, & inania cymbala vendit;
Sed ſolidæ paſſim virtutis ſemina ſpargit,
Lectorémque auidum generoſo replet honeſto.
Nec tibi moroſâ dictatur epiſtola curâ;
Aſt facilis, nullóque venit impulſa labore:
Non ieiuna tamen, ridenda aut ilia ducit,
Cecropio ſed melle madet Latióque lepôre.
Tu miſeros Belgas, afflatos turbine belli,
Erigis eloquio, magníſque hortatibus imples:
Et tua nos docuit Conſtantia ferre pericla,
Atque animum infirmum triplici firmare metallo,
Fortunæ aduerſus ludos, & lubrica rerum.
Tu veterum mores ſcabrâ rubigine ſęcli
Eripis, atque nouo cogis ſplendeſcere cultu.
Per te nigrantes Mauortia Roma fauillas
Excutit; & longæ poſito ſquallore ſenectæ,
Ecce alios iterùm melior iuueneſcit in annos.
Iam priſcas miratur opes, & robora regni,
Et modò Tarpeio Capitolia celſa Tonantis
Fulgere colle ſtupet; circùm delubra Deorum
Obtundunt trepidos oculos fulgore metalli.
Innumeri hinc arcus, ſpoliíſque ornata trophæa,
Hinc Thermæ occurrunt, hinc admiranda Theatra:
Deliciáſque ſuas, ſæuæ ſpectacula arenæ,
Atque Theatrales gaudet cognoſcere plauſus,

Conſilijs, monitíſque tuis, veſtigia Regum
Lubrica componis, Conſi penetralibus hauſtis,
Queis populos iuſtis valeant compeſcere habenis.
Iam te quis Martis tenuit feliciùs artes?
Militiæ dum priſca doces præcepta Quiritum:
Queis tectus veniat telis in prœlia miles:
Quâ deceat foſſâ, vallóve includere caſtra:
Mænia quàm vario proſternat Machina pulſu.
Martia quæ tantum pubes miratur, vt vltrò
Cedant arma togæ, concedat laurea linguę.
Singula quid memorem? non veſtigata priorum
Ingenijs, tenebríſque diu damnata profundis
Extrahis, & primus luci committis apertæ.
Te ſine Zenonis latuiſſent ſcrinia. magnum
Crantora quis noſſet, demorſóque vngue Cleanthem,
Ni tu Stoïcidum renouaſſes atria ſectę?
Quid loca ſenta ſitu Scriptorum, aut merſa veterno,
Vindice te, referam, ſolitum ſpirare decorem?
Non tot in Augeæ ſtabulo exanclaſſe labores,
Euryſthi imperio, fertur Tyrinthius heros;
Tœdia quot paſſus, dum cęcâ nocte latentes
Eripis Auctores, mendis blattíſque fugatis.
Luce nouâ melior Tacitus, Senecęque coruſcant;
Atque alij Proceres, Latium quos vidit & Hellas,
Pileolo ornati, raſo te vertice, LIPSI,
Sectantur cuncti: ſic libertate receptâ,
Hoſtili fuerant quondam qui carcere clauſi,
Læta triumphalis comitantur ſyrmata pompę.
Quàm tibi blanditur Ießéi germinis altrix?
Illa, cui extremos calamus ſeruauit honores;
Dum quæ Belga videt, per te miracula vulgat,
Quæque priùs Hallis, nunc patrat Colle Sichemi:

G *Talia,*

Talia, quæ veniens auidâ bibet aure vetuſtas,
Iuratáſque dabit Fidei euaneſcere peſtes.
Sed quid ego hæc, inopi ſperem deducere venâ,
Ingenij monimenta tui; quæ dicere fama
Nulla poteſt, quamuis centeno perſonet ore?
I Muſa, & cordis te per penetralia gyrans,
Arcanos animi penitus expende receſſus.
An referes faciles & non ſine pondere mores?
An niueum, & nullâ tinctum ferrugine pectus?
Quæ probitas oris? frontiſque modeſtia quanta?
Jlla dedit ſæuas te ſuſtentare procellas
Inuidiæ, & rabidæ contemnere prœlia linguæ:
Nec tua in alterius iugulum facundia famæ
Hac duce deſcendit, dentéſque armauit acutos:
Sed cùm alij plenis ſpargunt conuicia plauſtris,
Innocuos tantùm luſus ſine felle reponis.
At quid in immenſo laudum æquore naufragus erro?
Nam decus hoc, dignum meliori viuere ſæclo,
Ah dolor! ah lacrymæ! mors inuida ſuſtulit orbi,
Redderet vt cælo, cæleſtis particulam auræ,
Vtque nouum patrio ſociaret ſidus olympo.
Felix ô nimiùm LIPSI! *qui ſaxa doloſa,*
Et dubios vitæ ſcopulos, Syrtéſque latentes
Emenſus, tandem tutâ in ſtatione locaris.
Jam tenebris expers, & verâ luce refulges,
Illuſtres inter cuneos, Manéſque beatos:
Hic vbi perpetuo via lactea lumine candet,
Vnde hominum miſerans deſpectas viuere inane,
Et Patriæ ancipites caſus, & triſtia fata,
Reſpice nos felix; ſupremáque munera buſti,
Quæ tibi funeſto ſoluit mens ſaucia luctu,
Suſcipe; & affectus ne deſpice IVSTE *benignos.*

Sic

Sic leuior ſemper tellus tibi vernet in vrnâ,
Oſſáque ſic tumulo molli compoſta quieſcant.

GAVGERICI RIVI & Studioſorum omnium comploratio in obitu Ampl^mi LIPSI.

Qualiter euerſâ Gallorum cladibus Vrbe,
Aut illâ, pſallens Nero quam conſpexit ἅλωσιν,
Hoſtiles quicumque manus, quicumque Tyranni
Fugerat immeritis incendia concita tectis,
Si veluti poſtliminio dein fortè videre
Contigerat dulcem patriam dulcéſque penates;
In Româ Romam quærebat, in ædibus ædes:
Pro ſacro & ſancto, ſacri ſanctique ruinas
Mœſtus, & auguſtis cinerem ſpectare theatris.
Sicubi deprendit veſtigia nota locorum;
Dicebat lacrymans: Heu! en domus & ſacra Veſtæ:
Hîc auus, hîc nutrix, pater, heu! habitare ſolebant.
Siccine non ſtatuis rabies, non ira pepercit
Numinibus? Sic quando ſuâ Mors improba falce
(Annibale, & Galle, & quouis mage ſæua Nerone)
Meſſuerat LIPSI *vitam; velut agmine facto,*
Muſarum ciues adſtant adflentque cadauer:
Hîc ſibi patronum, Sophiæ vixiſſe parentem:
Corpore cum functo, CONSI *periiſſe ſacellum.*
Quid, quòd APOLLINEI *pars maxima ſuſpirabat*
Iacturam TEMPLI, PACIS, VIRTVTIS, HONORIS,
Et PIETATIS? *Erant etiam queîs viſa iacere*
Curia cum legum tabulis, cum ſortibus vrnæ.
Hic Prætor, Conſul, Princeps, idemque Sacerdos,

Omnia erat. *cuius ſi ſingula dogmata ſpectas;*
Non quinquagenos vixiſſe putaueris annos,
Quin & non hominem vixiſſe putaueris vnum:
Sed doctos omnes ſimul, & tot ſæcla, quot annos.

PIIS MANIBVS
Ampliſſimi Clariſſimique Domini
IVSTI LIPSI
Ser^mis Principibus à conſilijs, & Hiſtoriographi Regij,
Domini quondam mei col^mi.

BELGICA *viſa mihi cygnéo funera cantu*
Flere ſua, vt cecidit flos, ſol, & gloria BELGI
LIPSIVS: *vt turtur viſa eſt mihi Grudia Pallas*
Lugere abreptum conſortem; ſquallida vultu
Plebs effuſa, gemens atratâ veſte iuuentus.
Túque igitur mœrens lugubri Nenia voce
Aude agedum, ſingultanti aude pectore fractos
Edere ſingultus: hoc ſaltem munus herili
Poſtremum appendam tumulo. Sed nomen herile
Heu pectus mihi concutit, egreſſúmque dolori
Præcluſus negat ipſe dolor: cùm viuida mentis
Illa tuæ LIPSI *ſpecies mihi ſe obijcit, illa*
Fax Sophiæ, ſedes Muſarum, arx inconcuſſa
Virtutis, niueus Candor, Prudentia: verbo,
BELGI *delitium noſtri: illa audita, probata,*
Viſa mihi quondam heu facies. Sed LIPSIVS *ille*
Ecce fuit: quem, ſeu gratum miſceret amico
Congreſſu alloquium, grauior ſeu pulpita ſermo
Compleret, veteris fundentem mella Süadæ,

Obſtupuit

Obſtupuit toties Academica lecta iuuentus;
Gallus, Belga, Italus, Germanus, Sarmata, Iberus.
Quis non obſtupuit? rapitur tamen: inuida ſorti
Heu fata humanę! Européo hic vnus in orbe
Cunctorum applauſu, votis, atque ore petitus,
Abripitur: populi vanos i quęre fauores,
I regum capta fumos, & nomina quære.
Inſpice veſtitum diuerſis floribus hortum:
Quò quiſque aſpectum meliore colore tuentis
Detinet, & grato nares magis implet odore;
Hoc ſpoliatori magis eſt obnoxius Auſtro.
Quid tamen, ô miſeri, querimur? mortalia paſſus
Mortalis, ſupra mortalem nomine viuit:
Viuit & æthereo, voueo, felicius orbe.

Cultus & mœroris teſtimonium
M. P. Ioannes Bleuvvart Athenſis.

IN OBITVM IVSTI LIPSI V. C.

Epigrammata.

I.

Ergo abijt mœſtis numquam rediturus amicis,
LIPSIVS inſanæ mortis ad arbitrium?
Jlle ſacer Phœbi myſtes, doctæque Mineruæ,
Virtutiſque omnis, LIPSIVS ille abijt?
Illéne quem Grudij nuper ſtupuère loquentem,
Semina doctrinæ dum meliora iacit?
Ille ſuis ſcriptis qui totum ornauerat orbem
LIPSIVS, heu Fati triſtia iura, abijt!

II.

LIPSIVS hoc paruo tumulo iacet. haud iacet; erro:
Non adeò exiguo clauditur ille loco.
LIPSIVS immenſi factus nouus incola cæli,
Nunc lætus terras deſpicit & maria:
Quæque priùs mundi calamo damnarat & ore
Vana, mage ex vero vana fuiſſe videt.
Attamen in mœſto quid vult ſibi marmore nomen,
Quódque illo dignum nomine carmen adeſt?
Nempe reformandus vitæ melioris in vſum,
Hîc veteres poſuit LIPSIVS exuuias.

III.

Quiſque dehinc venies Grudiam nouus hoſpes in vrbem
(Cura pia eſt) LIPSI da tumulo inferias:
Et caſtas ſuperadde preces, meritúmque dolorem:
Cauſſa tibi numquam iuſtior vlla fuit.

Quà

Quà ſit iter, quæris? tædâ præeunte rogali,
Ad magni ducent triſtia buſta viri
Pierides mœſtæ. mœſtâ hîc cum Pallade, Diuas
Tres, quibus in doctos par amor atque fides,
Fœdatas cernes liuentia pectora palmis,
Sidera flebilibus ſurda ferire ſonis;
Crudeléſque vocare deos; ſua damna vocare,
Hoc moriente, vnà non potuiſſe mori.

Petrus Pantinus, ad D. Gudulæ
Bruxellis Decanus.

P*arcite,* LIPSIADÆ, *lacrymis queruloque dolori,*
Qui facitis IVSTO *iuſta ſuprema meo.*
Non obijt, ſed parte ſui meliore ſuperſtes,
Elato ad tumulum funere, viuit adhuc.
Mors rapuit mortale, nihil conceditur vltrà.
Quod perijt, terræ portio quanta fuit?
Tam parua, vt vix vlla: volat nam mole ſoluta
Corporis, in tenues puluis, vt vmbra, Notos.
Sed probitas animi ſemper ſpectata manebit,
Et virtus, morum candor & integritas.
Hi comites illum ad ſedes duxêre beatas,
Cum grege victurum tempus in omne ſacrô.
Nec minùs in terris doctrinæ gloria durat,
Viuit, & in ſummo culmine vernat apex.
Quæſitum eſt decus ingenio, quod nulla vetuſtas
Imminuet, ſtudij nec monimenta dies.
O claram meritis animam! virtutibus ornat
Sidera, tellurem moribus, arte libros.
IVSTE, *tuum memori nomen cantabitur æuo:*
Æternus, tua dum ſcripta legentur, eris.

Ioannes Bochius, S.P.Q.
Antuerpienſi à ſecretis.

Scilicet

I.

Scilicet vna dies, crudelibus inſita fatis,
Abſtulit, heu! nobis morte nefanda Virum
Egregiam verò laudem ſcelerata tuliſti,
Dum tenues artus, laſſáque membra necas.
Huic ſaltem poteras, ô effrenata voluptas,
Parcere. non deerant corpora digna mori.
Excidit ingenium, medijs quod fulget in aſtris,
Muſarum tenebras detenebrare potens.
Romani periêre ſales, periêre lepóres,
Et periêre omnes deliciæ & veneres.
Belgica lugubri nunc tota dolore fatiſcit,
Triſtitię obducit pectora mœſta ſitus.
SALVE *Muſarum ſublimis gloria,* SALVE
Mundi miraclum: molliter oſſa cubent.

II.

Si laudem Pietas vllam ſincera meretur
Veris ſuis cultoribus:
Eximiæ ſi qua eſt Doctrinæ gloria: doctę
Et ſi qua laus Facundiæ:
Si ſummis imíſque viris placuiſſe, malorum
Hoſtem fuiſſe perpetem,
Eſt vitæ locuples teſtis vindéxque probatæ;
Ipſis crepantibus inuidis:
Ecquis, te LIPSI, *vixit felicior? ecquis*
Te mortuo beatior?
Non igitur, LIPSI, *te lugeo; lugeo nullos*
Supereſſe nobis LIPSIOS.

Franciſcus Svvertius F. amico heu! quondam
Opt. Max. ſupremum hoc HAVE atque
VALE mœrens meritoque ſcripſi.

IVSTVS

IVSTVS LIPSIVS nec obijt nec abijt.

Quærebam mœſtus ſola ſola, auiumque volantûm
Auia ſectabar, nec comes vllus erat.
Hærebat lateri tantùm DOLOR *improbus, ille*
Ille, mihi LIPSI *quem Libitina dedit.*
Ibat Tænariâ cinctutus tempora taxo,
Multa ſuper Parcis & Phlegethonte querens;
Increpitans Minoa ferum, Rhadamanthum adamantem;
Et rea Styx, illo iudice, tota fuit.
Olli toruus ego, Cede hinc DOLOR *improbe, dixi:*
Flere decet functos, hic nec obît, nec abît.
Non obijt, quin ſuppeditat nunc ſidera IVSTVS,
Celſaque fulmineâ peruolat aſtra rotâ.
Non abijt, qui nunc etiam per docta vagatur
Ora virûm, & populi multus in ore ſedet.
Sicne mori mors eſt, comitat quam vita perennis?
Funus id eſt, à quo maior in ora venis?
I nunc ſtulte DOLOR, *funus tam nobile plange:*
Non erat hoc FVNVS, *improbe,* FOENVS *erat.*

Cenotaphium.

Sunt Buſto in Pario, ſunt qui tumulantur eburno,
Sunt qui marmoribus, LIPSIVS *in lacrymis.*

B. B.

LIPSI laudibus nemo par.

Nemo te lacrymis, LIPSI, *neque laudibus ornet:*
Non lacrymæ, at plauſus funera ſancta decent.
At qui te laudare volet, velut Icarus alter
Nominis Oceano mergitur ille tui.

In Imaginem eiuſdem.

Hæc LIPSI, *ſed non* LIPSI *vnius, at ſimul ipſa*
Et SENECÆ, *&* TACITI, *viua & imago* TITI.

Tumulus eiuſdem.

LIPSIVS *ille iacet, ſimul &* CONSTANTIA *in illo,*
SVADA*que, &* HISTORIA, *& priſca* SOPHIA *iacet.*

Chronographicum.

LIpsIVs, heV, perIIt: qVId flet? ſCILICet ILLVd,
Lege noVa Vt dIſCas tV qVoqVe Phœbe MorI.

Maxæmylianus Vriendtius
V. G. à Secretis.

In IVSTVM LIPSIVM.

Voce, manu, vitâ, ſtudium tibi maxime LIPSI,
Perpetuò cunctos erudiiſſe fuit.
Et ſtilus, & mores non paucis vnde nouati
In melius; placuit queis tua ſcita ſequi.
Vnum vtinam accedat! ſic vt te nempe ſequantur
Omnes in priſcâ Relligione ducem.

In pennam LIPSI ad aram DIVÆ HALLENSIS.

VIRGO *parens, Hallis celebris, donaria templi*
Multa tholo pendent & pretioſa tui.
Penna locum at LIPSI *tenet inter ea inclyta primum,*
Cui conferri aurum, gemma nec vlla queat.
Gemmæ æuo pereunt, æuo conſumitur aurum,
Penna viri docti ſemper honora manet.

Ad

Ad LIPSIVM ſuper DIVÂ ASPRICOLLE.

Qui calamo HALLENSEM *produxſti tam benè* DIVAM,
SICHEMIENSI *itidem*, LIPSI, *age pegma ſtrue:*
Nec moueare, pium hoc opus etſi rideat amens
Impietas. honor eſt diſplicuiſſe malis.
Riſit inante ARCAM *ſalientem* DAVIDA *Michol;*
Ille tamen laudem, dedecus ipſa tulit.

Tumulus LIPSII.

Hoc tegitur corpus Magni ſub marmore LIPSI,
Sed tegitur nullo viuida fama loco.
Quo moriente dedit gemitus SOPHIA *alma, ſibíque*
Supremum metuit triſtis adeſſe diem.
Quiſquis ades, benè dic cineri, benè Manibus opta:
Primorum primum non coluiſſe, nefas.

Numerale.

SoL tVVs, heV, CasV defeCIt BeLgICa LIpsI;
PerpetVò fVLgens LVX taMen Inde VIget.

Aliud.

LIpsIVs hIC sItVs eſt, fLos BeLgICæ & orbIs oCeLLVs.
ManIbVs eXoptet qVIſqVe qVIeta pIIs.

Aliud.

LIpsIVs oCCVbVIt DeLI sophIæqVe ſaCerdos.
LVgeat hIs dIVIs qVIsqVIs aMICVs adeſt.

Aliud.

QVò rVat InfeLIX eX oMnI, heV! BeLgICa parte?
InVIdIa fatI LIpsIVs eCCe IaCet.

Ius laude coronat.

LIPSIVS *è cęlo in terram deſcendit, & idem*
E terrâ in cælum ſeſe iterùm recipit.
Deſpicit inde hominum curas ſublimis ab alto:
Nos illum è terrâ ſuſpicimus miſeri.

Giſ. Bultelius Clytius.

I.

Viderat eniſam priſcæ ad faſtigia famæ
Fors Romam vnius ſubſidio calami:
Vidit, & inuidit; rabidóque accenſa furore
Effudit querulo talia verba ſono:
Ergo Vrbem erectam mihi tot ſęclisque viriſq ue,
Vna manus orbi tam citò reſtituet?
Ergo Vrbem euerſam mihi tot ſęclisque viriſque,
Vna manus orbi tam citò reſtituet?
Ætatem ergo ferent meliùs quàm marmora chartæ?
Artificem perdam: perdere opus nequeo.
Dixit: & in LIPSI *contorſit viſcera telum.*
Ille cadit; lapſi ſtant decora alta tamen,
Roma vetus, Regumque animis præcepta regendis,
Et quæ inconcuſſum triſtia ferre docent.
Dignum illi ſi grata voles dare Roma ſepulchrum,
A tumulo ad vitam te reuocata dabis.

I I.

Quidquid in vnum acti dederunt tibi Roma, Quirinus,
Æmilij, Decij, Scipiadæ, Fabij:
Quod Curius, quod Fabricius, Brutíque dedére,
Reddidit hoc vnus LIPSIVS *omne tibi.*

Gallia

Gallia te læſit ſtantem; ſed Belga Camillus
Collapſam in formam reſtituit veterem.

Thomas Seghetus Britannus
Præceptoti optimè merito P.

I.

Doctorum ſidus, BelgI decus, orbis ocellus,
Deliciæque hominum, deliciæque Deûm,
Omnia terrarum famâ complexus, ad aſtra
LIPSIVS *hinc abijt; iámque Deum ore bibit.*
Creſcere non potuit per totum diditus orbem:
Quo creſcat, tantùm cœlum erat; hoc adijt:
Illuſtrésque Animas inter, Diuósque receptus,
Nectare & æternis paſcitur ambroſijs.
Exuuijs Animi poſuit Meminerua trophæum,
(Haud buſtum) quod non atteret vlla dies.
Cuî gemina Heſperia, & Celtæ, & Germania, & Angli,
Et quidquid terræ ſol videt, inuideat.
Quare ſollicitas Elegeïa ſiſte querelas;
Præficáque hîc nullas elicito lacrymas.
Nemo ferat planctus, aut ſingultantia verba,
Miſtáque mœſtis ſuſpiria cordolijs;
Ni qui Virtutem & Doctrinam ſplendidum inane,
Nósque immortales morte perire, putet.

I I.

Dum vegrande Animi bellum componit, & vſque
Conſtanti ſortem robore ferre docet;
Omnibus obijciens aduerſis pectus ahenum,
LIPSIVS, *hæc* * *libro verba ſuprema dedit:*

* De Conſtantiâ capite vlt. verſu vlt.

 Iure

Iure ego nunc acclamem: Ἔφυγον κακὸν, εὗρον ἄμεινον.
Effugique malum (DI!) reperique bonum.
Scilicet ille Deo plenus, certusque futuri,
Non potuit ſeſe fallere, non alios.
Vt dixit, cecidit. fugit mala, gaudia nactus,
Nunc cælo magnus, magnus vt antè ſolo.

Æternæ ſummi Viri Memoriæ
Teneræmondæ poſuit
Dauid Lindanus Gandauenſis.

Ad Litterarum Conſultos, aut candidatos.

Cum Phœbo & Muſis nuper quicumque ſoletis
Contrahere, & iuſto dona frui titulo;
Parcite, vos moneo (niſi ſi irrita dona placebunt)
Abs illis poſthac aut cupere aut capere.
Nam ſine nil poſſunt tutore auctore Camœnæ:
LIPSI, *pupillis tutor & auctor eras.*

Gaugericus Riuius.

Ordine poſtremus, LIPSI *doctiſſime, ſcribo;*
Etſi inter primos primus amore fui.
Ingenium colui, doctrinæ lumine clarum:
Vtraque condecorant munera, Vita, Fides.
Roſtra carent linguâ, Facundia Principe, ſummo
Præceptore Scholæ, priſca caterua Duce.
Sed tua ſupplebunt tantam monumenta ruinam,
Quæ mille egregijs anteferenda libris:
Calcitrat in ſtimulum, dum te petit inuidus ore:
Nam te laude homines, luce Deusque beat.

Richardus Stanihurſtus
Hibernus Dublinienſis.

ERYCI PVTEANI IN IVSTVM LIPSIVM PIETAS, BREVI NENIA expreſſa.

Lætam, Muſa, Lyram doloris udo
Conde murmure: Tibiámque prome
Aptam lugubribus Sacris, modisque.
Gratæ nunc PIETAS *obire mentis*
Suadet officium, FIDESq; *ſuadet;*
Mœſtâ Voce, Stilóque. nam ſuëtas
Odit delicias Loquela; amatas
Odit delicias Tabella, & hornis
Vrgetur lacrymis. nec ſunt Loquelæ
Iſtæ deliciæ, nec ſunt Tabellę
Iſtæ deliciæ: at Feraliorum
Atrâ imagine vulnus, atque funus
Heu! magnum, miſerum, atque luctuoſum
Hęc Tabella refert, refert Loquela.
IVSTVS LIPSIVS *occidit, virorum*
Ille Maximus Optimusque; Muſæ,
Et Suadæ, & Sophiæ decus vetuſtæ;
Jlle MORIBVS *inclytus* VETVSTIS:
Orbum lumine qui reliquit orbem,
Orbum numine qui reliquit orbem.
Lumen nam fuit ille Litterarum,
Numen & fuit ille Litterarum:
Ipſe, Muſa, Minerua, Suada, Apollo:
Heu! THALESq; *meus, Paterque ſancto*

Doctrinæ

Doctrinæ melioris inſtituto.
Duram ô præcipitis neceſſitatem
Fati! quæ violenter æuiterni
Carpit exuuias Viri Deique,
Carpit exuuias mei THALETIS.
Quis deſiderio pudor modúſve
Tam cari capitis, Viri Deíque,
Tam cari capitis, mei THALETIS?
Largo proluitur dolore pectus,
Largo proluitur dolore cera;
Et ſulcos tremuli ſtili, frequentes
Preſſi ſtillæ animi replent, PIVMq́;
Laborem violant. Quid ergo? ceſſo:
Nec totum Tabula hauriet dolorem.
Vos mecum querulam mei SODALES
Vocem fundite, quotquot eſtis, omnes:
IVSTVS LIPSIVS *occidit, virorum*
Ille Maximus Optimúſque; Muſæ,
Et Suadæ, & Sophiæ decus vetuſtæ.

Ad Maximum Æmylianum Vriendtium, de Morte C. V. IVSTI LIPSI.

E*cquis*, MAXIME, *quis modus dolori?*
Quis finis lacrymis Simonidéis?
Quæ torrentibus ambulant per ora
Inſolabiliter, cadúntque guttis
(Heu!) vegrandibus ac perennè denſis.
Buſta LIPSIA, LIPSIOS *amores*
Vſque & vſque ſonas; & vſque & vſque
Ocellos nebulas, & inquieta
Longo pectora concoquis dolore:

Mox

Mox deſioculusque lacrumando,
Et deſianimus dolendo fies.
Quare deſine, quæſo, lacrymarum;
Ecquid te teris, ecquid emedullas?
Iuit LIPSIVS, ibimusque cuncti.
Si probus fuit, & fuit pudicus,
Nec vanus Heliconidum Sacerdos,
(Sed probus fuit, & fuit pudicus,
Et ſanctus Heliconidum Sacerdos)
Iam nunc ſidera calcat, & ſuperbum
Felix ſub pedibus terit Olympum.
Quare ſit modus improbo dolori,
Et iuſtas lacrymæ audiant habenas:
Iuit LIPSIVS, ibimusque cuncti,
Mori Chriſticolis pijs, probisque,
Non eſt, crede, perire, ſed præire.

B. B.

Ad eumdem Max. Vriendtium de Cl. V. IVSTI LIPSI ſcriptis.

IVSTORVM *amantur* LIPSANA
Si buſta quæ fallunt nigra;
Nos IVSTI *amemus* LIPSANA,
Poſt fata quæ liquit ſua.
Sed LIPSII *quæ* LIPSANA?
Chartæ diſertæ, MAXIME,
Chartæ elegantes, maſculo &
Chilonio ſcriptæ ſtylo,
Zenonióque pectore;
Nec inficetæ ceu Baui,
Aut caprimulgi Mæuij;

I Sed

Sed vel Maronis auribus
Vel Tullio dignæ legi;
Graio ſalino, & Italis
Tinctæ affatim leporibus:
Quas docta Carmentis ſuas
Non nôlit, & Plato ſuas;
Quas cana pennipes Anus
Dea Centilinguis prædicat
Poſt æra victuras diu,
Libanitidéſque poſt cedros.
I nunc maligne LIVOR, *i,*
Vbi æra fulua triueris,
Duráſque roſeris cedros,
Tum LIPSIVM *rodas licet.*

B. B.

In funere IVSTI LIPSI V. C. Threnodia.

Quem Phœbus citharæ decus,
Quem Pallas ſoboles clara Dieſpitris,
Et diuina Themis virum
Naſcentem placido lumine viderant;
Nunc mœſtis querimonijs,
Functum ſolliciti (non ita creditum)
Ne quidquam repetunt Deos.
Et ſerò queridos ingeminant ſonos:
Orbis Gloria concidit
IVSTVS LIPSIVS. *heu! parcere neſcia*
Clotho, quid reſecas colum?
Orbem quid ſolito lumine detegis?
Et quem Muſa vetat mori,

Famoſuſ-

Famoſuſque labor; illaqueas tuis,
Eheu! inuida caſſibus?
Multis ille quidem flebilis occidit:
Nulli flebilior tamen,
Phœbi delicium quàm tibi Grudia
Tellus. quæ modò LIPSIO
Ornata, emerito ſidera vertice
Tangebas duplicis poli,
Dum docta irriguo LIPSIACI *è penu*
Hauris flumina pectoris.
Hinc te ſerus Iber, te Rhodanum bibens
Rhenumque, & Latium potens,
Certabant paribus viſere greſſibus:
Quos LIPSI, *velut inclytus*
Amphion lapides, doctiloquus ſonus,
Et traxit calamus frequens.
Sed nunc Muſa pijs deſine fletibus,
Et fruſtrà prece lugubri
Sublatum ex oculis poſcere LIPSIVM.
Non ſi Calliopæ genus
Orpheus contigerit Threïciam chelyn
Threſſæ ſub Rhodopes iugis,
Parcarum laqueis expediet caput.
Illum Regia nobilis
Succinctum viridi tempora germine
(Quod curæ vigiles diu,
Et ſincera Fides promeruit) ſacris
Adiungit Superûm choris.
Hîc Cæli proceres, hîc Triados decus,
Et quæ condita tegmine
Suſpexit cupidâ mente Sophos, videt
Pulsâ nube beatior;

Et nos iam memori numine protegit,
Quos curæ variæ premunt,
Donec ſors eadem tranſuehat ad Deum.

Parentabat L. M.
Laurentius Beyerlinck Antuerpianus.

GIS. BVLTELIVS CLYTIVS IANO LERNVTIO, De obitu C. V. IVSTI LIPSI.

Audeámne LIPSII *vmbras verſibus Trochaïcis,*
Belgicæ in luctu calente, Iane docte, proſequi?
Luctus eſt grauis, Trochæi ſunt leues; non conuenit.
Publico ergo in dolore conticeſcam? Non queo.
Sed tibi, tuóque linquens Vrientio graueis tubas,
Bella queis cruenta Regum detonantur fortium,
Si Trochaïcis minutis ego viciſſim ſuccinam,
Non viri iraſcentur vmbræ: verùm vt in concentibus
Muſicis diuerſa vocum conſonant diſcrimina,
Nec minus remiſſa, quàm contenſa, laudis obtinent;
Sic meis nugis futurum ſpero: nec Manes pij,
Anſerem tot inter vnum ſtrepere olores, abnuent.
Belga quis verus taceret, occidente Belgicæ
Luce? quis genas habere in funere hoc ſiccas queat?
Funebris lamenta leſſi voce nemo flebili
Non canat, ſeu Flander ille, ſiue Brabantus ſiet,
Seu VValachrus, ſeu Batauus, ſiue Regi pareat,
Seu Iugum boni PHILIPPI *pertinax excuſſerit.*
Aurea eſt audita cunctis vox diſerti LIPSII:
Nulla tam remota gens eſt, LIPSIVM *quæ neſciat,*

Non honoret, non adoret, ſæculi ſui decus.
Alitem miramur omnes, in Sabæis montibus,
Vnicum ex ſuis renaſci cineribus: vtinam Dei
LIPSIVM *ex ſuis renaſci cineribus dent denuò!*
Conferat libenter omnis orbis ad tumulum ſtrues,
Fiſtulam ſuauè olentem, cinnamum, atque aromatum
Quidquid æſtuoſus Indus, Perſa quidquid colligit,
Quidquid aut Panchaïa thuris, mollis aut Arabs habet:
Quæ ſuo incendat calore Apollo Pandionius,
LIPSIVS *Phœnix nouellus Belgicæ vnde prodeat.*
Sed mouere vota Diuos non valent; inamabilis
Parca cùm ſemel caducæ fila vitæ inciderit,
Phœbus ipſe homines ab Orco non queat reducere.
LIPSIVS *ſibi ſed ipſe conſulit benè, atque apud*
Poſteros nomen perenne parat, & æternum decus,
Nulla quod minuere poſſit Parca, nulla iniuria
Temporis delere, quin ſuccreſcat, atque floreat
Indies magis magisque. Sola vel CONSTANTIA,
Omnibus tranſlata linguis, omniúmque calculis
Adprobata, nomen eius, ære quouis firmius,
Donat immortalitatis æuiternâ gloriâ.
Quiſquis hanc legit, ferendis rebus aduerſarijs
Fortitérque, alacritérque, ſtrenuus ſe comparat:
Nec timebit, fractus orbis ſi ruinâ concidat:
Par ſibi vnus, integérque, totus imperterritus,
Intus inuictus, forisque. Nec libris conſtantiam
Prædicauit, ſed reapſe LIPSIVS *conſtantiam*
MORIBVS *fidéque* PRISCIS *ſemper ipſe exercuit,*
Publicè, priuatim, vbique. Haud diffitentur æmuli,
Non priùs dictus Batauus, non obeſus VVeſtphalus,
Qui virum vidére fortem, & prorſus immutabilem,
Nec nouam ſequi, inter ipſos tot Nouatores, Fidem.

Cetera eius ſcripta quis non vnicè admirabitur,
Plena ſucci, plena mellis, & vigoris maſculi?
Cuncta ſunt neruoſa, cuncta plena ſunt myſteriis.
Ille namque antiquitatis adfluens armarium,
Quidquid abſtruſum & remotum in litteris bonis fuit,
Protulit nobis in vſum, & publicauit omnibus.
Iam tacent Muſæ Latinæ, conticente LIPSIO,
Luget & Parnaſſus ipſe, Gratiæ afflictim dolent:
Ipſe ego, vidiſſe numquam LIPSIVM *cui contigit,*
Totus ah! mœrore tanti in morte tabeo viri.
Nemo non amuſus, excors, blennus, atque barbarus,
LIPSII *dolere morte non poteſt vel maximè.*
Sed neceſſe cùm ſit omnes emori, qui naſcimur,
LIPSIVS *mortalitatis ritè curſum exegerit,*
Laude ſummâ, ſummo honore; quem locum adſignauerat
Rex ſupremus, iſte noſter optimè curauerit;
Inuidere non decebat parta ei ſua præmia,
Quando iam menſis Deorum gratus hoſpes accubet,
Nectar Ambroſiámque paſcens, cum beatis mentibus.
Imperator euocauit, ſponte paruit ſuâ:
Fata duxerunt volentem, non coëgerunt ſequi.
Lux beata, æterna, luci luceat Belgî vnicæ.

ΙΟΥΣΤΟΥ

ΙΟΥΣΤΟΥ ΛΙΨΙΟΥ

τῶν βασιλικῶν διδασκάλων ἐλλογιμωτάτου
καὶ ἐνδοξοτάτου

ΕΠΙΤΑΦΙΟΝ.

ΛΙΨΙΟΝ ὡς ὀλοῷ μοῖρ' ἔσβεσε γήραος οὐδῷ,
Γυμνήτην Μούσαις ἐκπονέοντα βίον·
Δάκρυα θερμὰ χέουσ' ΕΡΑΤΩ, κόνιν αἰθαλόεσσαν
Κάτθετ' ὑπὲρ κεφαλῆς, καὶ τόδ' ἔειπεν ἔπος·
Ὦ πόποι! ἦ Φοίβου τελετὰς μέγα πῆμα ταράσσει,
Καὶ ῥόον ὑψιπέτης ὃν ποτ' ἔκοψεν ὄνυξ.
Οὕνεκα θαυμασίην βιότου νῦν κάλλιπεν αἴγλην,
Ὃς λάχε πλουτίης δῶρα διδασκαλίης·
Καὶ μέλι θελξινόου Πειθοῦς σὺν χάρμασι δρέψας,
Πιερίδων σοφίην εἰς κύκλον ἡρμόσατο.
Ἦ μάλα ζῶν διάγει· οὗ πλοῦτος φαίδιμον εὖχος
Οὐρανίοις ἤδη ἀμφιβέβηκεν ὄρεις.

V. C. IVSTI LIPSI

Regiorum Interpretum eloquentiſſimi
& præcellentiſſimi

EPITAPHIVM,

expreſſum ad verbum è præcedenti Græco.

LIPSIVS *vt ſenij cecidit ſub limine crudo,*
Exercens Muſis acrius ingenium:
Tunc ERATO *fundens lacrymas, candente fauillâ*
Oppleuit crines: hæc quoque triſtis ait:

Quàm

Quàm grauis hic caſus Phœbi heu myſteria turbat!
Quáſque volantis aquas vngula fôdit equi!
Deſiit ætherea quoniam nunc veſcier aurâ
LIPSIVS, *omnigenâ Palladis auctus ope.*
Qui toties hilaris guſtato nectare Pithus,
Piërium ſtricto clauſit in orbe Sophos.
Imò exſultat agens vitam: cui didita fama,
Iam cæli geminum preſſit vtrimque latus.

Sebaſtianus Rolliardus.

ΑΛΛΟ.

Ὦ ξένε, τύμβον ὅταν ἐφορᾷς τὸν ἀγαυὸν Ἰούστου
Λιψίου, ὃς σοφίας τῆς ἱερῆς φάος ἦν·
Ἡδυεπεῖ τε νόῳ θνητοὺς νίκησεν ἅπαντας,
Ἔν τε λόγοις πεζοῖς, ἔν τε λόγοις μετρικοῖς·
Τόν τ᾽ ἄγε τύμβον ἅμα Ῥώμης ἐπίβλεψον ἀνάσσης,
Μοῦνος ἑὴν ἀνέγειρ᾽ ἐκ ῥυπαρῶν κονίων.
Αὐτίκα τὸν γ᾽ ὅσιον Σοφίας ἐπιδέρκεο τύμβον,
Σὺν γὰρ ἀποθνήσκει στήθει Λιψιάδου.
Οὐκοῦν δακρυχέων τε καὶ ὄλβια εὔχεο πάντα,
Καὶ λέγε· φεῦ, ὁ μέγας Λίψιος ἐξέθανεν.

Idem Latinè.

Hunc IVSTI LIPSI *tumulum quando aſpicis hoſpes,*
LIPSI, *qui ſanctæ ſplendor erat Sophiæ:*
Qui dulci eloquio mortales vicerat omnes,
Seu vis arte chori, ſeu cupis arte fori:
In tumulo hoc, tumulum Romanæ conſpicis Vrbis,
Namque eius ſtudijs nunc rediuiua nitet.

Quin

Quin etiam hoc tumulo Sapientia conditur alma:
Pectore cum LIPSI *hanc interiiſſe puta.*
Funde igitur lacrymas, felicia cuncta precatus:
Et dic; Heu! Magnus LIPSIVS *occubuit.*

Simon Bircouius Polonus.

ΑΛΛΟ.

Οὐκ ἔτι θελγομένην ἄξεις νεότητα, Δίκαιε
Λίψιε, οὐ πόλεων αὐτονόμους ἀγέλας.
Οὐκ ἔτι κοιμήσεις πολέμων βρόμον, οὐχὶ χάλαζαν
Πετροβόλων λέξεις, οὐ Σενέκου πραπίδας.
Ὤλεο γάρ· σὲ δὲ πολλὰ κατωδύρονται μαθηταὶ
Σαρματικοί, ἔξαρχος δ᾽ ἔξοχα Περχίνιος,
Μυρόμενος κήρυκ᾽ ἀρετῆς, γλυκερὸν στόμα κόσμου,
Χρυσολύρης μούσης ἠόν᾽ εὐστέφανον.

Adamus Fabianus Bircouius Polonus.

ΑΛΛΟ.

Τύμβον ἐμεῖ᾽ ὁρόας; θάρσει ξένε, ἥσυχος ἐμμί.
Ἄσσον ἴθ᾽· οὐ θρήνοις αἰτέω, οὔτε γόον,
Πρήξεσιν ὡς τ᾽ ἀρετῇσι θεοῖς ἐναρίθμιος. οὕτως
Ἡ χάρις οὐρανίη ὀλβοδότειρα σοφοῖς.

Lucas VVyngaerdus.

ΑΛΛΟ.

Σμικρὰ κόνις ταύτη ΛΕΙΨΕΙΟΥ λείψανα κεύθει·
Κόσμος ὅλος φήμη σμικρὸς ἀπειρεσίῃ.

Petrus Pantinus.

Anagrammatiſmus.

IVSTVS LIPSIVS.

PIVS STILI VSVS.

Non te ſola Themis decorat, non ſola Sophia,
Sola nec Aonijs Pallas amata viris;
Sed magè te Pietas cælo gratiſſima LIPSI,
Et ſincera beat cum Pietate Fides.
Hinc Mentiſque STILIque tibi PIVS VSVS;& almæ
VIRGINIS hinc ſcriptis facta ſtupenda tuis
Excipis,& calamo tradis memoranda fideli,
Quæ vigiles Hallæ,Collis & aſper habent.
Iure igitur ſuperâ Diuorum ſede receptum,
Te lateri VIRGO iungier alma cupît.

Laurentius Beyerlinck Antuerp.

Alius.

IVSTVS LIPSIVS.

IPSVS 'ST LIVIVS.

LIVIVS IPSVS eram,ſed littera defuit vna,
Heu nimis atroci littera rapta manu!
Nam roſei primas vt carpſi luminis auras,
E mihi ſurripuit de tribus vna ſoror:
De tribus vna ſoror,furuâ quæ nocte creatæ
Ducunt barbatâ noxia fila colo.
Surpuit heu!& certa fides:Euroſtia namque
Inde fuit puero duraque diua ſeni.
Illa meum limen ter deſpuit,illa penates
Sardoi duxit ſideris eſſe meos.
At ſatus Iapeto,ſi de meliore metallo
Finxiſſet fabrâ LIPSIA membra manu,
Si melior ſanguis fuerat, ſi longior ætas,
Nec mors Pegaſeo tam properata gradu;
Quod mea ſcripta docent, Muſeaque turba fatetur,
Ipſe adeò Liuor;LIVIVS IPSVS eram.

Franciſcus Sweertius F.

IN HÆRETICVM LIPSIOMASTIGEM:

Ad Carmen quod edidit anno M. DC. VI. ſuppreſſo nomine: cui titulus,

MANES LIPSI ad Studioſam iuuentutem.

Egregiam laudem! dente inſultare procaci
Mortuo, & in tacitum iaculari crimina pectus;
In cineres ſæuire leues, & morſibus vmbras
Impetere, & ſtolidè pugnam miſcere ſepulto.
Quippe ſolent roſtris lacerare cadauera Corui,
A viuis fugiunt, abeuntque per alta, nec audent
Pungere, vbi pœnis metuunt vltricibus iras.
Sic quoque coruizas, dum Manes, Zoïle, LIPSI
Rodere poſſe putas, & inultos ferre cachinnos.
O vtinam in viuis & ſoſpes LIPSIVS *eſſet,*
Quàm foret optatum, collato Marte videre
Cum ranâ certare bouem, cum mure leonem?
Quàm te vel minimo immotus diſcerperet vngue,
Momentóque tibi malè olentia tunderet ora?
Sed quid ais? quid nugaríſve? tibi impius, excors
LIPSIVS *ille fuit; quòd ſcriptis edere* CHRISTVM
Non ſtuduit: potuiſſe tamen res prompta fateri:
Inſtituit mores, priſcis à moribus; illis
Qui CHRISTVM *numquam nôrant auctoribus vſus.*
Sic licuit: ne crede nefas, deſumere lucem
Exemplis monitiſque patrum, quos cæca vetuſtas
Excluſit ſacris vndis & nomine CHRISTI.
Nec quoque (quod fingis) Lutheri dogma ſecutus
Caluiníve luem: ſcelus hoc in pectore tanto

Non ſtetit. Haud illi Batauûm conſortia virus
Aſperſere intus: verùm incorrupta remanſit
Mens veteres amplexa vias, nil excita fucis.
Vobiſcum, numquam veſter: licet arte putetur
Stultitiam ſimulaſſe loco, quò tutiùs iret.
At Statuas (inquis) multùm veneratus, honorem
Idolis dedit, ipſe aliis vt gratior eſſet.
Sic bellè hæreticus mordax: ſic inuida Dæmon
Corda malus ſtimulat, quia ſcripto VIRGINIS *almæ*
Intactæque Dei Matris miracula panxit.
Ecquis ita inſanus, Numen qui cogitet vllum
Includi ligno? quantumque ab imagine diſtet
Res ipſa, ignoret? ſtatuis non cultus habetur;
Quod cælo viuit colimus, non ſtemmata nuda.
Sed quid opus verbis? ſcitis: licet ore petulco
Nos falſi inſimulet, falsò, gens æmula falſi.
Non ergo Idolis ſeruiuit LIPSIVS *atris,*
Dum caſtas aras viſit, dum templa MARIAE
Pronus adit, ſupplexque dicat ſacratque labores.
Non ita, quòd TullI voces & cola reliquit;
Non ita, quòd Plautus placuit, feſtiuus & Vmber;
Non quòd Caſtalides ſonet & Phœbeïa dona;
Credo animos ſtringit: quàm quòd toti explicet Orbi,
Munifico quæ facta Deo VIRGO *edidit* HALLIS;
Quæque recens natura ſtupet, dum COLLIS ACVTI
Adiutrix populi decorat loca deuia Mater.
Hoc premit, hoc vrit, diroque ad viſcera telo
Figit, & ad tantos linguam obmuteſcere teſtes
Compellit, verum & tenebris dat noſcere lumen.
Et tibi, quòd ſcriptis voluit ſudare prophanis,
Nec Bibliis animum dedit, (vt vos turba rebellis
Illotis manibus) diuini Iudicis irâ

Cen-

Cenſetur dignus. Vah, quàm te fallit imago
Vana & egens recti? Sacris ſi ſacra reliquit,
Quis iure inuideat? proprij ſua quiſque talenti
Proferat, alterius nec amet præcidere meſſem.
Sed vos inſulſi, ingenio pulſante ſuperbo,
Omnia libratis, ſanctique oracula CHRISTI
A veſtris conſtant, vel ſquallent irrita ſenſis.
Amentes tumidique nimis! Prudentior ille
LIPSIVS, *ille, oculos acres cui dîa Minerua*
Vnxerat, atque adytis dederat ſeſe indere Patrum:
Vidit, luſtrauit, nouit, tenuitque quod olim
Relligio, impræſenſque tenet, non mota ſequelis
Erronum, firmata Dei benè conſcia verbo.
Hanc coluit viuens, moriensque profeſſus: & altâ
Mente Deum CHRISTVM*q́; ſonans, ſanctè horrida mortis*
Spicula contempſit, cælúmque ambiuit anhelus.
Incaſſum clamas igitur mi Zoïle, & auras
Veſtra leues inuiſa quatit tunditque Camœna:
Sed facile eſt, armis contectum, inuadere inermem.
Carpere, quod præſtare nequis, pigeat; pudeátque
Abſenti conferre manus, & fingere Manes
Mentitos, vt falſa notet tua dicta iuuentus.
Vos Iuuenes, queîs cura ſacris incumbere Muſis,
Et patriæ prodeſſe ſemel; nil candida liuor
Terreat ingenia, aut odijs trahat aſpera LIPSI.
Si ſtudijs licet eſſe pares, ſi moribus illi
Nuſquam diſſimiles virtus pietáſque probarit;
Egregiè impenſos nemo non iudicet annos,
Et meritam patria imponat cum laude coronam.
Ergo tace, aut abeas infelix Zoïle, & antra
Per Stygia incede, inque vmbras iniurius eſto
Tartareas: namque æternus quas ſeruat Olympus,

Veſtra nihil maledicta mouent, nil lædit amaror.
At ſpecta: fortaſſe breui tibi luxerit hora
Suprema, vt Stygias meritò detruſus in vndas
Cum Plutone ſatis rixeris vel Rhadamanto:
Vel cum Caluino diſceptes, an tibi pœnas
Iniuſtè infligat Vindex Deus, auctor (vt ille
Inſanit) vel cauſa mali, vt te crimine purges.
Vade, age: mordaces inferna palatia Coruos
Exſpectant: ſuperâ puræ ſtant arce Columbæ.

P. Numan Bruxellenſis.

CONTRA EMENTITOS MANES IVSTI LIPSI.

Rurſus in exſtinctos pugnat furialis Enyo
Inuidiæ flammis, odijsque calentia iactat
Fulgura, & in Diras Leſſos, Epitymbia mutat
In Satyras, placidósque vetat requieſcere Manes?
Nullus honos tumulo, nec leges funere merſis
Pacis erunt, niſi buſta priùs reuocatus ab Orco
Vectius, & patrios cineres violarit aratro?
Aut te Tulle ſuper pauidis equitare quadrigis
Auſa ſit, & refugos ſtimulis vrgere iugales
Filia? Syllanus niſi ſe furor vndique prodat,
Feralésque inter miſſus truncata reponat
Tempora, ſpirantes paſcens Antonius iras?
Saucia Romanæ niſi ſit facundia linguæ
Femineis iaculis, ſpinasque per ora diſerta
Tranſadigens, functis maledicere Fuluia diſcat?
O fecunda malis ætas! ô ſæcula culpæ
Æmula! vix IVSTI *pernerat ſtamina Clotho,*
Et doctam LIPSI *Grudium tumulauerat vrnam:*

Mox nouus exoritur Cambyſes, cæde parentat
Funereâ, rupto inceſtat polyandria cippo,
Scrutatúrque ſolum, tumbiſque recondita vellens,
Relliquias calamo mendaci & buſta flagellat.
Nec cæſo cecidit tumulo furor. ima ſubintrat
Tartara, Cocytique lacus, & vincula ſoluit
Cerbereis aptata iubis, Minoïa cudit
Supplicia, vt Stygijs animam transfigat in vndis.
Quò Pudor & Pietas abiêre! Superſtite, LIPSI,
Te, Sophiæ Regem Doctorum exercitus ambit,
Te circum gyrat, tua vel veſtigia lambit,
Et ferulam cùm fortè feris proſtratus adorat:
Numen eras, tantùm ſi tus fumaſſet in arâ.
Tam citò funeſtis cur grandinat inuida probris
Turba? vel in doctas deſpumat ſepia chartas
Illuuiem? leuis eſt Conſtantia? viuere Reges
Dedocuit iuſtumque ſequi? cur mortuus intras
Atria Perſephones, & te Phlegethontius amnis
Vorticibus, furuáque Hecate demergit abyſſo?
An quia Parthenias vulgauit pagina laudes,
Virgineóque appenſa tholo teſtatur arundo
Quòd Ieſſæa tuas Virgo poſſederit ædes?
An quia Stigmaticum ſordet tibi dogma, nec vllâ
Parte loces cæli, quos exſecranda cuculli
Et priſcæ Fidei deſertor ad auia traxit?
Hæc ſeges inuidiæ eſt, hinc pullulat atra venenis
Silua, nec inſonti demens audacia parcit.
Frendeat hæreticus, iaculetur faucibus ignes,
Veſpillo flammis reſeret monumenta ſilentûm,
Lethæiſque vadis conſcriptas extrahat Vmbras:
Non cadit à iaculo, nec peruia pectora telis
IVSTVS *habet, Latiæ fidei quem protegit vmbo,*

Inſe-

Inſeruitque aſtris Virtutum exculta propago.
Ille ſuper Solis radios euectus, & orbes
Æthereos, vbi purgatis ſe mentibus indit
Numen, Auernali numquam flammabit in Aulâ.
Vos, quibus in vitijs anima eſt venalis, & inter
Lenonum vomitus renes nonaria ſcalpit;
Qui pathicas populo ſcenas, & olentia myrtos
Serta datis; quibus eſt vnâ cum coniuge ſpondâ
Flora cubans, renouátque ſenex Ganymedis amores;
Cùm Rhadamanthéum Mors traxerit ante tribunal,
Et culpis grauidos expenderit Æacus annos,
Styx manet. Heu quoties vacuas verſabitis vrnas,
Carnificésque vngues demittet in ilia vultur!
Eia Thyeſtéum germen, Cretenſibus orta
Progenies, laſciuus alens te Spintria luxu
Proſtituat, Dipſas vetitos exſuſcitet ignes;
Cúmque Tigillinos, & molles Gargilianos
Viceris in luſtris, Salpen placauerit aurum
Inceſtas Veneres ne fœta puerpera prodat;
Dic, Stygijs damnatus aquis Plutonia IVSTVS
Regna colit: ſcelus hoc caſtigat torua ceraſtis
Tiſiphone, quòd Diua tuis Ieſſeïa Templis
Vota dicat, cæcáque vetet ſub nocte latere,
Integer effœtos quòd ſpiritus intret in artus,
Coma quòd & Spaſmus vaneſcat, hydropiſis ægrum
Deſtituat, perdat tumidos carbunculus ignes,
Strumoſusque ſenex, & tabe enectus & annis,
Virgineam, vires reparet, dum libat ad aram.
Hem! dignum Phlegethonte nefas! ſi ganea curas,
Ciuis eris cæli; Theſeus ſi ſtringitur vlnis,
Noxa, ait hæreticus, leuis eſt. tibi dira ſepulcrum
Alecto effodiet, Stygiâ tumulaberis vndâ,

Si ſit caſta comes Pietas; ſi credere prælis
Tot teſtata oculis, Mater quæ Diua Tonantis
Sichemios iuxta colles miracula patrat,
Incipias, cultámque Ædem narraueris orbi.
Sed canat hæc ſcurris quibus eſt ſemi-vncia mentis:
Illa catillonum vulgetur ad oſtia lenis
Fabula, cùm plenis eructant Maſſica labris
Baſſarides, paterâſque ſalax dum Mintha coronat.
Quos procuſa recèns numquam ad diuortia duxit
Religio, non anfractus, verùm orbita iuſſit
Regia calcatos Romanis quærere calles
Præſulibus, greſſus ne deuia compita fallant;
Timoleonteas tibi, IVSTE, *per oppida curant*
Exſequias: Marcelle tuis funebria certant
Sandapilis; Syllæ quamuis tria millia ſternat
Lectorum Catulus, Veſtalis baiula portet
Antè pyram, quamuis feretrum bis mille coronis
Condecoret; maiora tuæ conceſſimus vrnæ,
IVSTE: *nec Æmilias tantùm noua funera pompas*
Exſuperant; Sicyone nouant ſolemnia Græci,
Atticáque in Belgas tellus Soteria transfert.
O vtinam Phariæ conſurgeret æmula moli
Pyramis, & Pario cælatum marmore buſtum!
Mauſolea ſuo ſi Cares in aëre tollant,
Et Labyrinthéis creſcant faſtigia tectis,
Illa tuo cineri requiem monumenta parabunt.
Nec lacerata genas, nec tunſis pectora palmis
Præfica mœſta tubis feralia murmura clanget:
Candida ſed totum veſtis cùm texerit agmen,
Docta parentabit tumulo, Sacrisque ſequetur
Poſteritas, vindexque tuam tutabitur VRNAM.

I. R.

PRO MANIBVS

C. V. IVSTI LIPSI

IN ANONYMVM.

Aude agedum galeate lepus te credere campo,
Aude è vepretis monſtrare nitedula dentem,
Aude, Thurinis infamia tempora ſertis
Digna, poëtaſter, frontémque calumniæ inuſtam
Caumate proferre in lucem. Quid cæca timoris
Septa habitans, trepido moliris ſpicula neruo?
Si fuerat tibi tanta fames Eroſtrate famæ,
Si tanta articulis ſuberat prurigo; decebat
Stringere Apollineâ generoſiùs arma pharetrâ
Luce palàm. Sed nunc video, cur nare ſagaci
Exploratricem iubeas præcurrere chartam.
Nempe vt Ariſtarchi iugulentur nugæ obeliſco,
Incolumi iugulo domini. Si quis putat eſſe
Incolumem, tacito quem nunc Metanœa flagello
Dilaniat, talíque obtundit voce ſopores:
Quis te Palladiæ furor oſtentare palæſtræ
Impulit elumbes atque indignante Mineruâ
Procuſos verſus, genio ingenióque carentes?
An tanti fuit, inſano titubante cerebro,
LIPSIADÆ cineres vomitu fœdare probrorum?
Credo equidem non ſat poteras ratione probare
Arcadici pecoris te germine ducere ſtemma;
Ni Phœbum occiduum Belgis, cælóque renatum,
Poſtico, antico, & putentibus excrementis
Magne ſalutares auritæ prodrome turmæ.
Sed damus hanc veniam: iuuet inſultare leoni,
Cuius vel caudæ pilus vnicus, atque iubarum

Terrue-

Terruerant oculos furiæ, dum viuida virtus
Sepiret crates generoſi pectoris. Olim
Therſitem Hectoreo memorant tinxiſſe cruore
Spicula, dum loris Tethidos generoſa propago
Traijceret plantas: qui, dum per tranſtra Pelaſgûm
Spargeret ille faces, volucri pede concitus æquor
Non ſecùs arripuit, quàm ſi Priameïus heros
Calcem calce premens poſtico ſubderet ignes.
Sectari auctoris placuit veſtigia tanti?
Egregiam verò laudem! quâ tendere follem
Poſſis, quáque Thraſo tumidas diſrumpere buccas:
Tamquam aliquâ Manes ſaltem violaueris haſtâ.
Non mihi crede magis, quàm Palladis Ægida vulſis
Enceladus truncis iaculator terruit audax.
Exſiliat quamuis neruo tibi ferreus imber;
Fruſtrà es: Sol ridet minitantem vulnus Atlanta:
Perniciem proprio capiti moliris. Age ergo,
Poplitibus fidas. ſi contrà reſtiteris; te
LIPSIADÆ *terris iam didita fama flagellis*
Proſtituet lacerum populi ſatiare cachinnos.
Sed perſtas: nimis antiquo tibi pectus aceſcit
Fermento, & faſtus ſaturatum fæce tumeſcit.
Dic igitur quínam conſtet, Plutonie verna,
LIPSI *Acheronteâ Manes verſarier vrnâ?*
An tibi Tartareis miſſus Legatus ab antris
Lutheri retulit, quicum modium ſalis vnâ
Conſumpſit quadrâ, cùm dirus Apoſtata fracto
Naufragium fecit morum fideíque cucullo?
At noſti hunc Stygio mendacia ſpargere folle.
Num fors nocte tibi diuinæ conſcia mentis
Egeria applicuit latus? an te Neſtora CHRISTI
Iactas? Hoc tanto quæri molimine rides:

 Non

*Non opus Egeriâ eſt, inquis, vel Phœbade. δῆτα
Signandam euincunt manifeſta piacula frontem.
An non Siſyphio ſaxo multandus, & vndis
Tantaleis, qui Caluini poſt oſcula, póſtque
Lutheri amplexus, defigit baſia plantis
Auſonij Papæ? & deſerto tramite veri,
Errorum præceps deſerta per auia currit?
Ohe, iam ſatis eſt: capio, quâ fronte Draconi*
LIPSIADEN *Erebi prædam obiectare labores.
Mnemoſynen latuit Pſyllorum haud diſſimilis lex:
Quorum ni ſoboles patrium imo corde venenum
Combiberit, ni peſtifero violauerit auras
Afflatu, tenero ſerpentes corpore paſcit.
Hoc tamen expedias, ni ſit graue, belle Sophiſta,
Quid Calui meliore luto probet eſſe refictum,
Lutherique nouos duxiſſe à pollice vultus,
An quòd Palladijs Leidana ad pulpita teſtas
Artibus imbuerit Sophiæque liquore recentes?
At nullo Hæreſeos ſtupro inceſtaſſe Mineruam
Noſcitur. An tali quòd fixit in orbe Penates?
Fixerit. Et* CHRISTVS *Manes penetrauit ad imos:
Tartareíſne ideò pœnam expendiſſe cauernis
Aſtruis? hoc ipſum librâ mihi pondus eâdem
Obtinet: hoc Calui doctis è fontibus hauſtum eſt:
Scilicet illius, decreuerat vlmea cuius
Tergoribus ſylua. O magni doctoris alumnum!
Quæ Stoa ſic animos, aut cote Academia tritos
Exacuit Sophiæ? Verum hic ſtupor omnibus idem,
Quos cæco catulos Gebenna profudit abortu.
At te, ô magne Cato, qui oculo cenſore notaſti
Scripta, reor lemis & Saturni colocynthis
Lippire, in mediâ qui Solem luce requiras.*

Exulat

Exulat è cunctis pietas & cura Tonantis
LIPSIADÆ, *blateras, ſcriptis. Frenare cachinnos*
Quis valeat? Calchanta reum citat impietatis
Tydides: vnco Capaneus trahit Amphiaraum.
At quo teſte probas? Rogitas? ſcripta ipſa loquuntur.
O defiocule! aptares ocularia naſo:
Lumina mox celebrata Crucis monimenta ferirent,
CHRISTIPARÆ*q; decus, cygneâ in poſtuma ſæcla*
Voce ſatum. Hîc rurſus naſo criſpante cachinnos,
Deſpuis in CHRISTI *blaſphemus ſcommata* MATREM,
Quæ pueri explodunt, queis nondum faſcia primos
Permiſit firmare gradus: (ſic ſedula nutrix
Edocet.) O ſteriles veri! quibus vnica Diuûm
Cenſetur pietas temerè impalleſcere ſacræ
Codicibus fidei, ſed quos incude nefandâ
Stigmatias Brontes, aut quos Patriarcha refinxit
Gebennæ, ſolante pios Ganymede labores.
Hinc paſſim ſartor, ſutor, pollinctor, abactor,
Quíque ſolet naphthâ ſtolidè dare verba coronæ
(Cecropiæ quamuis impaſtus ab vbere Diuæ)
Si ingenij tabet venter largitor orexi;
Neſtoreos mox ceu fontes, ſuadæque medullam
Hauſerit, aurito caudam iactare popello
Geſtit, & elatâ prætendens Biblia dextrâ,
Biblia voce crepat, nocturnos Biblia ſomnos
Sollicitant, eadémque die per pulpita vendit.
Plaudit turba: Papè! tetigit rem. quis genuinos
Certiùs hoc ſenſus veſtiget? quis bolide altum
Scripturæ exploret meliùs? quíſnam ambigat, illi
Quin promiſſa animum Diuini Flaminis aura
Imprægnet? nouit pulſu dignoſcere teſtæ
Reſponſum ſolidæ. Riſum teneatis amici?

Et tamen hæc ſcabies morum, velut vnica virtus,
Aureolâ decorat cæleſti tempora, & aſtris
Aſſerit Hæreticos: à quâ dum LIPSIVS *vngues*
Abſtinet; ἄλφ' ἀθέων, & peior Samoſateno
Rhinocerote audit. Sed ſurdâ præterit aure
Cerbeream vocem: & tutus deſpectat Olympo
Liuorem vacuis ſubigentem morſibus auras.
Nil etenim præbent mores, quod rodere poſſit,
Nil monimenta animi, nil culti pectoris artes.
Oblatret licet vſque canis, Tullîque cataſtis
Elapſum incuſet, licuit, ſempérque licebit
Ingenij vbertate frui, dum pilea donat
Doctrina. Excutiat ciuilia lemmata, fingat
Vre, ſeca. nemo, niſi qui nondum æra Seueri
Impendit Thermis, credet. Sit denique hyena,
Chriſtiadum voces imitetur, quo meliùs ſe
Bullatæ inſinuans turbæ, deglubere morſu
Incautos valeat. lunatos pagina dentes
Sanguineámque ſitim prodet. Sic fabula vulgo,
Ludibrium doctis, Cyrrhæque catharma, anathema
Perſephones, tamdiu Diuumque hominumque flagella
Sentiet; inſano donec ſtimulante dolore
Infelicem animam Stygio tranſmittat Aorno.

I. T.

PIO-

PIORVM MANIVM IVSTI LIPSI PROSOPOPOEIA,

impijs Manibus oppoſita.

Ille ego LIPSIADES *, auratis additus aſtris,*
Fulgeo flammifero iam noua flamma polo.
Mânibus innocuis cæli DEVS *annuit arcem,*
Diuorum lætis implicuítque choris.
Et quiſquam Phlegethontéis me quærit in vndis?
Euocat è Stygijs nomina noſtra vadis?
Quiſquam Ixionios mihi deputat impius orbes?
Iaſidúmque vrnam? Siſyphiamq́ue pilam?
Non ita: nec Pyriphlegethonta, nec Orcia regna,
Nec latratorem per tria colla Canem,
Nec vatis Vmbri ſceleratam vidimus vmbram,
Soccatíve ſenis, quem mala rodit auis.
Nam mea cæleſtes tenuerunt lintea portus,
Cùm ſecta Atropeâ ſunt mihi fila manu.
Quæq́ue dies terris me ſuſtulit, intulit aſtris:
Suſtulit vna ſolo lux, tulit vna polo.
Huc pietas, & ſancta fides me Romula vexit,
Nixq́ue animi, & nullo pectora nigra dolo.
Vos teſtor, patrijq́ue lares, paruiq́ue penates,
Et numquam à cunis Iſca tacenda meis.
Nónne meis Genitrix inſtillans vbera labris,
Dum tener, & collo non graue pondus eram,
Sic me lacteolo paſcebat rore, ſacratâ
Vt ſimul imbueret pectora noſtra fide?

Applau-

Applaudunt paruíque lares, dulcéſque penates,
Totáque culminibus annuit Iſca ſuis.
Ergo igitur penitis hæſit mihi fixa medullis
Præbita cum dulci lacte Quirina fides.
Ex illo, & primâ tectus lanugine malas,
Plenior & roſeis cùm fuit vmbra genis,
Fortibus inque annis, & poſtquam grandior ætas
Sparſit honoratas per caput omne niues,
Idem animi, fidei permanſi LIPSIVS *idem;*
Hæreſeôn nullis mens mea capta dolis.
At cùm Belgiacos fremeret tuba rauca per agros,
Et quateret Geticus ſanguinea arma pater:
Heu longùm ſalue atque vale mea Belgia, dixi;
Bellica nunc tota es, Belgica terra vale:
Tum mihi nubiferas fuit impetus ire per Alpes,
Sed furor in Batauo concidit iſte ſolo.
Nec tamen hîc ſtolidos flexi ad noua dogmata ſenſus,
Seu Caluine tuum, ſiue Luthere tuum.
Cælum non animum mutauimus: abdita fibris
Relligio eſt; fibris conſenuítque fides.
Quæque fuit cunis, eadem mihi tradita canis;
Teſtis Lucina eſt, & Libitina mihi.
Vos Grudij hæc colles, Eburonum vos iuga noſtis,
Hîc vbi nil finxi, frónsque retecta mea eſt:
Vidiſtis ſacrata piè delubra colentem
IVSTVM, *& Parthenio ſe ſociare choro;*
Sæpè & Triticeâ verum ſub imagine Chriſtum
Sumſiſſe, & lacrymis non caruiſſe genas.
Quin & quadrifidus cantantem exaudijt Orbis
Nectarea Halliadi Sichemiæque mele.
Quæ nunc & pictus Naſamon tenet, & niger Indus,
Et Syrus, & multi paſtor odoris Arabs,

Quiſquis & auriferam ad Perüam, mundiq́ue teporem
Viuit, & heliacæ feruet ab igne rotæ.
Rumpitur id quidam, & ſæuo torretur aheno
Inuidiæ, buxo pallidiórque gemit.
Rumpere flagitium, cur Orcum inuiſe moraris?
Dira parat capiti Tiſiphonéa tuo.
Quis furor, innocuos LIPSI *ſic vellere Manes?*
Quin ego te! LIPSI *ſed* DEVS *vltor erit.*
O moros mores! ô tempora! crimina regnant,
Tabificus liuor, frausq́ue, nigérque dolus,
Hæreſis, ardor opum, bullata ſuperbia, luxus,
Cretata ambitio, prodigioſa Venus.
Inuidiam patitur, quem multa ars, multáque virtus
Ornat, & obſcuro ſegregat à populo.
Heu rigidi verè ſæcla infelicia ferri!
Sæcula Noæam digna videre ratem!
Digna Gomorrhææ depaſci turbine flammæ,
Et ferrugineâ nocte perennè premi!
Quid DEVS *ô ceſſas? quin tela Typhoëa ſtringis?*
Et rapidum ardenti ſulphur ab axe pluis?
Stringit, & ecce pluit: caue Munde; & te lacrymarum,
Ne malè diſpereas ignibus, obrue aquis.

B. B.

PRO MANIBVS IVSTI LIPSI aduerſus calumniatorem hæreticum.

Qui viuus læſi nullum, vix læſus ab vllo;
Mortuus, Inuidiæ nunc ego dente petor.
Carpere non potuit notos ſine crimine mores,
Non vllâ vitæ labe notare decus;
Carpere non potuit doctos mala lingua labores,
Præclara ingenij tot monimenta mei.

Nunc tamquam Interpres Diuinæ conſcius iræ,
Quæſitórve Vmbris iura ferens Erebi,
Vt deſertorem CHRISTI, *& pietatis inanem,*
Vah! quidam Stygijs me malè damnat aquis:
Plautum inter, Vatemque Vmbrum, iam pendere pœnas,
Præcipiti Iudex futilis ore crepat.
Infelix! qui tam inſano temerarius auſu
Sumat acerba Dei vindicis arbitria.
At mihi quæ rabidus, quæ crimina Liuor inuris?
Abſque Deo, miſerum, quî ſapuiſſe probes?
Siue meam, ſic vt non vno veneat aſſe,
Doctrinam expertem quî pietate probes?
Si laudi, inuentas vitam excoluiſſe per artes;
Si laudi eſt, artes edocuiſſe bonas;
Haud malè promeritum ſcriptis, atque arte docendi,
Me ſtatuent aliquo poſtera ſæcla loco.
Hoc Tacitus, Seneca hoc teſtabitur: ille Auguſtæ
Hiſtoriæ, hic rigidæ gloria prima Stoæ.
Militiâ atque Togâ veteris Miracula Romæ,
Auribus, atque ipſis omnia pænè oculis
Vſurpanda dedi. ſed non inflauimus illi
Claſſica, queîs acui Martia corda ſolent.
Nec Thracas, mediâ dum committuntur arenâ,
Funeſtâ docui tingere cæde manus.
Inſulſus, ſale quoi Plautinum deſipit; excors,
Vel Maurus gratum quoi malè rudit Onos.
Quod iuueni placuit, tu grandi ætate probaſſes
Dicendi preſſum, Marce diſerte, genus.
Bardus Muſaï ſtudium premat antiquaï;
Extollat fatuos Bucco Neotericos:
Et caſcas Blenni Hiſtorias, Criticénque relegent;
Et ſtolidum, in libris menda relicta iuuent.

Me

Me mea præclarum firmæ Conſtantia mentis
Exemplar cunctis gentibus eſſe dedit.
Textáque perpetuo centone Politica, rerum
Theſaurum, & ſeriem, quâ capiaris, habent.
Perfida Caluini, aut ſectatum caſtra Lutheri,
Hæreticus falſò blacterat ore furor.
Seu me Thoringæ ſpectarint mœnia Jënæ;
Seu placida extorrem Leida Batana ſinu
Fouerit, & meritò Doctorem ornarit honore,
Auſpice quo ſtaret artibus aucta Schola;
Ritibus à priſcis, nec mente nec ore, receſſi:
Pagina nec ritus arguat vlla nouos.
Nec pudet Auſonij patris pia ſigna ſecutum:
Nec pudor es, ſanæ Roma magiſtra Fidê.
Vnâ, teſtis erit, de Relligione libellus,
Acre ſtrigil furijs, ô Diodore, tuis.
Quæ nota me Batauis pænè vna remouit ab oris,
Et cupidum Grudijs reddidit vna meis.
Inde liquet, quæ pax Regnis tutiſſima; quæque
Notio ſit tritis vocibus, VRE, SECA;
Et pietas magnis ritè amplectenda Monarchis,
Queîs nil Diuino fas prius eſſe metu.
Quare, apage effronteis, veſana Calumnia, rictus.
Men' iura impoſito ſic temeraſſe pede?
Juſtifico à Labro nomen tibi CHRISTE *profeſſus,*
Te puer, & iuuenis, te coluique ſenex.
Non fuit horrori venerandum nomen IESV,
Nec celebrare ſacræ dìa tropæa Crucis.
De Cruce quæ caſtè nos ſcripſimus; ah! Crucis oſor,
Horruit inceſtâ tangere ſcripta manu.
Dira venenatos ſic ducit aranea ſuccos
Floribus, vnde fauos ſedula libet apis.

Nil mihi cum Muſis & Apolline; nil mihi ſano
Cum Diuûm inſanis, Improbe, numinibus.
Nomina ſi libris, pro re, vſurpata profanis;
Priſco more ferar hos coluiſſe Deos?
Aſt alius male-ſane dolor te Gnoſtice pungit,
Obiectumque tuis cordolium eſt oculis.
Scilicet, eximios DIVÆ GENITRICIS *honores,*
Quas ſtatuas Aſper collis & Halla colunt;
Edita tot Mundo MIRACVLA *teſte, meíque*
Diſpoſta adfabrè dexteritate ſtili;
Hæc vocitas Idola, rudi venerata popello:
Hic labor, hic ſacræ VIRGINIS *vrit honos.*
Nunc qui blaſphemo CHRISTI *petis ore parentem;*
CHRISTI, *age, cultorem te profitere pium.*
Si ſalibus Plautum expreſſi, ſi verſibus Vmbrum,
Ægyptumque opibus ſi ſpoliare ſuis
Contendi, quas ingenijs ad recta colendis,
Quáſque propagandis cum pietate ſacris,
Haud malè ſum (nec mens me læua fefellit) abuſus;
Contemtæne reus Relligionis agar?
Aut, quia doctrinæ tenuit me cura profanæ,
Cenſear à ſanctis abſtinuiſſe libris?
Non quo more tamen temerè in ſecreta ſoletis
Proruere illotis Biblia vos pedibus.
Sunt Phrygibus Myſiſque ſui, ſunt denique fines
Artibus. hæc ſacris Sparta relicta viris.
Sobria Chriſticolæ placuit ſapientia legis,
Quæ Sophiæ ancillæ non neget ire comes.
Degere quæ innocuæ tranquilla ſilentia vitæ;
Quæ ſtrepitum, & mundi temnere vana iuuet:
Quæ dux virtuti (faueat modò gratia CHRISTI)
E terris facilem ſternat in aſtra viam.

Hoc

Hoc ego ſidereâ tibi teſtor ab arce viciſſim:
Si pergas Maneîs ſollicitare pios;
Ni gregis Hæretici deſertis transfuga caſtris
Mox pia Romani ſigna ſequare Papæ;
Frenáque ni linguæ ponas moderata procaci;
Damnandum Stygijs te fore ſemper aquis.

Andreas Hoius Brugenſis, Profeſſor
Linguæ Græcæ Duaci.

Contra ementitos ab hæretico
I. LIPSI MANES
ELEGIA.

Si tibi nunc, LIPSI, mens incola corporis eſſet,
Sola foret cauſæ digna patrona tuæ:
Sed quia fata obſtant properati funeris; hoſti
Qui tibi ſuſtinuit dicere, dico diem.
Vt nitidum educat deterſa calumnia verum,
Et ſeſe ille malâ mente fuiſſe gemat.
Illéne ſis, LIPSI, quem vidi in carmine pictum,
Carmine, quod Stygias credo vlulaſſe canes?
Therſitem vidi, pro Neſtore; próque Catone,
Clodium; & in recti dedecus ire locum.
Nullus ibi es, qualem te quondam aſpeximus: atræ
Effigiem Empuſæ, Blemmyadæque puto;
Atque fatiſcentem crepitantis dentis hiatum,
Quo viſo, obducat lumina blanda puer.
Improbe quid liuor, laudis fœdiſſime prædo,
Clara venenato funera dente premis?

Siue petas animum, mens eſt imperuia probris;
Siue petas corpus, corpore ſenſus abeſt.
Viuus & opprobriis tulit impenetrabile pectus,
Seu rem, ſcribendi ſeu petiêre modum.
Nempe ſupra nubes, ventos, & cornua lunæ,
Sedem in tranquillo mens Sapientis habet.
Angat eum liuor, vexet petulantia, virus
Artubus ipſa ſuum combibet improbitas.
Si tamen in pretio eſt frigentes vellere Manes,
Paſcereque abroſis oſſibus inuidiam;
Contrà agerem diris te ſub Styga Zoïle: at hoſtem
Lipſiacum LIPSI *more ferire iuuat.*
Quem placidos animos numquam inſultaſſe probabis,
Hoſtibus imò ſuis hoſtis amicus erat.
Hoc tamen ira decet, miti licet indole, Muſam,
Quòd pro pacificis Manibus ira calet.
Húncne reum leuitatis ages, ſectámque nouaſſe,
Et fluxam incuſes diſſecuiſſe fidem?
Non poterat tale hoc cerebrum vaneſcere ſectis,
In quas ingenium futile abire poteſt.
Ad Batauos illum ſors traxerat; abſtulit illum
A Batauis Latiæ Relligionis amor.
Nec ſacrâ expendi trutinâ ſua ſcripta refugit,
In ſolum vt inde pedem Louanienſe tulit.
Intereà Minos, Rhadamantique arbitra proles,
LIPSIVM *ad obſcurum ſorte tribunal agis?*
Atque inter Plauti atque Elegi tormenta ſalacis,
Flammifluo miſerum ſub Phlegethonte locas?
Arbiter vmbrarum es: Plutona cauere memento,
Regnum affectantem non feret ille ſuum.
At CHRISTVM *tacuit. Si ſic tacuiſſet Eraſmus,*
Et niger hic, nomen cui nigra terra dedit;

Irruptáque fide ac integrâ mente ſtetiſſent,
Quos leuis in præceps gloria ſtrauit iter.
Sunt quibus eſt ſemper fucato CHRISTVS *in ore,*
Sed procul à ſeptis pectoris exul agit.
In gyrum te coge tuum, nec limitem auarus
Tranſilias; modico vertitur axe rota.
Namque vt agas quod agis moneo, prudenſque monebit
Quilibet, & prudens quilibet illud aget.
Quò Deus, & ratio, & naturæ ſemina pellunt,
Huc agitur magni roboris ingenium.
LIPSIVM *in antiqui libros tulit impetus æui,*
Scripſit & inuidiæ non placitura tuæ.
Liuide lugerem tibi ſi placitura dediſſet;
Namque placere, bonis diſplicet, omne tuum.
Vt nil Caluino aduerſum, aduerſúmque Luthero
Edidit, hæreticis gratus vtriſque fuit.
Mox vbi cum Hallenſi Diua Aſpricollis in auras
Prodiit, hæreticis hoſtis vtriſque fuit.
Scripſerat antè vnâ de Relligione libellum:
Intumuit Batauo bile repentè iecur.
Verùm vbi Parthenicas calamus decurrere laudes
Auſus, & Halliadum fixus in æde ſtetit:
Hæretici ſpumare, eluctaríque furorem,
Artem omnem, omnem animum pectore concutere.
Omnia ſed fruſtrà: ſine viribus ira cadebat;
Nemóque, qui viuo bella moueret, erat.
Tandem quidam auſus de gente ſalariâ ineptus
Sannio, piſcoſo fœtidus ora luto:
Sed ſale contemptim, & mordace affrictus aceto,
Sentinæ viſit putria ſtagna ſuæ.
Pòſt vbi letali percuſſus frigore obiuit,
Viſum eſt ſecurâ bella tonare tubâ.

Protinus

Protinus increpuit de lìtore turpe celeuma,
Tritonéſque vago perſonuêre mari,
Illum inclamantes ſine lege, fidéque, Deóque,
Perfidiáque vnum pro Deo habere Papam;
Et populo ſeruire; ſuis idola ſacrare
Laudibus, vt vulgo ſe probet eſſe pium.
Sed, malè ſincero vitiantur vaſe, liquores;
Atque peregrino mordet acore merum:
Omnia ſic prauis ſunt praua, nihílque doloſum
Pectus in orbe ſibi diſſimile eſſe putat.
Quis IVSTVM *incuſet, cui mens pro teſtibus vna*
Mille erat, & recti murus ahenus amor?
Tu citius radios defœdes puluere ſolis,
Oréque viroſo colluere aſtra queas,
Quàm maculam IVSTI *ſplendori imponere, quem nunc*
Ignea Virtutis vis ſuper aſtra tulit.
Imò age, materiem rabido cape, ſtulte, furori;
Hunc tibi Catholicum vitáque, mórſque probet.
Diuiparæ MATRI *ſancto ſe fœdere iunxit,*
Virginei eſſe volens iure ſodalitij.
An'ne preces ardente loquar de pectore fuſas,
Impletúmque ſacrâ ſub dape ſæpè Deo?
Ringeris Hæretice, & liuoris rumperis æſtu:
Rumpere; Catholicus LIPSIVS *vſque fuit.*
Dúmque recrudeſcens vis morbi affligeret artus;
More tuo, illa feras Stoïcè, amicus ait.
Stoïca ne placeat, tulit, at tolerantia CHRISTI;
Zeno ſit in libris, cor mihi CHRISTVS *habet.*
Iam CHRISTVM *exoptat, datur illi in imagine* CHRISTVS,
Longâ membra ferens exſpatiata cruce.
Hanc dextrâ arripiens, ſua fert ſolatia, libat
Oſcula; cycnéo carmine dulce canit:

Ex

Ex te vita mea eſt, repetens, tu ſpéſque, ſalúſque;
Jam domum in æternam, te duce fretus, eo.
Et legi, & ſcripſi, dixi quoque plurima; vana
Omnia nunc moriens, cum Sapiente, cano.
Lætitia vna meam mentem tamen imbuit, in ſpem
Non terrenarum quòd labor iuit opum.
Hoc quoque ſuſtentat; quòd defenſante ſub vmbrâ,
VIRGO, clientelæ vita ſit acta tuæ.
Sic vixit, ſic ille obijt. Tu ſcommata fundis,
Sordeat vt cœno lux aliena tuo.
Tu ridenda ſalis vt ſimia, & vngue petulco
In caudâ magnæ ludis inepta feræ.
Atque alto inſiſtens tergo, cupis inde videri;
Turpe ſed appares, monſtrificumque caput.
Biblia commendas, aſpernaríſque profana,
Et velut immenſum quid cauo in ære boas.
Nempe vt vtrique pedi faciles ſacra ſcripta cothurnos,
Inde velut petulans hiſtrio, & inde trahas.
Tecum habita, neque celſa petas, metire quod audes;
Et ſacra cum tacito Biblia volue metu.
Addo vnum; gelido ne barbam velle leoni:
Magnus enim magno in funere terror ineſt.
E cinere vltores ſurgunt, catulique parentem
Magnanimi velli non ſine cæde ſinunt.
Nunc etiam, LIPSI, tibi verba nouiſſima dicam,
Ad tumulum incumbens dum modò ploro tuum.

Mortuus inuidiam patitur ſi LIPSIVS, illam,
Omnis, deſperet, qui ſuperare cupit.
Doctrina, atque Artes, innata Modeſtia, Virtus,
Edomuêre necem; Mors neque Inuidiam.

I. F.

In LVCIFVGAM, pios Magni LIPSI MANES impiè ſollicitantem.

Qui placidos audes Manes inceſſere LIPSI
Inque ſacras vmbras impius arma moues:
Cur quoque non audes ſcelerate tuum edere nomen?
Tutus an à Furijs ſic abijſſe putas?
Falleris, Eumenides ſua habent oculata flagella,
Effugere improbitas quæ nocua vlla nequit;
Quin & Pïëridum Sophiæque ſagacis alumni,
Quamlibet ignotum, turbinis inſtar agent;
Indicentque tibi ficto ſub nomine bellum:
Quale ego; cui (fungus ſim licet) Ibis eris.
Nempe ſuum Diris deuouit vt Ibida Naſo:
Sic mihi tu Stygijs ſis ſacer vſque Deis.

Ius laude coronat.

In MANIAM cuiuſcumque LIPSIANOS MANES inceſſentis.

Herculis Atlanti placuiſſe vicaria membra
Fama, ſed illa æquo conſona fama, canit.
Cæleſtis virtus cælum tulit. At neque Ditis
Quemquam, Cerbeream nec ſubiiſſe vicem,
Hoc ego miratus multúmque diúque; quieſco
Mirari: nam te manſerat iſte locus:
Quippe Menippe vias Orci qui noueris; & qui
Infernas voces ore putrente latres
In puros Manes, atque infernalia ſumas
Arbitria. Aut ſi iſtâ conditione minor,

Non

Non Erebi præſes, non cuſtos eſſe mereris;
Vilior hocce Canis munere, paſce Canem.

In impios togæ piè datæ legatæ deriſores.

LIPSIVS *ipſe togam pendit, Veianius arma:*
Ad DIVÆ *ille aram; poſtibus iſte Dei.*
Veianûm riſit nemo: ridetur at ecce
LIPSIVS, *& rabido vapulat à calamo.*
LIPSIVS? *imò etiam ridetur* DIVA *(neſandum!)*
Vt ſi nudato frigeat illa ſinu.
Nempe Syracoſij referunt ſcelera, iſta, Tyranni, Val Max. lib.1.c.11.
Lanea, pro rapto, dantis amicla Ioui.

Gaugericus Riuius.

PIORVM MANIVM IVSTI LIPSI VINDICIÆ.

Quo turbulentis motibus impotens
Percuſſa Mænas ſpicula colligis,
Inſanientis ebrioſos
Nequitiæ iaculata thyrſos?
Sic lege nullâ turpia dexteræ
Ferocientis vulnera deſtinans
Laruas laceſſis, mortuique
In iugulum furioſe ſæuis?
Aude piorum buſta laceſſere
Athleta fortis, Salmacidus pugil,
Sudore nullo præliatus,
Serta feres pretioſa myrti.

Non functus æuo prœlia conſerit;
Immiſſa neſcit tela retundere
Vmbonis obiectu; nec ille,
Si ferias, referire nouit.
Quò pergis vltrà? quid malè LIPSII
Impure Manes ſollicitas? quid ô,
Quid turpibus ſic immerentem
Hæretice opprobrijs fatigas?
Siquo petendus Marte fuit, fuit
Viuus petendus LIPSIVS: *hic tuos*
Vitaret aſſultus, ſtilíque
Non dubio referiret ictu.
Verùm ſupremam combiberis necem,
Exſuccus oris funeream cinis
Complerit vrnam, non inultus
Turpe probrum patiêre LIPSI.
Eſt qui iacentem præſidio tegat,
Pióſque Manes vindicet; eſt tibi
Qui buſtuariorum in enſem
LIPSIACOS *cineres obarmet.*
Obliuioſo non valet obrui
Virtus ſepulchro; clarior emicans
Perrumpit vrnæ clauſtra, numquam
Hæreticos ſubitura morſus.
Quantum lubebit perfide ringere:
Claret vetuſtâ LIPSIVS *in Fide,*
Auguſta Romani pudenter
Pontificis veneratus ora:
Furore quamuis igneus infremas,
Mendaciorum plauſtra reſorbeas;
Rumparis eſto, tabidúſque
Inuidiæ quâtiaris œſtro;

Stat

Stat illa ceris ducta perennibus
Intaminati gloria nominis,
Longo perennans viuet æuo
Relligio pietáſque LIPSI.
Non is Lutheri perfidus aſſecla,
Vel quem Lemannus ſtigmaticum ſenem
Nouit pudendi membra nuper
Dedecoris maculis inuſtum.
Non ille CHRISTI *transfuga; fallere.*
Non ille fraudum conſcius, aut vafer
Imponere, aut gnarus doloſam
Arte malâ ſimulare vulpem.
Res iſta doctis cognita Grudijs.
Sed mentiendi frons tibi, nec pudor
Vllus, pudendum ſycophantam
Commoda larua dolis reuelat
Fucos peritum ſpargere. quid Stygis
Manes cauernâ LIPSIACOS *citas,*
Quem vita, quem mores ſeueri
Indigetem ſtatuêre cælo?
Sic ille merſus Tartareâ ſpecu,
Vt tu nefandæ perfidiæ reus,
Regi Deoque perduellis,
Cælituum potiêre luce.

I. B.

NICOLAI OVDARTI IN MANES I. LIPSI SECVNDI ADFECTVS.

Quando dies redijt, qui, dum mihi vita manebit,
Semper honoratus, ſemper acerbus erit:
Annua ſolenni quo ritu ad ſacra coïmus,
Soluimus & LIPSI Manibus inferias:
Relligio fuerit, rudibus quantumlibet, illum
Verſibus indictum præteriiſſe meis.
Lux decima Aprileis lacrymabilis ante Kalendas,
Attulit, heu, nobis hunc ſine luce diem!
Deſeruit magnus quo mœſtum LIPSIVS *Orbem,*
LIPSIVS *Aſtrææ Pïëridúmque genus.*
LIPSIVS *omnigenæ doctrinæ condus, & idem*
Promus, & ANTIQVIS MORIBVS *vſq; pius.*
Ergo iaces Sophiæ decus ô clariſſime LIPSI?
Ergo iaces bifidi gloria prima iugi?
Nec tua te virtus, tua nec doctrina redemit,
Nec valuit tetricæ iura nouare Deæ?
Tangere nec verita eſt tam ſanctos Atropos artus?
Nec tam diuinum Morta ferire caput?
Lege ratâ vt conſtent Parcis adamantina iura,
Debuit hoc ſaltem non licuiſſe nefas.
Quid iuuat exactè Sophiam, quid Numina Pindi,
Quid Virtutem, ipſum quid coluiſſe Iouem;
Lanificas poſſunt ſi non cohibere ſorores,
Si nequeunt Myſtis præſidio eſſe ſuis?
Scilicet hæc miſeræ deerat ſors Belgicæ, acerbum
LIPSIO *vt, heu, funus duceret orba ſuo?*

Et quaſi non ſat ei bellorum clade periſſet,
Inſuper hac gemmâ diſpolianda fuit?
O ſtabile humanis quàm nil in rebus, & ô quàm
Incomitatum vllum non amat ire malum!
Belgica præ reliquis florens regionibus olim,
Nunc afflicta ſolo, Marte premente iacet.
Marte premente iacet, octóque exercita luſtris,
Extremum ſenſit quod fera bella queunt.
Et ne vulneribus tantis noua vulnera deſint,
Sed ſerie infauſtâ ſint mala iuncta malis;
Mors Martem comitata, in triſti funere LIPSI,
Quod reliquum fuerat, ſuſtulit omne decus.
Intulit & nobis damnum ſuper omnia damna;
Nulla potis fuerit quod reparare dies.
Diuitiæ, ſplendor, candor, pietaſque, fideſque,
Integritaſque iterùm priſca redire queant:
Ciuibus vrbs creſcat, mare puppibus, arua colonis;
Attamen haud vmquam LIPSIVS *alter erit.*
Et nos flere vetet quiſquam infortunia tanta?
Et quiſquam hîc leſſum nos cohibere velit?
Ora fluant lacrymis; plangamus LIPSIVM *ademptum,*
Planxit vt exſtinctum pulcher Apollo Linum.
Vt coniux lacerum mœſtiſſima planxit Oſyrim,
Planxit vt Iſmarium Daulias ales Ityn.
Sed tamen in vanas cur ſoluimus ora querelas?
Non retractari fata ſeuera queunt.
Quid? quòd felicem miſeri deflemus, eúmque
Ad nos qui nullâ lege redire velit.
Corporis ille graui cruciantéque mole ſolutus,
Liber in Elyſiis exſpatiatur agris.
Inter vbi doctos doctiſſimus ipſe triumphans,
Doctrinæ fruitur præmia digna ſuæ.

Nónne

Nónne igitur triſtes ſatius ſit ponere luctus,
Vlteriùs madidas nec tenuiſſe genas?
Ponamus; ſua turbemus ne gaudia functo,
Dicamúrve pijs Manibus eſſe graues.
Nec decet aut fas eſt nimiùm deflere ſepultum,
Cui ſupereſt verâ gloria parta viâ.
Gloria, quæ totum volitat diffuſa per Orbem;
Gloria, quæ nullo eſt interitura die.
Vota pijs potiùs voueamus Manibus apta,
Audiat à nobis & bona verba cinis.
Ipſe equidem Manes hos Numinis inſtar honoro,
Inque vicem ſacri pignoris oſſa colo.
Quod verſu hoc teſtor, teſtabor & omnibus annis,
Incolumem donec me volet eſſe Deus.
Gratior æternùm nec ſit mihi pagina, quàm quæ
Inſcriptum LIPSI *nobile nomen habet.*

Ius laude coronat.

VITA

VITA IVSTI LIPSI SAPIENTIÆ ET LITTERARVM ANTISTITIS.

AVBERTVS MIRÆVS Bruxellenſis, Canonicus & Bibliothecarius Antuerp. ex ſcriptis illius potiſſimùm concinnabat.

ILL^{MO} ET REV^{MO}

IO. ANDREÆ PROCHNICIO

EPISCOPO CAMENECENSI,

SIGISMVNDO III.

POLONIÆ SVECIÆ GOTHIÆ VVANDALIÆQ.

REGI

A CONSILIIS SANCTIORIBVS,

GENERIS SPLENDORE

DOCTRINÆ PRÆSTANTIA

VIRTVTVM OMNIVM GLORIA

VIRO MAGNO ET INCOMPARABILI,

IVSTVM LIPSIVM

AMICVM DESIDERATISSIMVM

AVBERTVS MIRÆVS

REDIVIVVM SISTIT.

SISTO, inquam, LIPSIVM rediuiuum Tibi ILLVSTRISSIME ANTISTES, omniq; adeò poſteritati; cuius intereſt, vt geſta ſic & ſcripta virorum illuſtrium qui anteceſſerunt, cùm memoriâ repetere, tum æmulando exprimere. Te autem potiſſimùm appellãdum duxi, vt Poloniæ nobilitatis principem, & hoc ampliùs, ſacris etiam initiatum, gentis clariſſimæ decus atque ornamentum ſingulare. Tui enim quoties oculis obuerſatur imago (obuerſatur autem frequenter) toties ampliſſimum Poloniæ regnum ſeſe mihi offert, & in hoc magni Heroës illi, quorum vix ſingulos ætates ſingulæ alibi ferre conſueuerunt. Audito enim vel vno STANISLAI nomine, hominum doctrinâ ſcriptiſque celebrium grex occurrit: in his HOSII, CARNCOVII, SOCOLOVII, RESCII, ORICHOVII, alij. Taceo ANDREAM PATRICIVM, & alterum ANDREAM IVRGEVICIVM, MARTINVM CROMERVM, tuúmque in Epiſcopali cathedrâ prædeceſſorem MARTINVM BIALOBRISCVM. Quid? quot quantæque illuſtres ſtemmate etiam regio familiæ exſti-

terunt, omni bono de Eccleſiâ, Republicâ, atque eruditis hominibus meritæ? Ecquis credat, niſi Annalium monumentis proditum haberemus, vnius STEPHANI BATTORI Regis fortiſſimi virtute, Dacos, Parthos, Moſcos, Suecos, Turcas, alióſque barbaros à regni finibus ſubmotos: Religionem denique Orthodoxam, tot inter hoſtium cuneos non modò defenſam, ſed & auctam mirificè ac propagatam? Ex quâ gente & ANDREAM Cardinalem, GEORGIVM item Chelmenſem Epiſcopum, alióſque Antiſtites prodijſſe, nemo eſt qui ignoret. Ceterùm vnus inſtar omnium ſit nobis IOANNES SAMOSCIVS, magnus regni Polonici Cancellarius, & Exercituum Præfectus, vir armis iuxtà ac litteris clarus. Is inter cetera pereruditum *De habendo Senatu* commentarium poſteris reliquit, & MANVTIOS, SIGONIOS, MVRETOSque Cracouiam liberaliter pertrahere conatus, nouam poſteà Samoſcianâ in vrbe Academiam excitauit. Vtque aureo illo Auguſti æuo C. Cilnius Mæcenas ſæculi ſui ingenia, Virgilium, Horatium, Propertium, dilexit ac fouit: ſic & Veſtrûm vterque, Tu, inquam, & SAMOSCIVS, de ornando LIPSIO laudabili quadam æmulatione videmini contendiſſe. Moriens quidem

dem Cancellarius teſtamenti tabulis hono-rificè eum cum munere appellauit : Tu verò cineres Lipſianos, ad aram VIRGINIS-MATRIS Louanij in Franciſcanorum ſodalium æde conditos, honore proſequens, aram ipſam vt ſacrorum Antiſtes mirificè exornaſti. Quod Tuæ in LIPSIVM vitâ functum benignitatis ſeu veriùs pietatis monumentum ſtabit æternùm : atque vnà nomen PROCHNICIANVM

Caneſcet ſæclis innumerabilibus.

Vale. Antuerpiæ, IX. Kalendas Iulias, cIↄ. Iↄc. IX.

CORNELIVS TACITVS in vitâ Iulij Agricolæ.

Clarorum virorum facta moréſque poſteris tradere antiquitus vſitatum, ne noſtris quidem temporibus quamquam incurioſa ſuorum ætas omiſit, quoties magna aliqua ac nobilis virtus vicit ac ſupergreſſa eſt vitium paruis magníſq; ciuitatibus commune, ignorantiam recti & inuidiam. Sed apud priores vt agere memoratu digna pronum, magíſque in aperto erat: ita celeberrimus quiſque ingenio, ad prodendam virtutis memoriam ſine gratiâ aut ambitione, bonæ tantùm conſcientiæ pretio ducebatur. Ac plerique ſuam ipſi vitam narrare, fiduciam potiùs morum, quàm arrogantiam arbitrati ſunt. nec id Rutilio & Scauro citra fidem, aut obtrectationi fuit. adeò virtutes iiſdem temporibus optimè æſtimantur, quibus facillimè gignuntur.

VITA

VITA IVSTI LIPSI SAPIENTIÆ ET LITTERARVM ANTISTITIS.

Nihil eſt omnino quod hominem cuilibet magis gratum acceptumq́ue reddat, quàm Modestia: cui ſi Virtvs ac Doctrina comites acceſſerint, tum quaſi diuinum quid in terris maximeq́ue gratioſum ſolet exiſtere. Illa namque amorem in primis conciliat atque auctoritatem: hæ verò virum bonum cæloq́ue dignum efficiunt. Trias iſta, ſi quem mortalium vmquam, Ivstvm certè Lipsivm beauit: vtpote quem Virtus naſcentem exceperit, Doctrina natum excoluerit, Modeſtia ſupra æquales extulerit; in cuius denique amore boni omnes, vel ipſa Inuidia nequidquam frendente, conſpirarint.

Natus eſt feliciter, nec ſine omine, xv. Kal. Nouembr. qui dies D. Lucæ Euangeliſtæ ſacer: eo ipſo anno, quo Carolus V. Imp. Ioanne Frederico Saxoniæ Duce in prælio ad Albim capto, & Philippo Haſſiæ Lantgrauio in deditionem accepto, Proteſtantes Germaniæ proceres domuit. *Dies et annus natalis M.D.XLVII* Nox media lumen eximium orbi futurum protulit, cùm mater ſuperiori nocte proximâ puellos duos, mirè candidos, per cubiculum inambulantes, mutuumq́ue ſe complexos, vigilans atque exſomnis vidiſſet. *Prodigium. Cent. 3. miſcell. epiſt. 87.* Interpretari ſi licet, Doctrinam ac Modestiam præſignatas dixero: quæ dotes in hoc viro ſic pariter enituerunt, *Interpretatio.*

runt, vt ambigerent omnes (& audiui non rarò amicos diſceptantes) DOCTIOR AN MODESTIOR ESSET LIPSIVS. Raro certè exemplo, quòd ſcientia inflare, & magnis ferè ingenijs vanitatem aliquam ſoleat adſpergere: præſertim vbi applauſus doctorum, & gratia magnorum, acceſſerint. Et verò, quid ſi geminis iſtis PHILOLOGIAM & PHILOSOPHIAM notatas quiſpiam dixerit? Primus namque LIPSIVS molliorem iſtam atque amœniorem doctrinam cum hac virili ac robuſtâ, quæ in animo formando occupatur, aptè ſalubriterq. coniunxit: primus ipſe è Philologiâ Philoſophiam fecit: primus denique, vel ſolus, noſtri æui Muſas ad Sapientiæ, omnium diſciplinarum principis, obſequium traduxit.

Cent. 4. miſcell. epiſt. 84.

PATRIA. Genitus eſt in Iſcano municipio, aëre, aquis, ſitu peramœno: quod tertio lapide à Bruxellis, vrbe regiâ, Belgicæque Principum ſede, itemque à Louanio, veteri Muſarum domicilio, diſtat; agnoſcitque toparcham hodie *Gerardum Hornanum*, Bauſſigniaci Comitem. Domus ipſa natalis, in decliui ad viam publicam ſita, nunc iacet ſemiruta: nam auitæ ac paternæ ædes, in colle vicino poſitæ, incendio perierant, paullò pòſt inſtaurandæ atque incolendæ. Vtrumque domicilium (niſi fallat augurium) venerabunda poſteritas omnis colet atque æſtimabit, vt Romuli olim caſam Romani, & Eraſmi nuper domum Roterodami. Sic enim naturâ comparatum eſt, *vt neſcio quo pacto locis ipſis moueamur, in quibus eorum, quos admiramur, adſunt veſtigia, & in quibus ipſi habitare ac ſedere ſint ſoliti.*

Corn. Nepos in vitâ Attici.

PARENTES ET MAIORES. Parentes LIPSIO fuêre *Ægidius Lipſius* & *Iſabella Petiriuia*, opibus & genere perhoneſti: ſuis vterque parentibus vnicus. Auus *Nicolaus Lipſius*, quieti & litteris eſt operatus: patruus maior *Martinus Lipſius*, inter Auguſtinianos Louanij Canonicos ad D. Martini vixit: vir ob vtriuſque linguæ peritiam, doctrinamque multiplicem, Des. Eraſmo familiaris, & à ſuis illiúſque ſcriptis notus. Exſtant erudita illius ſcholia in *Hilarium, Auguſtinum, Hieronymum, Chromatium, Symmachum, Macrobium*, aliosque veteres auctores, ex fide codicum mss. caſtigatos: deſijtque viuere, cùm IVSTVS octauum ferè ætatis annum ageret. Auiam habuit *Margaretam Eechautiam*, ſtirpe nobilem: cuius maiores, pater & fratres, in Principum noſtrorum

Elogia noſtra Belgica conſule.

M. D. LV.

rum aulis floruerunt; vt Diuæus, Heuterus, & alij noſtrates hi-
ſtorici memorant. Proauus fuit *Iuſtus Lipſius*: cui vxor *Anna*
Linkebequia, genere nobiliſſimo, ſed in virili ſtirpe iam exſtin-
cto. In dotem ea villam *Rodiam*, agros, domum attulit, quæ *Lib. 2. c. 8.*
in Iſcano: atque ea occaſio LIPSI illic nati. Nam pater & ma- *in Louanio.*
iores domo omnes Bruxellenſes fuerunt, opibus & dignitate
inter vrbis eius primos. Parentes in Iſcano annos aliquot do-
micilium habuerunt, atque ibi filius ab ipſis honeſtè eſt educa- EDVCATIO.
tus. vt ſolent nobiles atque honeſtiores ferè ciues, *quos nec am-*
bitio impotens, nec ſpes ſollicitat lucri, in villis ac prædijs ſuis age-
re. Annos ſex iam natus, Bruxellas cum parentibus migrat, &
ſtudijs illic litterarum, in triuiali parœciæ (vt nuncupant) Ca-
pellenſis ſcholâ, initiatur: adeò facili promptóq; puer ingenio,
vt præceptor paruulum genibus impoſitum, & ſic penſa reci- INSTITVTIO.
tantem, alijs in æmulationem atque exemplum oſtenderet.
Condiſcipulos inter *Dionyſius Villerius* tunc fuit, nunc Cano-
nicus & Cancellarius Tornaci apud Neruios: qui præter inſi-
gnem Bibliothecam (qualem nemo in Belgicâ noſtrâ priuatus
fortaſſe poſſidet) numiſmata Romanorum plurima, exotica
item cimelia ex altero orbe allata, ſtudioſè adſeruat. Gram-
maticas itaque *Ioannis Deſpauterij* præceptiones ſtatim noſter
hauſit, & ſponte ad linguam quoque Gallicam (quæ ferè Bel-
gas inter honeſtiores obtinet) ſe dedit: quam è libris ſine do-
ctore ita didicit, vt rectè ſcriberet, etſi loqui & legitimè pro-
nuntiare non poſſet.

Ceterùm puerili illâ ætate, quæ varijs caſibus ſolet eſſe ob- VITAE PERICVLA.
noxia, in triplex diſcrimen, ſuffocationis nimirum, luxationis,
& merſionis, incidit: quæ pericula non niſi à Deo palàm *Cent. 3.*
depulſa profitetur. Et verò ad bonas artes, quæ ſuffocatæ *miſcell.*
merſæque iacebant, reuocandas, hominem natum ſeruare, *epiſt. 87.*
atque ad ætatem iuſtam IVSTVM prouehere benignus voluit
Deus.

Annum agens decimum, Athum Hannoniæ opidum à pa-
rentibus ablegatur: quod Athenæum (ita nuncupare liceat) &
Briardos, Beueros, Lenſæos, Baios, Bochios, alióſque Belgicæ vi-
ros magnos dedit. Hîc iterùm præcepta Grammatica (& qui- STVDIVM APVD A-
dem *Ioannis Cuſtodis* Brechtani) puero ſunt inculcata, prauo THENSES.

illius & noſtri etiam æui vſu, ſeu veriùs abuſu. Hærent nimirum magiſtelli in regulis aut quæſtiunculis, & meliorem ferè ætatis partem in aditu humaniorũ artium diſtinent, adyta verò earum numquam penetrant. Torquent, imò detorquent rectiſſima ingenia: &, præter fructum, tollunt quoque venuſtatem. Quo fit, vt amœniores non rarò adoleſcentes ad illa tam inamœna non veniant; imò fugiant, cùm aduenerint, atque haurire non iniuriâ ſpernant abſinthium illud diſciplinarum. Alios verò iſta Grammaticarum inſtitutionum varietas abſterret, quâ apud Belgas præſertim peccatur in iuuentute erudiendâ. Triplicem certè Grammaticam, in triplici migratione, ſibi puero prælectam, atque ad annum decimumtertium nugis iſtis ſe detentum, queritur LIPSIVS: cùm tamen ab anno octauo eadem teneret, etſi non eodem modo. deploratque meritò, annos illos quinque non in ſtilo & grauiorum rerum ſcientiâ poſitos fuiſſe. vt iure cenſeant prudentiores, ex vſu publico fore, ſi vna Grammatica concinnetur, quæ communis vniuerſæ ſit Belgicæ.

Cent. 1. miſcell. epiſt. 94.

STVDIVM APVD COLONIENSES. M.D.LXIII. PRAECEPTORES.

Sed ad tironem noſtrum redeo. Biennio Athi exacto, carmen ibidem cœpit ſcribere: & anno tertio Coloniam Agrippinam, ingenio animóque excolendo, ad gymnaſium Societatis IESV mittitur. Ibi Græcis ipſum *Gerardus Kempenſis*, Rhetoricis *Joannes Oranus* Leodicenſis, Philoſophicis *Arnoldus Hauenſius* Siluiducenſis, nunc Cartuſianus, moderatore *Franciſco Coſtero* Machliniano, imbuerunt: capere ſanè pronum, atque iſtic & alibi anteà ductorem ſemper & principem ſuæ claſſis. Itaque vix duodecennis orationes ſcripſit & habuit, pueriles quidem, ſed quas grauior etiam ætas in illâ ætate laudaret. Nec deſtitit poſteà, & dedit floridioris eloquentiæ ſuæ ſpecimẽ non vno loco: quod dicendi ſtudium ſi mos æui noſtri aperuiſſet, decurrere profectò cum nonnemine priſci æui potuiſſet.

Cent. 1. miſcell. epiſt. 31.

PHILOSOPHIAE STVDIVM. *Præfat. in Conſtant.*

Ceterùm Philoſophica iam inde à puero ſic LIPSIO placuere, vt peccare iuuenili quodam ardore videretur, & freno atque inhibitione fuerit coërcendus. Conſtat à præceptoribus non rarò è manibus excuſſos ipſi velut per vim libros eius generis omnes, & ſcripta etiam commentarióſque ereptos, quos ex omni interpretum turbâ laborioſè ſibi confecerat. Neque mutauit

uit poſteà, ſed in omni ſtudiorum curſu iſtam Sapientiæ metam præ oculis habuit. Nec eâ proceſſit viâ, quâ philoſophantium vulgus hodie: qui ſpinis argutiarum & laqueis quæſtionum irretiti, nihil aliud agunt, quàm quòd ſubtili inanium diſceptationum filo eas texant & retexant. Politicis & Ethicis potiſſimùm ſeſe dedit, & ſemina iam tum apud Vbios iecit frugis poſteà enatæ.

Sub id tempus, vt optima vitæ dux & magiſtra eſt Philoſophia, pectus adoleſcentis pietas tetigit: & Societati IESV voluit adgregari. Parentes inaudierunt, abduxerunt, & annos ſedecim natum ex Vbijs Louanium euocarunt. Itaque Philoſophicis inſiſtens, Phyſica in gymnaſio Caſtrenſi aliquamdiu audiuit, ibidémque cum *Othone Hartio*, in ſupremâ nunc Belgij curiâ Machliniæ Conſiliario, coniunctiſſimè vixit. Philoſophiæ ſpatia emenſum, amœna litterarum atque antiquitatis ſtudia ad ſe totum traxerunt: quorum ipſi guſtum amorémque Coloniæ idem *Gerardus Kempenſis* infuderat. Louanij porrò compares habuit comitéſque ijſdem in ſtudijs, *Ludouicum Carrionem* Brugenſem, *Franciſcum Martinium* Gandenſem, *Arnoldum Deinium* Machlinienſem: ductore & quaſi chorago *Cornelio Valerio*, qui Petro Nannio ſuccenturiatus, in trilingui tum gymnaſio Buſlidiano eloquentiam profitebatur. Acceſſere mox *Martinus Antonius Delrius*, *Andreas Schottus*, Antuerpienſes, *Victor Giſelinus* Sanfordanus, *Ianus Lernutius* Brugenſis: ſcriptis omnes poſteà clari, & à nobis * alibi celebrati. Louanij dum verſatur, & Iuriſprudentiam quoque libat, pater ipſi fato eripitur, Bruxellenſis tunc vrbis prætorio Præfectus: vir acer, manu promptus, ſodalium ac conuiuiorum appetens, & qui iſtâ comitate amplum patrimonium auitum valdè attriuit. Mater curam eius reliqui, itemque IVSTI ac ſororis ſuſcepit: matrona, in ſummâ modeſtiâ, virilis animi & conſilij. Hæc filij cauſsâ Bruxellis Louanium ſedem ac domicilium tranſtulit, atque ibi ex hydrope non diu pòſt obijt.

Cent. 3. miſcell. epiſt. 87.

M. D. LXV.

STVDIORVM SOCII.

Martini & Deini immaturū obitum deplorat, l. 3. Antiq c. 1.

* *In Elogijs Belgicis.*

Annum tum ferè decimumoctauum agebat LIPSIVS, & publicè iam ſpecimen eximium ſui dederat, in ſcholis declamando ac diſſerendo. Sed magis magíſque Muſa vetus ipſum capere, & eius amore, Italiam cogitare. Fecit. ſed *Variarum*

PRIMVS INGENII FETVS. *Lectionum* libris anteà ſtilo florido ac Ciceroniano conſcriptis: quod ingenij ſui, vt appellat, tirocinium, vix nouemdecennis M. D. LXVII. edidit, atque *Antonio Perrenoto* Cardinali *Granuellano*, acri ingeniorum æſtimatori, inſcripſit. Primus hic illi aditus ad famam, atque in *Perrenoti* domum fuit: in quam Romæ admiſ- ROMANA PEREGRINATIO. ſus, biennium circiter egit, ſummâ benignitate habitus, & ad ſtudia tractanda non incitatus ſolùm, ſed ab erudito patrono etiam adiutus. Erat à Latinis illi epiſtolis: ſed otium & omne liberum tempus dabat inſpectioni lapidum, locorum veterum, & ſi quid in Vrbe aut viciniâ viſendum eſſet, aut noſcendum. Vaticana etiam Bibliotheca per eumdem, & *Guilielmum Sirletum*, Cardinalem longè doctiſſimum, illi patuit: & in Senecæ, Taciti, Plauti, Propertij, aliorúmque veterum libris mss. inuicem comparandis, tempus illud conſumſit. Luſtrauit & Farneſianam, Sfortianam, aliáſque illuſtriores Bibliothecas, cùm publicas, tum priuatas; neſcio fructu maiore, an delectatione. Florebant id temporis Romæ eruditiſſimi homines, *M. Antonius Muretus*, *Paullus Manutius*, *Latinus Latinius*, *Fuluius Vrſinus*, & *Plautus Bencius*: qui *Franciſci* nomen ſanctius, cùm Societatis IESV inſtitutum amplecteretur, poſteà adſumſit. Ex his *Muretum* profitentem audiuit, *Bencium* verò fratris loco habuit, & præ ceteris dilexit. Innotuit ibidem *Hieronymo Mercuriali*, noſtræ ætatis Medicorum prin- *Cent. ad Ital. & Hiſp. epiſt. 42.* cipi: *Carolum* item *Sigonium*, & *Petrum Victorium*, illuſtres Hiſtoricos ac Philologos, per viam vidit; qui creſcenti adoleſcentis famæ fauentes, adfectum omnem exhibuerunt. Loua- ADOLESCENTIAE LIBERTAS. nium redijt, annum ibi vnum egit, *primæuo in flore iuuentæ*: & egit (vt ſimpliciter candideque fatetur ipſe) haut vſquequaque ad ſeueram Catonis regulam. Liber erat, parentum & tutorum expers, atque ita æqualium exemplo, & communis conſuetudinis impetu abreptus, choreis, ſodalitijs, ludis, & ceteris eius ætatis vanitatibus aliquam temporis partem impendit. Adeò verum illud, *Semel inſaniuimus omnes*. At Deus & natura melior honeſtiſſimæ indolis adoleſcentem reuocarunt: qui peregri- GERMANICA PEREGRINATIO. natione, vtili ac ſalutari conſilio, in Sequanos, indéque in Germaniam inſtitutâ, ſe ſubduxit, & ſocietatem omnem priſtinam valere iuſſit. Dolam verò, quæ Sequanorum eſt Academia,

MANSIO APVD SEQVANOS.

mia, à Philippo Bono Burgundiæ Brabantiæque Duce excitata, deflectens, dies ibi paucos ſubſtitit: & *Victorem Giſelinum*, dum Medici titulo donatur, publicè laudauit. Quâ quidem oratione à meridie dictâ, & conuiuio mox inſecuto, febrim acerrimam contraxit, & tantùm non perijt.

APVD VIENNENSES IN AVSTRIA.

Valetudini priſtinæ redditus, Viennam Auſtriæ, atque in Maximiliani II. aulam ſe contulit: quæ vna plures tunc eruditos habebat, quàm aliorum tota ferè regna. Hîc *Augerio Giſleno Buſbequio*, multis legationibus claro, *Ioanni Cratoni, Nicolao Bieſio*, Medicis, *Ioanni Sambuco*, *Stephano Pighio*, Hiſtoricis, innotuit & placuit: atque ij iuuenem retinere, & ijs in locis illigare non vnâ conditione ſunt conati. at fruſtrà. Nam patriam reſpectabat;

M. D. LXXII.

& animo redeundi, per Bohemiam, luſtratâ Pragâ vrbe regiâ, per Miſniam, Thuringiam, & vicina Saxoniæ loca, iter inſtituit: cùm ecce triſtes de afflictâ nouo bellorum turbine Belgicâ, déque attrito militari iniuriâ patrimonio, nuntij allati, pedem figere vel inuitum iſtis in locis adegerunt.

PROFESSIONIS PRIMORDIA.

Itaque Ienæ apud Thuringos paullò plus annum hæſit & docuit: atque illa primordia ad Profeſſorium ipſi munus fuêre. In quo munere ad extremum vſque ſpiritum, quamquam rude iam donatus à Ser^{mo} Principe noſtro ALBERTO AVSTRIO, magnâ conſtantiâ perſtitit: ne iuuentuti, cui ad optima ducendæ natus erat, deeſſe videretur.

Tac. 13. Annal.

Fecit itaque quod ante ipſum nobiles, imò principes viri fecêre: rati nimirum, *Profeſſione publicâ, dignitatem omnem ornari, non deſtrui*. Quod addo, ne quis *Profeſſoriam* ipſi *linguam*, vt olim Agrippina magno illi Senecæ, velut probrum obijciat.

VXOR.

Cent. 1. epiſt. 31.

Sed rebus in Belgicâ paullulùm pacatis, oculos iterùm ad ſuos ac ſua flexit, & Coloniam Vbiorum venit. Hîc *Annam Calſtriam*, viduam, patriciâ Louanij familiâ genitam, duxit vxorem: ſui magis animi, quàm amicorum impulſu. Sed, vt ille ait, *Sic erat in fatis*: & *fatalem viro feminæque torum eſſe*, Euripides olim monuit, LIPSIVS vſu didicit. Vixerunt porrò concorditer, quamquam fructus matrimonij, id eſt liberorum, exſortes: quæ res, feliciſſima alioqui coniugia, ſæpè turbauit & turbat. Diſputant autem Medicorum filij, quî fiat, vt viri magni atque heroës ferè liberos non ſuſcitent; aut ſi ſuſcitent,

ijdem ipſi, pro veteri prouerbio, noxæ ac probra plerumque exiſtant.

ANTIQVAE LECTIONES. CORN. TACITVS.

In Vbijs menſes nouem cum vxore LIPSIVS ſubſtitit, & *Antiquas Lectiones* conſcripſit: quæ in Plauto potiſſimùm emendando verſantur. *Cornelium* deinde *Tacitum*, hiſtoricorum omnium prudentiſſimum, in manus ſumſit, & in Colonienſi iſto ſeceſſu Notis primùm illuſtrare cœpit: quem ſcriptorem, neque notum ſatis anteà, neque luce aut medicinâ dignâ donatum, bono publico ipſe produxit. Vtramque dare quidem conati anteà fuerant, *Ferretus*, *Alciatus*, & *Vertranius*: ſed conati tantùm. Itaque viam ipſis viſam potiùs quàm tritam ingreſſus noſter, perpetuum poſteà *Commentarium* Lugduni in Batauis adiecit. Placuit is labor vniuerſæ Europæ: & multi deinde, quaſi muſcæ, ad odorem bonæ famæ conuolarunt, atque in eodem muſtaceo, quod dicitur, lauream quæſiuerunt. In his *M. Antonius Muretus*, *Ioſias Mercerus*, *Ludouicus Aurelius*, Galli; *Curtius Pichena*, *Iulius Salinerius*, *Annibal Scotus*, Itali; *Emanuel Sarmienius Mendoza*, Hiſpanus; *Ianus Gruterus*, Belga; *Sauillus*, Britannus; alij: quorum nonnulli (ex ambitione an odio, haut facilè dixerim) viro illudere atque inequitare ſtuduerunt; alij contrà modeſti, ſymbolas ſuâ ſponte contulerunt. Quin & *Lucius* neſcio quis ab ignoto terræ angulo demum prorupit, & ſpecioſo Mirandulani codicis titulo, Notíſque ex eo in ſcenam prolatis, Campanâ quadam ſuperbiâ, in LIPSIVM proteruus incurrit. At mox laruam ipſe detraxit, & petulantiam ſiue inſcitiam hominis, illam repreſſit, hanc produxit. Senſitque ſuo malo miſellus, *barbam leoni languido* (nam tum languebat noſter, & reſpondendo conualuit) *vellendam non eſſe*.

Præfat. in Tacitum.

MANSIO IN ISCANO. M.D.LXXV.

Poſt *Tacitum*, & *Antiquas Lectiones* euulgatas, ſuſtinuit ſe paullisper à ſcribendo, atque ex Vbiis in Iſcanum ſuum migrauit: animo deſtinans ruri agere, & tabernaculum vitæ in quiete illâ, ab ambitu curíſque remotâ, collocare. Scripſitq; id temporis ad cognatū ſuum *Guil. Breugelium*, Conſiliarium regium, dignam cedro *Epiſtolam*: quâ Agrum, eiuſque cultum, Vrbe meliorem eſſe, atque ad Sapientiam, ad Mores, ad Voluptatem, itémque ad Fructum, longè aptiorem diſertè commonſtrauit.

Cent. I. miſcell. epiſt. 8.

Et

Et iam ſeriò quietum, latens, ac rureſtre iſtud vitæ genus erat ingreſſus: cùm ecce bello ciuili iterùm exſuſcitato, licentia militaris ex agro in vrbem migrare compulit. Itaque Louanium redux, Iuriſprudentiæ ſtudijs, ex amicorum conſilio, magis ſeriò ſe dedit, & titulum etiam Iureconſulti, publicâ inauguratione, in magnâ frequentiâ, & poſt ſolennia experimenta, ibidem ſumſit. A foro tamen atque à Reipublicæ procuratione, non inertiâ, ſed iudicio ſe perpetuò abſtinuit: quod decretum nulla ipſi Suada aut Sophia eripere vmquam potuit. Sciebat quidem Stoïcos, quos præ ceteris Philoſophis mirabatur, hac in parte eſſe alios: vt qui Reipublicæ ſeſe dant, & vndis, quod Poëta ait, ciuilibus ſeſe merſant. Sed ingenium, natura, & ratio aliud noſtro dictabant, ſuadebántque REIPVBLICAE NON MISCERI, præſertim BELGICAE, in tantâ rerum confuſione, vbi nemo auditurus, nonnemo ſana etiam conſilia eſſet irriſurus. Voce tamen ac ſtilo ſic vniuerſis & ſingulis prodeſſe ſemper ſtuduit, vt non vnius Reipublicæ, ſed totius generis humani curam geſſiſſe videatur. *Nec enim is ſolus* (vt ſapientiſſimi Senecæ verbis vtar) *Reipublicæ prodeſt, qui candidatos extrahit, & tuetur reos, & de pace belloque cenſet: ſed qui iuuentutem exhortatur, qui in tantâ bonorum præceptorum inopiâ, virtute inſtruit animos, in priuato publicum negotium agit.* Quin imò eximia in primis ea cenſetur de Republicâ benè merendi ratio, ſi quis de Regibus ac Principibus benè mereri, id eſt, ſalutarium face monitorum ijs ſtudeat prælucere. Itaque ne in otio litterario ignauiam quæſiſſe videretur, ſub id tempus *Epiſtolicas* Louanij *Quæſtiones* (in quibus cùm ad varios Scriptores, tum ad T. Liuium pleræque ſunt Notæ) euulgauit: *Leges* item *Regias & Decemuirales*, in auditorum gratiam, quibus eas ipſas, vt & *Liuij* quædam, publicè interpretatus fuerat, tunc concinnauit.

IVRECONSVLTI TITVLVS.

M.D.LXXVI.

Cent. 1. miſcell. epiſt. 24.

DECRETVM, REIPVBLICAE NON MISCERI.

EPISTOLICAE QVAESTIONES.

LEGES REGIAE ET DECEMVIRALES.

Exinde acriores procellæ & venti iterùm excitati, quibus nihil propiùs factum, quàm vt Belgicæ nauis mergeretur. Brabantia in primis noſtra fluctuabat: Ordinum confæderatorum copijs à Ioanne Auſtrio, duce fortiſſimo, partáque de Turcis ad Echinadas victoriâ clariſſimo, apud Gemblacum cæſis fugatíſque. Quid? Muſæ tympanorum turbarúmque ſtrepitu in exſilium pelluntur: cum ipſis alumni diffugiunt, atque inter

M.D.LXXVIII.

XXX. IANVARII.

ter ceteros Lipsivs. Louanio in ordinem redacto miles regius impónitur; ſupellex Lipſiana, in iſtâ rerum flammâ, periclitatur. Opportunè *Martinus Antonius Delrius*, Ioanni tunc Auſtrio à conſiliis, idemque regiis in caſtris Iudex, adfuit: & veteris amici ſui (is ſe Antuerpiam ſubduxerat) res, opes, libros, ac ſcripta, id eſt vitam ipſam, vt noſter nuncupat, periculis eripuit. Exinde turbis, Numidæ in morem circũactus, ſine lare, ſine certis ſedibus aliquamdiu noſter diſcurrit: quas tandem Lugduni in Batauis poſuit, Ordinum vocatu, & ſtipendio ſanè perhoneſto; ſed temporaneas, non perpetuas,

Cent. I. miſcell. epiſt. 14. M. D. LXXIX. *Epiſt.* 17.

Dum conſileſcant turbæ, atque iræ leniant.

Turbæ tamen ex turbis, vt fieri amat, enatæ ſtationem mutare vetuerunt, & annos ipſos tredecim in Batauis tenuerunt. In alto illic otio, in flore ætatis & ingenij, ſcripſit ediditque varia, atque ea præ ceteris maximè elaborata. Initium fecit ab *Electorum* libris: in quibus partim *Critica*, partim *Ritualia*, variè electa ac decerpta; Plinij exemplo, quem commentarios CXX. Electorum reliquiſſe, nepos eius disertè commemorat.

ELECTORVM LIBRI.

SATYRA MENIPPAEA.

Satyram poſteà *Menippæam* luſit in ambitionem atque imperitiam quorumdam, qui Criticos ſeſe dicunt: veros enim germanoſq; tangere mens illi numquã fuit. Turbas tamen atque inuidiam auctori ſcriptum iſtud peperit: quòd in eo ioci eſſent nonnulli de laureâ Poëtarum, quam Imperator ſolet elargiri. Clamabant vniuerſum id genus vatum, ignominiâ ſeſe ab ipſo affectos, Cæſaremque ipſum iniuriâ adſperſum, quaſi non id illi ius eſſet aut poteſtas. At poſtquam [a] Epiſtolâ ſeorſim editâ ſe purgauit atque aperuit, omnis iſta bilis ſoluta eſt in riſum. Nihil enim aliud ſchemate illo voluit, quàm quod vetus habet verbum: *Multos thyrſigeros eſſe, paucos Bacchos*; itemque *Laurigeros* quidem *multos, paucos* autem *Phœbos* in Germaniâ numerari. Et hoc ſciunt, meritóq; deplorant illi ipſi, quos merito ſuo Phœbæa illa laurus cinxit.

[a] *Exſtat in Saturnalium frõte.*

Cent. I. miſcell. epiſt. 28.

M. D. LXXXII. SATVRNALIA.

A turbis ad ludos & ſpectacula conuerſus, *Saturnalium* libros, qui *De gladiatoribus*, foras dedit: & cruentas illas in pace pugnas, noſtro æuo ignotas, retraxit; oculíſque velut ſpectandas, non ſine caueæ Senatoriæ & Equeſtris plauſu, propoſuit: venuſtâ *Othonis Vænl*, noſtratium Pictorum facilè principis, manu

manu ac penicillo adiutus. Cúmque vniuerſam rem Spectaculorum veterum, Muneris inquam vtriuſque, cùm Circi tum Scenæ, illuſtrare ſtatuiſſet: perutile illi viſum, imò neceſſarium, de locis ipſis, eorúmque formis, quædam præmittere. Itaque *De Amphitheatro* quædam contexuit, ipſámque Arenæ imaginem, faciem & habitum accuratè expreſſit. AMPHITHEATRVM.

Et potuiſſet id genus plura ex Antiquitate quaſi ludens depromere, niſi ſeria illum ſtudia auocaſſent, & acri quodam thyrſo pectus alta Diua percuſſiſſet. Sapientiam intelligo: cuius ſemitam diu interclusam, ſpiníſq; obſitam ſternere & munire aggreſſus, vt publicis malis ſolatium pro virili adferret, *De Conſtantiâ*, in mediis Belgicæ noſtræ turbis, conſtanter ſcripſit, & S. P. Q. Antuerpienſi inſcripſit. Quod adeò gratum illis exſtitit, vt pro veteri ſuo in eruditos homines humanitate ac beneficentiâ, aureum viri libellum duplicem duplici paterâ inauratâ, affabrè cælatâ, compenſandum exiſtimarint. CONSTANTIA.

Sub idem tempus nouitius in Italiâ libellus prodiit, *M. Tullij Ciceronis*, vt volebant, *Conſolatio*: quo ſcripto ſeipſum de filiæ obitu conſolatus dicebatur. Iudicio ad hunc noſtrum *Reipublicæ litterariæ Principem* (quem illi titulum Gaugericus Riuius ingenioſo libello adſtruxit) delato, is perſonam mox detraxit, & ſtilum diſiunctum, otioſum, lentum, & phraſim Sigonianam primus, niſi fallor, agnouit ac detexit: *Iano Guilielmio*, *Riccobono*, aliis mox ſuffragantibus. Auctâ porrò iam famâ, cùm *Epiſtolas* ſuas ab aliis alibi vulgari comperiſſet, eas ipſe errantes collegit, & *Longolij, Sadoleti, Bembi, Bunelli*, quémque in hoc genere vnicum laudare ſolebat, *Politiani* exemplo, publici iuris fecit: *Epiſtolicâ Inſtitutione* in bonum iuuentutis adiunctâ. Atque hinc iterùm turbæ: quòd in Centuriâ alterâ epiſtolæ quatuor eſſent, quæ ioci aut ſalis aliquid haberent in hoſpitia VVeſtphalorum. Non pauci morſum aut læſionem interpretati ſunt: & pro VVeſtphalis ſuis libello etiam edito *Domannus* pugnauit. At LIPSIVS, vt erat ingenio placido, atque ab omni litigandi ſtudio admodum alienus, epiſtolas illas, non interpretatione ſolùm leniuit (quod verè poterat, & publicè in litteris ad Iacobum Monauium iam fecerat) ſed ſpongiâ deleuit. M.D.LXXXIII. CICERONIS CONSOLATIO. EPISTOLAE. EPISTOLICA INSTITVTIO.

Vt de *Valerio Maximo, Senecâ Tragico, Velleio Paterculo*, quos Notis & Animaduerſionibus illuſtrauit, nihil dicam: dialogus *De rectâ linguæ Latinæ pronuntiatione* dignus eſt profectò, qui publicè in ſcenâ laudetur. Grammaticum, fateor, argumentum, atque ex ſe tenue ac vile fortaſſe; ſed quod olim & Senatores atque ipſi Principes tractarunt: quodque ſic noſter enucleauit, vt ne ipſe quidem Priſcianus, ſi reuiuiſcat, quidpiam addere aut deſiderare poſſe videatur. Et neſcio certè, an poſteritas credet, ab vno eodemque ingenio, & hæc minuta, & alia quæque grandia, tam exactè, tam æqualiter potuiſſe tractari. Enimuerò quid teſſellato *Politicorum* opere ſublimius? quid illo *De vnâ Religione* commentario diuinius? Vt phrygiones è varij coloris filo vnum aulæum formant: ſic noſter mille aliquot veterum gnomas, pulchras, acres, atque ad ſalutem generis humani natas, in vnum conduxit, atque ex iis elegans iſtud *Politicorum* corpus conflauit. Nimirum in *Conſtantiâ* ſuâ Ciues ad patiendum & parendum formarat: hac ſcriptione Regibus ac Principibus, ad rectè imperandum, facem prætulit.

DE RECTA PRONVNTIATIONE LINGVAE LATINAE, DIALOGVS.

POLITICA.

Inuidiam tamen (vt ſumma ſemper petit liuor) effugere non potuit, quam duæ ipſi * voculæ potiſſimùm pepererunt: ignem ſtruente *Theodoro Cornhertio* (quem nunc Diodorum, nunc Dialogiſtâ ipſe nuncupat) homine vix Latino, & nouæ in religione apud Batauos ſectæ auctore & anteſignano. Scripſerat noſter, *Hæreticos ſeditioſos ac turbidos eſſe puniēdos*: ille ſic accepit, quaſi dixiſſet, quoſcumq; in religione errones vrendos, ſecandos, occidendos; libellóq; vulgari linguâ edito, hominem mitiſſimum ſæuitiæ apud Ordines Batauię accuſauit. hominem, inquam, mitiſſimum: cuius ſcripta quiſquis ſedatè legerit, nec ſæuitiam nec lenitudinem increpabit, ſed fatebitur viam præſcriptam, quam bono generis humani iniuerint hodie qui regnant. Quin imò agnoſcet in lenitudinem ſemper fuiſſe proniorem, quíque in hanc potiùs, quàm in aliam partem peccandum, ſi modò peccandū, exiſtimarit. Et tamen VRENDVM & SECANDVM nonnumquam; veterum Medicorum ritu: qui in prauo vlcere aut vulnere ſecabant, deinde ſiſtendo ſanguini vrebant. Nam quis eadē vetet in animi vlcere, præſertim ſi quando vana

* VRE, SECA.

Contra Dialogiſt. cap 3.

Religio peperit ſceleroſa atque impia facta,

Lucret.

ſi quan-

ſi quando turbas & diſſidiorum faces accendit? Vt vetera & noſtra taceam: an non Caluinus ipſe in Michaële Serueto, patrum memoriâ, præiuit exemplo? An non & Beza clamat? *Qui hæreticos puniendos negant, illi conantur in Eccleſiam Dei inuehere opinionem longè peſtilentiſſimam, & ex diametro repugnantem doctrinæ primùm à Deo Patre traditæ, deinde à Chriſto inſtauratæ, ab vniuerſâ denique Eccleſiâ Orthodoxâ perpetuo conſenſu vſurpatæ. Vt mihi magis quidem abſurdè facere videantur, quàm ſi ſacrilegos aut parricidas puniendos negarent, cùm ſint iſtis omnibus hæretici infinitis partibus deteriores.*

Ad LIPSIVM redeat oratio. Is, libello *De vnâ Religione* aduerſus *Cornhertium* edito, ex Batauis dolo bono pióque ſe ſubduxit: profectione per Germaniam in Eburones, ad Spadanos fontes acidos, hepatario, quo laborabat, morbo (vt prætexebat) curando, inſtitutâ. Diſceſſus cauſſa duplex illi fuit, Religio nimirum & Fama: acre telum vtrumque. Hamburgo itaque Moguntiacum ſtudio deflectens, cum Eccleſiâ Catholicâ Romanâ ſeriò & publicè in gratiam mox rediit, ídque per Patres Societatis IESV ibidem: non timidè aut ignauè, ſed palàm noſter in poſterum futurus. Id ipſum litteris ad *Martinum Delrium*, Leodici tunc agentem, datis libuit teſtari: quas ad vtriuſque gloriam hîc ſyllabatim exhibebo.

DE VNA RELIGIONE LIBER. M.D.XC.

Cent. 2. miſcell. epiſt. 87.

REVERENDE PATER,

AMOR *veſter vetus & verus non permittit, vt te celem facinus grande, quod patraui. Dei benignitate eripui me è laqueis, quibus implicabar, & ſaluus atque incolumis perueni in Germaniam ad Patres veſtros. Mentior, ſaluus. Æger perueni, & preſſus pondere peccatorum. Sed Dei miſericordia, ope Patrum, illis quoque me liberauit; & hoc vnum supereſt, vt perſeuerem in bonâ viâ, & firmo eam pede calcem. Iuua ô me tuis precibus: tu inquam, qui ad hanc me in parte duxiſti, poſt cuius ſalutares litteras Deum iterùm iratum habeam, ſi vmquam conquieui. Nocte & die me fodit ille ſtimulus, nec ipſe ſomnus mihi niſi per inſomnia inquietus. Deo gratia eſto, qui inuitum quaſi & reluctantem ſic eduxit, & poſuit in locis, vbi mihi, Eccleſiæ & Reipublicæ poſſim eſſe vtilis. quod ſeriò recipio me (illo*

LIPSII AD DELRIVM EPISTOLA DE SVO AD CATHOLICOS REDITV.

adiuuante) facturum. Sum nunc apud Patres Moguntiaci, & inter primas curas habui, vt hæc paucula ad te exararem. Lætare frater, qui verè fratrem & amicum recepiſti; & ignoſce omnia præterita, ita Deus tibi quoque ignoſcat. Precibus tuis & Patris Orani me commendo ſeriò, ſeriò: quem participem facere huius nuntij potes, ſed ſolum. Nam diuulgari non expedit, quia vxor, familia, & reſculæ meæ, etiamnunc ſunt apud Hollandos. Breuî eripiam, & palàm bonis me reddam. Ora, ora pro me. Moguntiaci, XIV. *April.* M. D. XCI.

Nunc demum tuus verè frater I. LIPSIVS.

Non defuerunt tamen, qui minùs ſincerâ candidáq; mente nomen dediſſe Eccleſiæ Romanæ, calumniarentur. Aduerſus quos rabulas ac blatterones audi ſic alibi exclamantem: *Deus fulmine ſuo me perdat (cogor enim aliquid pro adfectu ardentiùs dicere) ſi eſt aut fuit in totâ hac actione meâ aliquid ſimulatum. & omitto Deum omniſcientem illum iudicem, & omnia vindicantem: apud homines ipſos ita proſtituam meam Famam, vt palàm ita proditor ſim & audiam? Qui aliquid ſinceri iudicij adfert, & oculo non iniquo intuetur meam cauſſam, videbit ne poſſe quidem me aliter ambulare, quàm pede recto. Quod feci, quod facio, quod faciam, ſecurus de humanis iudiciis, quibus in malignam ſententiam ego quidem non ſim cauſſa.*

In epiſt ad Ludouicum Thouerãn 1591. datã.

Moguntiaco digreſſus, cùm Leodici, tum Spadæ biennium ferè egit; bibítque Acidulas illas, iam olim à Gilberto Philareto Limburgio, & nuper à Philippo Gæringo, Thomâ Rietio, Abrahamo Nicolao Frambeſario, aliíſque Medicis laudatas. Amicos hîc repperit, *Guilielmum Bergium* in D. Lamberti Decanum, Antuerpiæ pòſt Antiſtitem, ac demum Cammeraci Archiepiſcopum; *Iacobum Carondeletum*, Cancellarium; *Arnoldum VVachtendonchum*, *Carolum Billeium*, *Petrum Oranum*, Conſiliarios; *Dominicum Lampſonium*, poëtam egregium; eiúſq; fratrem *Nicolaum*, ad D. Dionyſij Decanum; *Ioannem Furium*, Martinianæ ædis Canonicum; *Othonem Vænium*; quíque per litteras, vnà cum *Nic. Oudarto*, auctor illi ac princeps ad mutandam ſedem exſtiterat, * *Martinum Delrium*, ſacra tunc Conſcientiæ iura in eâ vrbe explicantem.

**Delrij vitam typis Plantinianis editam conſule.*

Famâ diſceſſus per Germaniam ſparſâ, mox *Guilielmus* Boiorum Dux, eiúſque frater *Erneſtus*, Vbiorum atque Eburonum

PRINCIPES, QVI EVM AD SE EVOCARVNT.

ronum Antiſtes, *VVolfangus Theodericus* Salisburgenſium, *Iulius* Herbipolenſium, *Andreas* Vratiſlauenſium, Præſules, aliíque Germaniæ Principes ipſum ſplendidè ac prolixè inuitarunt. Vt & poſteà *Clemens* VIII. Pont. Max. *Aſcanius Columna, Gabriel Palæottus, Fredericus Borromæus, Franc. Sfortia,* Cardinales; *Henricus* IV. Galliæ Rex, *S. P. Q. Venetus, Ferdinandus Medices* Etruriæ, *Franciſcus Maria Roboreus* Vrbinatium, Duces; *Patauini, Bononienſes,* & alij cùm Principes tum populi, ſtipendio ac viatico quod ipſe definiret, pluries vocarunt. Vnius priuati hominis adfectum ſilere nec poſſum, nec debeo. Fuit is *Benedictus Arias Montanus,* Hiſpalenſis, vir eruditis linguis cultiſſimus, quíque editioni Bibliorum Complutenſium, iuſſu Philippi II. Regis Catholici à Plantino adornatæ, præfuit. Is, inquam, benignâ & rarâ effuſione, LIPSIVM, non vt hoſpitem aut amicum, ſed (eo verbo vtendum eſt) quaſi filium, ſæpiùs in Hiſpaniam, ſuámque domum inuitauit: & ſe viuo, rerum ſuarum conſortium, mortuo ſucceſſionem ex aſſe obtulit. Eant nunc, qui ſæculum hoc effœtum eſſe, nec magna in illud exempla cadere, falsò queruntur. Omitto ceteros, qui vltrò vocare, adſciſcere, & proprium ſibi habere hunc virum, honeſtiſſimis congiariis, voluerunt. Neque ipſe omnino noluit fortaſſe: ſed patrię amor & miſeratio, velut tribuniciâ quadam vi, interceſſerunt, & abeſſe talem ciuem noluerunt. Louanium igitur reuerti placuit: Brabantiæ Ordinibus per *Nicolaum Oudartum,* veterem amicum, Machliniæ tunc Canonicum & Officialem, benignè ſerióque vocantibus. Quibus, vt gratum ſe probaret, ſuos *De Cruce* commentarios paullò poſt dicauit conſecrauítque: ſcripto teſtatus, *Si quid vſquam præter religionem moreſque veterum, ſe non agnoſcere, Tibiq; ſe adhærere,* STATV FELIX ECCLESIA, CVI TOTAM DOCTRINAM APOSTOLI PETRVS ET PAVLLVS CVM SANGVINE SVO PROFVDERVNT. Pupugit id grauiter quotquot nouis in religione opinionibus ſtudebant: è quibus nonnemo Lipſianæ mox Latinitati bellum indixit, alius Antiquitatis inuidiam, atque id genus criminationes obiecit. Sed iaculationes iſtæ, lapides iſti in ipſum pluebant ab vnâ hac cauſſâ, quòd illam cauſſam (in quâ tamen corpore potiùs, quàm animo fuerat) forti-

BENEDIC. ARIAS MONTANVS. *Cent. ad Italos & Hiſpanos epiſt. 4.*

Præfat. in Poliorcetica.

M.D.XCII. DE CRVCE LIBRI. *Hoc de Romanâ Tertull. præſc. aduerſ. hæret. cap. 36.*

Henr. Stephan Georgius Thomſonus, & alij.

Cent.3. ad Belgas epiſt.28. fortiter & feliciter deſeruiſſet. Non expediebat ſcilicet, LIPSIVM in admiratione eſſe, qui tacitus & exemplo partes eas damnaret: tacitus? imò apertâ, vt dixi, profeſſione, & ſcriptis. Hoc mordebat, hoc pungebat, hoc voces, calumnias, inuidiam excitabat.

Porrò cùm opus aliquod iamdiu LIPSIVS meditaretur, & ſolicitè quæreret, quod lucem ad res Romanas & Græcas præferret, repperit quod *Facem Hiſtoricam*, non ex ſuperbiâ, ſed ex propoſito, appellaret. [FAX HISTORICA.] Hoc cùm diffuſum, imò & confuſum eſſet, placuit excerpere primùm ex omni cumulo quidquid ad *Militiam* facere videbatur. [MILITIA ROMANA.] In ſuis itaque ad *Polybium* cõmentariis, quidquid ad militiæ ordinem, arma, legéſque ſpectat, aperuit: in *Poliorceticis* autem *Machinas, Tormenta, Tela* veterum, adiutante iterùm *Vænio*, exhibuit; [POLIORCETICA.] daturus & *Triumphum*, felicis belli clauſulam, niſi valetudo aduerſa interceſſiſſet. Sibi pòſt redditus, *Admiranda Imperiorum* florente olim ætate collecta, cœpit diſponere & vulgare; à *Romanâ Magnitudine* feliciter exorſus. [MAGNITVDO ROMANA.] Atque vtinam ceterarum gentium Imperiis eamdem lucem ac gloriam mors importuna non inuidiſſet.

M.D.XCIX. Ad annum, Ser^mis^ Principibus noſtris ALBERTO & ISABELLAE CLARAE EVGENIAE auſpicalem, venio. Ij cùm Louanij, more maiorum, VIII. Kal. Decembres inaugurati eſſent, poſtridie eius diei Athenæum ſiue ſcholas publicas viſerunt: magnos in eo Principes imitati, vt *Cn. Pompeium Magnum*, qui è bello Mithridatico victor, Rhodum veniens, Poſidonium publicè contra Hermagoram diſputantem audiuit, [*Plutarchus*] omnium Profeſſorum ædes ſingillatim circumiuit, exedras luſtrauit, faſcéſque laureatos ac ſecures priuatorum ianuis ſubmittens, ſingulis munificentiâ verè Romanâ talentum impertiuit. Quid Tiberius Imp. in eâdem vrbe? *circa ſcholas & auditoria Profeſſorum*, (vt Suetonij verbis vtar) *aſſiduus fuit.* Quid *Claudius* itidem Cæſar? ille verò inopinatus ſæpè recitantibus interueniebat. Sic & Principes noſtri, cùm ad gymnaſium publicum veniſſent, LIPSIVM dicere aliquid ſubitaneum voluerunt, ſiue iuſſerunt. Fecit. & à ſolitæ lectionis more non recedens, *Annæi Senecæ* librum *De Clementiâ* in manus ſumſit; & pauca eius verba, à conſeſſu & tempore iſto non aliena,

aliena,explicauit. Quam quidem *Diſſertatiunculam* ad Principes habitam, qualis fuit, totidem verbis, ſine colore aut fuco, poſteà vulgauit: etſi augere ac polire, exemplo veterum, atque adeò Tullij & Plinij, potuiſſet. Et verò intererat publicè, factum iſtud Principum, quale in omni æuo vix legas, prodi, poſteriſque tradi. Quid enim illuſtrius, quàm feminam, inter Principes principem, vltrò ad iſtas recitationes litterarias veniſſe, ſediſſe, audiſſe? Fecit. quid niſi heroinam illam *Iſabellam*, Ferdinandi Magni Regis Catholici coniugem, atauiam ſuam, æmulata? quæ adeò honeſtarum artium amore flagrauit, vt iam nupta & grandior, Latinas litteras diſcere non erubuerit. O, eat in ſæcula illud & hoc exemplum, & vnà cum bonâ Famâ, Principes ament iſtas Famæ & Æternitatis artes! DISSERTATIVNCVLA APVD SERENISS. BELGII PRINCIPES.

Tabida conſumit ferrum lapidemque vetuſtas,
Nullaque res maius tempore robur habet.
Scripta ferunt annos: ſcriptis Agamemnona noſti,
Et quiſquis contrà, vel ſimul arma tulit.
Fit viuax ſcriptis virtus, experſque ſepulcri
Notitiam ſeræ poſteritatis habet.

Ouidius lib. 4. De Ponto, eleg. 8.

Diſſertatiunculæ extemporaneæ, & per ſe leui fortaſſe, vt pondus adderet, *C. Plinl Secundi Panegyricum*, Traiano Imp. dictum ſiue ſcriptum, cum perpetuo commentario, adiunxit. Atque vtinam, bis vtinam, præclara iſta Palatini noſtri legant, intelligant, & obſequantur! Idem Regibus ac Principibus optare liceat; quibus *Politica* ſcripſiſſe non contentus vir bono publico natus, eadem *Exemplis Monitiſque*, vt valida eſſent atque efficacia, illuſtrauit. *Exemplis*, inquam, illuſtrauit, quòd illa & in rem velut præſentem ducant, & facta oſtendant, quæ facienda ſuadentur: quodque viam præeant, in quâ veſtigia tutò ponamus. Qui nauigandi parùm peritus eſt, vt vada & ſcopulos vitet, priores ſequitur naues; & ſine magnâ ſuâ arte, portum cum iis petit & tenet. Quis neſcit & mulierculas, vt faciem cultúmque rectè diſponant, ad ſpeculum ſe comere? Prorſus hîc idem, aliena vita & facta ſpeculum ſunt, & imago, in quâ te videas, ad quam mores tuos decorè componas, & cum fructu caſtiges. Selectiſſima itaque *Exempla*, maximeq; varia, LIPSIVS è variâ & multiplici lectione ſepoſuit; & ad communem

PLINII PANEGYRICVS.

EXEMPLA ET MONITA POLITICA.

Exempl. lib. 1. c. 1.

munem omnium vſum, eleganti ſanè ac facili ſtilo, repræſentauit: vt in hoc genere paria cum Maximo Valerio fecerit, imò ſuperarit, ſi iudiciũ atque in ſcribendo diſpoſitionem ſpectes.

Hiſtoriæ porrò Belgicæ ſcribendæ à primis annis animum ſi applicuiſſet, non eſſet, cur Italis *Iouium*, *Sigonium*, Hiſpanis *Marianam*, Gallis *Maſſonum* inuideremus. Fidem faciunt hiſtorici *De Louanio eiusque vrbis Comitibus* commentarij; quos, occaſione nuptiarum Ill^mi *Caroli* Ducis Croij & Arſchotani, ſubitariè contexuit: vt eâdem operâ *Heuerleam*, nobiliſſimum Belgicæ prætorium, in ſuburbano Louanienſi, fontibus, arboretis, hortis, viis, ædificiis ad miraculum nuper à Lucullo iſto Belgico inſtructum, in exterorum quoque notitiam ac lucem protraheret. Dediſſet & *Brabantiæ* vniuerſę hiſtoriam, ab Ordinibus non ſemel rogatus, atque honeſto congiario excitatus, niſi fata inuida vetuiſſent. Cœperat enim mediæ ætatis hiſtoriis, præſertim noſtratibus, iam grandior adfici: etſi iunior Romanarum rerum admirator vnicus, vſque ad contemtum ferè ceterarum, fuiſſet. Nihil præter antiqua delectabat (quod quidem ſtudium, ſeu veriùs morbus, hodiéque multorum eſt) quæque noſtri aut paullò ſuperioris æui erant, vt barbara & ſordentia contemnebat. Senior iudicium mutauit. nam etſi illa immenſùm præferenda, tamen & hæc in ſubſeciuis vtiliter habeantur: & iuuet etiam maiorum noſtrorum res, ingenia, mores noſſe; liceátque ex iis optima in vſum aut exemplum transferre.

LOVANIVM.

Cent. 5. miſcell. epiſt. 78. & 94.

In Louanio lib. 1. c. 1.

Corn. Tacitum, prudentiæ patrem, florente, vt diximus, ætate vulgarat: eâ fatiſcente, voluit & *Annæum Senecam*, philoſophum, ſapientiæ fontem, dare. *Manuductionem* ergo *ad Stoicam Philoſophiam* adornauit; id eſt, facem ad eius ſectæ principem *Senecam*, quæ præluceret, accendit: tantò alacriùs ea ſtudia aggreſſus, quo breuius iter laboribus ſcriptíſque ſuis reſtare præſagiebat. Sicut athletæ, cùm metam vident & accedunt, etſi feſſi, approperant: ſic ipſe in ſenectutis limite alacriùs promptiúſque ſibi laborandum exiſtimauit. Itaque vniuerſa Stoicæ familiæ dogmata, & decantata illa Paradoxa eruit; quódque à nemine factum anteà, diſpoſuit, & velut in theſauro condidit. *Ethica* quidem ex Epicteto, eiúſque interpretibus Ariano

M. DC. IV.

MANVDVCTIO AD STOICAM PHILOSOPHIAM.

ac Simplicio, Plutarcho item aduerſus Coloten, Muſonio apud Stobæum, M. Tullij Paradoxis; *Phyſica* verò ex Cleomedis Meteorologicis, Stobæi Eclogis, & M. Tullij Academicis; vtraque autem ex Senecâ, Diogenis Laërtij Zenone, aliíſque reuocauit.

PHYSIOLOGIA.

Exinde, poſt *Ferdinandum Nonium Pintianum*, *Joannem Petreium*, Hiſpanos; poſt *M. Antonium Muretum*, *Nic. Fabrum*, *Franc. Juretum*, *Dionyſium Gothofredum*, Gallos; poſt *Deſ. Eraſmum*, *Hadr. Iunium*, *Ianum Gruterum*, Belgas; ſeriò ipſum *Senecam* aggreſſus eſt: vt fatali quadam ſympathiâ tres eruditi Belgæ, inter ſe amiciſſimi, in *Senecis* illuſtrandis, *Lipſius* in Philoſopho, *Andr. Schottus* in Rhetore, *Mart. Delrius* in Poëtâ tragico, conſpiraſſe videantur.

L. ANNAEVS SENECA, PHILOSOPHVS.

Philoſophum quidem eximium, Virtutis atque Honeſti præconem, emendatum, ſcholiíſque illuſtratum PAVLLO V. Pont. Max. noſter inſcripſit: & per *Philippum Rubenium*, ſuum olim auditorem (qui S. P. Q. Antuerpienſi à Secretis *Ioanni Bochio*, poëtæ eximio, ſuffectus) obtulit.* Voluit nimirum vel ſic orbi vniuerſo cõſtare, quem caput Religionis in orbe agnoſceret. Pontifici optimo donum & dicatio longè gratiſſima exſtitit: quod per litteras ipſe teſtatus eſt, quin & hortatus, vt ſtilum & ingenium ad ornandam Eccleſiam, & magnitudinem eius propagandam, vellet conferre. Quod velut diuinitus ſibi imperatum ſuſcipiens, ſtatuerat omnem huic rei operam dare, ſi vita longior obtigiſſet: vt litteris ipſe, paucis ante obitum diebus, ad eumdem PAVLLVM Pont. datis, diſertè eſt conteſtatus.

Bochius obijt an. M. DC. IX. Rubenius M. DC. XI.

* Cent. 5. Miſcell. epiſt. 84.

Epiſt. 98.

Etſi iam antè hunc animum cœperat oſtendere, & publicè militem in Eccleſiæ caſtris agere. Nam ediderat ante biennium, *Miracula & laudes* DIVAE VIRGINIS HALLENSIS, itémque DIVAE SICHEMIENSIS. Qui libri quia ſermonem multis dederunt, & ſummam auctori apud Nouatores inuidiam conflarunt, habe ſcriptionis vtriuſque, quidquid alij mentiantur, occaſionem & cauſſam.

DIVA HALLENSIS ET SICHEMIENSIS.

A primâ adoleſcentiâ Diuæ Virginis amorem & cultum LIPSIVS induit, eámque ſibi patronam adoptauit, & ducem in periculis, in moleſtijs, in omni denique vitæ curſu elegit. etiam in ſtudijs, *Joannis Damaſceni*, *Ruperti Tuitienſis*, *Bernardi*, *Thomæ Aquinatis*, aliorúmque exemplo: & ſi quid accuratiùs pangendum, aut dicendum publicè eſſet, vbi famæ vel memo-

In Diuâ Hallenſi cap. 1.

riæ res agebatur, precibus ac votis eam ſupplex adijt, & felici ſemper ſucceſſu. Ex Batauiâ Leodicum vt primùm venit, in ſodalitium Marianum (cui Patres Soc. IESV præſident ac dirigunt) nomen etiam dedit: atque Oratione panegyricâ publicè habitâ ſuum in Virginem adfectum teſtatus eſt. Id ipſum & Louanij poſteà præſtitit, atque in frequentandis aſſiduè concionibus, ceteríſque id genus pijs exercitationibus obeundis, iuuentuti non modò exemplum præbuit, ſed & calcar addidit. Ab eodem deinde adfectu Hallas diu adſpirauit, & tandem adiuit; Hannoniæ opidum, tertio à Bruxellis lapide, magnâ apud Belgas & exteros famâ celebre, & Miraculis, quæ tutelaris ibi Diuæ meritis à multis iam annis diuinitus patrãtur, M.DC.I. inclytum. Sed cùm venit, & templum ab interuallo conſpectum calidè adijt, ac preces cœpit fundere, ſenſit trepido quodam gaudio, & mixtâ veneratione, corpus animúmque percelli; & palàm in loco Numen eſſe, quod vel ignaris mentibus ſe ſuperfundat. Exinde ſacris ritè peractis, cœpit oculos auidè circumferre, ad ipſam Deiparæ aram, ad ſacelli reliqua, tabulas, donaria, & plurima ibi diuinæ potentiæ aut humanæ pietatis monumenta. Vbique *Facta miranda*, ſupra captum aut fidem hominum, ſupra ipſam Naturam: & inter tot miranda, ſubijt illud mirari, nondum fuiſſe, qui ea ſcripto complecteretur, & Dei ac Virginis augendæ gloriæ diuulgaret. Incidit ipſi cupido: quam voto etiam adſtrinxit, ſtatuítque inquirere, colligere, ſcribere, quæ huic inſtituto eſſent. Egítque adeò mecum de his rebus non ſemel; & illius ego iuſſu, cum *Franciſco Coſtero*, Soc. IESV Theologo eximio, atque iſtarum rerum curioſo. Anno inſequenti noſter in grauiſſimam ægritudinem M.DC.II. incidit, votum fecit, Hallas ſe contulit: clientem ſibi ſupplicem Diua recreauit, ac valetudini paullatim reſtituit. Ipſe *Pennam* argenteam (nec potuit pretioſius quidpiam) in templo ante aram Virginis ſuſpendit, & pios hoſce verſus ſubſcripſit:

In Diuâ Hallenſi cap. I.

Hanc, DIVA, PENNAM *interpretem mentis meæ*,
Per alta ſpatia quæ volauit ætheris,
Per ima quæ volauit & terræ, & maris:
Scientiæ, Prudentiæ, Sapientiæ
Operata ſemper, auſa quæ CONSTANTIAM

Deſcri-

Deſcribere, & vulgare; quæ CIVILIA,
Quæ MILITARIA, *atque* POLIORCETICA;
Quæ ROMA MAGNITVDINEM *adſtruxit tuam:*
Variáque luce ſcripta priſci ſæculi
Affecit, & perſudit: hanc PENNAM *tibi*
Nunc, DIVA, *meritò conſecraui* LIPSIVS.
Nam numine iſtæc incohata ſunt tuo,
Et numine iſtæc abſoluta ſunt tuo.
Porrò ô benignitatis aura perpetim
Hæc ſpiret! & famæ fugacis in vicem,
Quam PENNA *peperit, tu perenne gaudium*
Vitámque, DIVA, LIPSIO *pares tuo.*

Atque ex eo quidem tempore pietas & voluntas illi creuerunt, ad exſequendum quod pridem ſtatuerat. Vt iuuaremus in partem, & amico petenti gratificaremur, R^mus *Joannes Miræus*, Antuerpienſium tunc Epiſcopus deſignatus, patruus meus, *Franciſcus Coſterus*, & ego, Hallas profecti ſumus: Acta item, ac Regeſta loci illius diligenter excuſſimus: probante Illmo *Guilielmo Bergio*, Cameracenſium Antiſtite, cuius iuriſdictionem ac tribunal agnoſcit id opidum. Acta fideliter exſcripta, publicóque Senatus eius opidi ſigillo firmata, pòſt ad LIPSIVM miſimus. Ea digeſſit ipſe, concinnauit; & quamquam ſtili florem & adfectus obiter miſcuerit (ius & laus eſt fieri, orationi erigendæ aut animandæ) tamen rei & veritati hilum non addidit, nec apicem detraxit. Ordinem denique ac decorem dedit: & pijs argumentum placuit, nec eruditis rectéque ſapientibus tractatio diſplicuit. At Nouatores & partiarij certatim incurrentes (quid mirum? conſtat omnium ætatum hæreticos Vatiniano in Virginem eiúſque cultores odio flagraſſe) epigrammatia inſulſa, libellóſque famoſos mox ſparſerunt. Primos inter, ſannio quidam Batauus plebeiâ ſuâ linguâ ſordes impuriſſimas euomuit: ſed impudentiſſimum tympanotribam, editâ[a] *Reiectiunculâ*, noſter contudit; & primis dentibus leo leporem iſtum fregit. Exinde maledicta acerbiora neſcio quis terræ filius, *Idoli Hallenſis* (ô Lucianeam blaſphemiam igne Tartareo expiandam!) titulo ementito, ſparſit in vulgus. Sed prudentioribus amicis ſuadentibus, LIPSIVS ſiluit, & iudicio

M. DC. III.

[a] *Exſtat excuſa ad finem* DIVAE SICHEMIENSIS.

Cent. 5. Miſcell. epiſt. 67.

dicio contemſit: atque adeò contemtu ſolo nouum iſtum Porphyrium vincendum eſſe cenſuit. Sic ferè generoſior moloſſus importunum catulum ſtolidè adlatrantem præterit, nec dente aut pugnâ dignatur. Quin vt iterùm malis malè eſſet, coronam alteram, è nouis Miraculorum floribus textam, atque è vicino *Colle-aſpero* decerptam, Virgini noſter anno inſequente obtulit. Improbabant quidem, aut deterrebant moroſi & prauè ſapientes nonnulli, tamquam à narrationibus parum certis, vt aiebant, aut minùs fidis. At verò cùm mille ſint hîc teſtes, ſintque examina, & alia quæ in profanâ hiſtoriâ non adhibentur: cur huic tamen credemus, diuinis autem refragabimur, & oculos obſtinati claudemus, ne Solem hunc tam claræ veritatis admittamus? Prauitas eſt: & hi tales per cuniculos ſubuertere conantur arcem Religionis noſtræ, quæ Miraculis eſt ſuperſtructa. NEQVE ENIM POSSVMVS ALIA RE EFFICACIVS FRANGERE ET CALCARE HAERESIM, QVAM HOC MIRACVLORVM FVLMINE: vbi non verbis ſed factis diſputamus, & impudentiſſimorum etiam oculos atque animos iſtâ rerum maieſtate perſtringimus.

DIVA SICHEMIENSIS.

Cent. 5. Miſcell. epiſt. 59.

Epiſt. 98.

Admiranda itaque in viciniâ, quinimò in ſenſibus noſtris geſta, poſteris meritò prodenda exiſtimauit: hortantibus in primis *Matthiâ Houio* Machlinienſi Archiepiſcopo (cuius mandato explorata fuerant omnia, ne fraus aut fucus imponeret) & *Joanne Miræo* Antuerpienſi Antiſtite: qui & ſcripto ea cum fide digeſſerat ac conſignarat. Ab illo namque hauſit LIPSIVS, itémque à viro erudito ac pio *Philippo Numanno*, S. P. Q. Bruxellenſi à Secretis: qui linguâ noſtrâ Belgicâ priùs iſta euulgarat.

Atque hinc iterùm conuitiorum plauſtra, prudenter tamen ſilente, & ridente LIPSIO: etſi non deeſſent, qui aliter vellent, & velut claſſico ad pugnam excitarent. Itaque auditæ non ſemel illius hæ voces apud amicos, qui plus æquo feruentiores videbantur: *Quid ego in homines inquietos, turbidos, & quibus vnum ſtudium, litigare? Non eſt meum Thyeſtæo more, quod hodie obtinet, furere aut ſæuire. Et verò fac me reſpondere, & iſta omnia obterere ac profligare: quis finis aut fructus erit? Finis? imò principium litigiorum, & pro vno meo ſcripto tria reſcripta: adeóque*

Cent. 5. Miſcell. epiſt 67. & alibi.

Tuſca

Tuſca orientur iurgia. De DIVIS *noſtris eſtote ſecuri, quæ fremente Impietate viuent, & noſter in eam cultus: atque ego ab id genus ſcriptis famam, imò & gloriam ac claritudinem apud poſteros habebo; & ero, cùm omne iſtorum nomen & factio non erit*. Hæc ille animo Chriſtianè Stoïco. Cùm pergerent interim amici, & moleſtior eſſet nonnemo: *Heus importune*, aiebat, *qui iam abeuntem, & maiora magisque ſeria meditantem, ſuperuacuò laceſſis: ſi opus, & vſui fuerit, non deerit amica aliqua manus* (& *Carolum Scribanium*, Soc. IESV Theologum, animo iuxtà ac ſtilo robuſtum, deſignabat) *quæ* LIPSIVM *non patietur inultum.* Dixerat, & euocatus ad beatiores ſedes, Spartam hanc reliquit intactam. Lipſianâ proinde deſignatione, ſeu veriùs ſponſione, amicorúmque precibus victus *Scribanius*, reſpondendi prouinciam à morte illius ſuſcepit: magis, ne quis ſilentium omnium noſtrûm conſenſum aut victoriam duceret, quàm vt improbiſſimæ maledicentiæ (quis id ſperet, in iſtâ æui huius licentiâ ac proteruiâ?) frænos inijceret. Legat autem quiſquis DIVAM & LIPSIVM amat, *Orthodoxæ fidei Controuerſa*, itémque *Defenſionem* LIPSI *poſtumam*, & alia id genus ab eodem *Scribanio* nuper edita.

Ad extremum vitæ actum, fabulæque cataſtrophen, triſtem illam quidem, ſed in quâ ſunt omnia, iam venimus. Anno CIↃ.IↃC. VI. XV. Kal. Aprileis, è tuſſi, grauiſſimíſque ſtillantis cerebri defluxionibus, æger eſſe cœpit. Morbo ingraueſcente, *Leonardum Leſſium*, Soc. IESV Theologum, eruditionis famâ ac libris editis celeberrimum, ſibíque perfamiliarem, aduocauit: atque in procurandis ritu Chriſtiano ſacris, & animo expiando eluendóque totus fuit. Adeò quidem, vt extremis illis diebus, nec ſcriptorum à ſe editorum aut adfectorum, nec ſtudiorum vllam omnino mentionem fecerit. Vni enim Deo, vitæ mortíſque arbitro, tunc vacandum rectè exiſtimauit. Ceterarum itaque rerum omnium curis abiectis, ſacroſanctum CHRISTI corpus XIII. Kal. Aprileis, qui dies in Dominicam, vt nuncupant, Palmarum tunc incidit, piè ſuſcepit, & oleo ſacro, more Chriſtiano, die proximè ſequenti inunctus eſt. Porrò ad extremum vſque ſpiritum firmâ atque integrâ mente conſtitit, tantâ quidem animi conſtantiâ atque alacritate, nihil

M. DC. VI. MORBVS NOVISSIMVS.

hil vt vxoris cariſſimæ, aut amicorum vndique adfluentium lacrymis ac ſuſpirijs moueretur. Itaque nec vllam querimoniæ vocem, nec vllum repugnantis aut trepidantis animi ſignum edidit: vtque in vitâ, ſic & in morte obeundâ conſtantiſſimus exſtitit. Et certè non ſcriptis ſolùm, ſed & factis, philoſophum ſe Chriſtianum, mirificè comprobauit. Cùm enim ex circumſtantibus quiſpiam Stoïcam illi apathiam ſuggeſſiſſet, *Vana ſunt iſta,* reſpondit: digitóque in CHRISTI crucifixi imaginem, lectulo aſtantem, intento, HAEC VERA EST PATIENTIA, veriſſimè ſubiecit. Exinde piorum ac religioſorum hominum (qui frequentes ægrum viſebant) preces aſſiduè expetijt: fuítque ex ijs, ſolando oportunè qui diceret, *Ecce, patrona nunc illa clientem exſpectat ſuum, & obuijs expanſisque obuiabit vlnis.* Quid ad hæc noſter? Oculis manibúſque iam frigeſcentibus in altum ſublatis, Virginem Matrem voto ſupplice in extremâ iſtâ luctâ inuocat: *O Mater Dei, adſis famulo tuo cum totâ Æternitate decertanti; nec me deſeras in iſtâ horâ, à quâ pendet æterna animæ meæ ſalus.* Non ſemel inſuper auditus eſt gratulari ſibi, *iſto ſe anni tempore è vitâ migrare, quo* CHRISTI *ſanguis maximè in Eccleſiâ ferueret.* Cúmque oblatum pro ſe incruentum Miſſæ ſacrificium, interiectâ Dominicæ paſſionis recitatione, ex quodam Soc. IESV ſacerdote intellexiſſet, *Faxit,* inquit, *Deus, Pater mi, vt ſanguis ille pretioſus in me abundè deriuetur, qui in illâ paſsione effuſus eſt.* Vnum porrò ſilere non debeo, ex quo ſincerum atque eximium illius in DIVAM adfectum cultúmq. licet agnoſcere. Cùm in agone, morti iam proximus, verſaretur, vxori mādauit, vt togam optimam, pellibus ſuffultam, profeſſorij ſui muneris adminiſtram, Virgini-Matri, ad eius aram, Louanij in baſilicâ D. Petri Apoſtolorum principis, cultu miraculíſque celebrem, in vſus ac neceſſitates ſacras, offerret ac poneret. Dictum, factum: atque ea toga poſtmodum, quòd aræ aut ſacris apta non eſſet, *Gerardo Corſelio* Ic^to^ & Anteceſſori, emtione ceſſit; qui non ſine gratâ amici ſui memoriâ illam accipit aut ponit. Æs inde conflatū, rationibus aræ adſcriptum eſt, cultui Deiparæ augendo. Donarium hoc Lipſianum, aduerſus vrbicorum poëtarum, aliorúmque gelaſtorum ſuggillationes, *Ioannes VVouerius* non minùs piè quàm eruditè aſſeruit:

DICTA ITEM NOVISSIMA.

VVouerius in Aſſertione Donarij Lipſiani.

TOGA VIRGINI OBLATA.

ſeruit: vt & doctum *Eucharisticum* ſuo olim præceptori, gratitudinis ergô, ſcripſerat. Ceterùm LIPSIVS, ſummâ cum teſtificatione pietatis, Chriſti ex cruce pendentis imaginem frequenter amplectens, & nunc IESV nunc MARIAE nomen ingeminans, X. Kal. Aprileis nocte mediâ, anno ætatis nono & quinquageſimo, placidè & leniter exſpirâuit: feliciore ſanè euthanaſiâ, quàm aut Cæſar Auguſtus olim optauit, aut habuit. Sed quod dolendum in primis, vetus LIPSIORVM in ipſo ſtirps defecit, vt qui vltimus huius gentis fuerit. Tamen quid refert? ſtirps perierit, nomen ipſe propagauit (vt animosè, ſed verè, cum poëtâ alibi loquitur) —— *ab ortu* MORS. M.DC.VI. Cent. 5. Miſcell. epiſt. 31.

Solis, ad Heſperium cubile.

Liberorum itèm loco, poſteris libros reliquit,

—— *quos nec Iouis ira, nec ignes,*
Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetuſtas.

Morienti, præter domeſticos, adfuere tres è Societate IESV ſacerdotes, & vnus è ſodalibus Franciſcanis; oculóſque amici clauſit* *Nicolaus Oudartus*, Canonicus & Officialis Machlinienſis: cuius & funus nuper luximus. Mediocri pompâ, vt, quâ erat modeſtiâ, iuſſerat, elatus eſt pridie Paſchatis, VIII. Kal. Aprileis, horâ poſt meridiem quartâ, humeris vniuerſæ, vt ſic dicam, Academiæ: certantibus nimirum inter ſe ſtudioſis, vt extremum iſtud præceptori optimo pietatis officium impenderent; illius, vt arbitror, vocis Q. Cæcilij Metelli cognomento Macedonici memores, *Non fore vt in poſterum id officium ab ipſis viro maiori præſtari poſſet.* Elatus eſt autem cælo admodum pluuio, vt id ipſum in lacrymas ſolui videretur. Conditus iacet, vt teſtamenti tabulis mandarat, in æde ſacrâ Franciſcanorum ſodalium, ante Virginis Deiparæ aram, ad quam preces quotidie fundere ſolitus erat. Voluit nimirum & à funere iſtud ſui in Virginem cultus ſempiternum apud poſteros exſtare monumentum. Inſcriptionem verè philoſophicam, tumulo appendendam, paucis ipſe verſibus biennio anteà complexus fuerat: *Obijt an. M.DC.VIII FVNVS. TVMVLVS.

Quis hîc ſepultus, quæris? ipſe ediſſeram.
Nuper locutus & ſtilo & linguâ fui;
Nunc altero licebit. ego ſum LIPSIVS,

Cui

Cui litteræ dant nomen, & tuus fauor:
Sed nomen. ipſe abiui. abibit hoc quoque:
Et nihil hic orbis, quod perennet, poſsidet.
Vis altiore voce me tecum loqui?
HVMANA CVNCTA *fumus, vmbra, vanitas,*
Et ſcenæ imago, &, verbo vt abſoluam, NIHIL.
Extremum hoc te alloquor:
Æternùm vt gaudeam, tu apprecare.
I. LIPSIVS *vixit annos* LVIII. *menſes* V.
Obijt anno Chriſtiano cIↃ. IↃCVI. X. *Kal. April.*

Marmoreum tumulum, vnà cum ſtatuâ, ære ſuo vidua excitauit: Senatus verò Populúſque Antuerpienſis, virum de vrbe eorum ac ciuibus optimè meritum, quíque peculiari quodam adfectu & illam præ ceteris Belgicæ dilexit, & cum pleriſque iſtorum ſingulari familiaritate coniunctus fuit, ſarcophago itidem marmoreo complecti voluit; hac epigraphe additâ:

IVSTI LIPSI
QVOD CLAVDI POTVIT
HIC IACET.
S. P. Q. ANTVERP.
INCLYTI VIRI
FAMAE ORBI NOTAE
VIRTVTI CAELO RECEPTAE
H. M. P.

Ceterùm iuſta IVSTO perſoluta ſunt III. Kal. Aprileis, in primariâ vrbis baſilicâ, D. Petro Apoſtolici cœtus principi ſacrâ. Defunctum pro funere laudauit *Gerardus Corſelius*, Anteceſſor clariſſimus: quem ſecuti alij poſteà amici, varijs clariſſimæ memoriæ virum epicedijs, laudationibus, epitaphiíſque editis certatim ſunt proſecuti. Bibliothecam, non tam copiâ quàm librorum præſtantiâ commendatam, ſcripta item ſua, atque ingenij monumenta, *Guilielmo Greuio*, Bruxellenſi, è ſorore nepoti, annos ferè XIII. tunc nato, legauit; & apud *Ioannem VVouerium*, ſuum olim auditorem ac contubernalem, dum adoleſcat heres, Antuerpiæ deponi iuſſit: Græcos autem, calamóque exaratos codices Louanienſi Soc. IESV gymnaſio adtribuit.

adtribuit. Extremæ ſuæ voluntatis curatores eſſe voluit *Nic. Oudartum* & *Joan. VVouerium*, itémque *Guilielmum VVarnirium*, ſuum olim miniſtrum, nunc in D. Petri Louanij Canonicum. Teſtaméti autem tabulis cauit ſcriptorum ſuorum quidquam à morte euulgari: *Scriptorum*, inquiens, *meorum, cuiuſcumque generis, nihil, præter edita, edi volo. Excipio Centuriam epiſtolarum vnam, & (ſi otium erit) alteram, à me collectam & ſepoſitam. Si quis aliter, quocumque fine aut titulo: ſacer atque inteſtabilis eſto, & Deus vindicato in ipſo, poſterisque. Caueat.* Similia olim Hieronymus, Hincmarus, & ante eos Virgilius Maro, ſeuerè mandarunt: laudatur tamen Auguſtus Cæſar, quòd Æneïda magno poſteritatis bono ſeruarit. TESTAMENTI CVRATORES.

Defuncto LIPSIO, publicam hiſtoriæ atque eloquentiæ in Academiâ Louanienſi profeſſionem non pauci, procuratis ſuffragijs, mox ambierunt. Amici, *Oudartus, Corſelius, VVouerius, Ioannes Bap. Perezius*, & ego, qui funebribus interfueramus, *Erycium Puteanum*, Venlonæ in Geldriâ ad Moſam fl. patre conſulari natum, veterem LIPSI auditorem ac cultorem, præ ceteris laudabamus. Is tum Mediolani apud Inſubres eloquentiam publicè magnâ cum laude profitebatur; Hiſtoriographi regij titulo à PHILIPPO III. Rege Catholico cohoneſtatus. Agentibus itaque amicis, & commendante in primis *Ioanne Miræo*, Antuerpienſium Antiſtite, à Ser^mo ALBERTO Principe noſtro, per *Ioannem Richardotum* V. Cl. Senatus Belgici Præſidem, honorificè Louanium eſt euocatus: Brabantiæ Ordinibus, Academiæ Senatu, ceteríſq. fauentibus ac ſuffragantibus. ERYCIVS PVTEANVS LOVANIVM EVOCATVR.

Libet de corporis habitu, déque indole LIPSI aliquid addere: iuuat enim magnorum ingeniorum etiam habitacula, vt ſic dicam, nouiſſe. Membrorum igitur decens illi habitudo fuit, corpúſque compactum, & facies non indecora, vtique ante morbum: ſed quam pictores etiam præſtantiſſimi (mirum certè, & memini ab ipſo etiam notatum) exactè numquam exprimere aut adſequi potuerunt. Latebat ſcilicet quid diuinum in oculis, humano penicillo maius atque ſublimius. Frons ampla, & ſtatura iuſta, maieſtatem addebant: ad extremum tamen corpore ſicco atque exhauſto fuit, cùm à morbo hepatario, qui viginti ampliùs annos cruciauit, tum magis à ſtudijs. LIPSIANI CORPORIS HABITVS.

Id ipſum Senecæ philoſopho, atque omnis æui ſtudioſis hominibus eueniſſe, priſci queruntur, nos graui damno experimur.

INGENIVM. *Ingenium* illi viuidum, ingens, docile, & capax omnium artium, ſi Muſicam, quod mireris, excipias: iudicatio collineans & recta: memoria, non ſine præceptorum admiratione, etiam in puero ſumma. Dona certè habuit, & exſeruit, quæ nemo

IVDICIVM ET ORDO IN SCRIBENDO. huius æui aut ſtudij. *Iudicium* in primis ad miraculum excellens: & ab eo *Ordinem* in ſcriptis omnibus, ac diſpoſitionem ſumſit: nec ſuper nouos modò, ſed & ſuper veteres (abſit verbo inuidia) vſurpauit. In ſparſo quouis & confuſo argumento

Cent. 5. Miſcell. epiſt. 24. ſeruauit, & aptè partitus eſt ſemper: quod Socrates alibi apud Platonem *diuini viri*, ipſe, pro innatâ modeſtiâ, *diuini doni* cenſuit.

ELOQVENTIA ET STILVS. *Eloquentia* illi admodum prompta, facilis ac profluens, nec ſine Venere: quæ laudes, in ſtrictâ & argutâ breuitate, paucis aut nemini hactenus obtigere. Illa ipſa breuitas, quod imputandum, ſine tenebris fuit: & multa paucis ſic dixit, vt influant & ſe diffundant, & vel plura dixiſſe videatur. *Cent. 4. Miſcell. epiſt. 84.* Timantem pictorem celebrant, quòd in eius operibus plus ſemper aliquid intelligeretur, quàm pingeretur: idem de Lipſianâ ſcriptione meritò dixeris. Vnde & in effigiem LIPSI cùm aliquando *Henricus D'Oultremannus*, Valentianis apud Hannones Præfectus, varijs epigrammatijs luſiſſet, hoc illi præ ceteris ſubſcribi placuit:

LIPSIADAE, *velum eſt Timantis, imago: videri*
Sol quoque ſub piceâ non niſi nube poteſt.

Non defuere tamen homines vani & faſtidioſi, qui dictionem eius vt obſcuram atque intricatam, miniméque Tullianam criminarentur. Sed ô miſellos! qui tum præclarè cenſent Ciceronem ſe imitatos, cùm elumbia, exſanguia, verbis item ac numeris iacentia ſcripſerint, denique ſic algentia, vt Germanicas etiam niues refrigerare poſſint. Hærent in margine, & velut in finibus Latij: adſpiciunt elegantiam, & mirantur; intra pectus tamen aut linguam, non admittunt. Scio quidem & LIPSIVM Tullianis olim paullò iuuenilius adhæſiſſe: at repreſſit & reuocauit maturioris iudicij frænum. Nec enim ſolum Tullium, ſed & Plautum, Terentium, Salluſtium, Cæſarem, Fabium,

alios

alios Latinæ dictionis patres iam prouectioribus legendos imitandóſque cenſuit. Vtque poſteritas audiret, non vno loco de *Stilo*, déque *Imitatione* ſibi differendum eſſe exiſtimauit. Fuit autem peculiaris quidam ſtilus LIPSIO, non tam ab exercitatione, quàm naturâ ſiue genio, duce optimo. Nam à fonte ingenij interno, diffuſam, ſtrictam orationem; lætam, ſeueram eſſe, vel nationes totæ loquuntur: & quis Oratores Atticos, Aſiaticos, Rhodios ignorat? Natura in corporibus rarò hoc commenta eſt, vt vel ab eâdem parente fœtus aſſimilent: & mirabimur diuerſum à diuerſiſſimis ingenijs ſtilum proficiſci? *Inſtit. epiſt. c. 11. & alibi.*

Sed caput alterum criminationis viuit, nec inciditur, *Obſcuram eſſe dictionem Lipſianam, & antiquariam*. Non id eruditis, aut ſupra vulgi captum ſapientibus videtur: imò in laudibus eius, vt diximus, vel maximè cenſendum, quòd in breuitate nubes vitarit. Dicant & iudicent, qui Latinè vel modicè intelligunt: dicant, qui vel leuem guſtum habent politioris litteraturæ. Nec tamen negamus, eſſe aliquid eius in ſcriptis alibi vel vetuſtiùs fortaſſe, vel conciſiùs dictum: quod ſic ſolùm prolatum, in culpam poſſit cadere; ſed idem excuſari, & erigi, ſi quo loco, argumento, vel ad quem ſcriptum ſit, videatur. Vt in *Criticis*, vbi ex profeſſo litteraria & antiqua tractantur, quid mali eſt, vocem aut phraſim eſſe interdum antiquiorem? Vt in epiſtolâ ad virum ſubtilem & doctum, cur non breuiùs aut eruditiùs liceat ſcribere? Fecit ipſe Cicero, & variauit, cùm ad Lentulum, Pompeium, Cælium aut Atticum ſcriptitaret. Nec affectatio vlla in ipſo fuit, eodem calami tenore & impetu, illa mollia aut vulgaria, & hæc ſtrictiora aut doctiora ſcribebat: quod *Hubertus Audeiantius*, Brugis Flandrorum in cathedrali baſilicâ nunc Canonicus, & alij, qui à manu ipſi fuerunt, probè ſciunt & teſtantur. Abeant, abeant tamen ridiculi *Lipſiomimi*. nimirum, vt magnorum virorum habitum, inceſſum aut geſtus nonnulli imitantur, cetera & interna diſpares: ſic iſti dictiunculas aut clauſulas eius aliquas futili imitatione referunt quidem, ſed vim ac Venerem illius non adſequuntur. *Cent. 3. ad Belgas, epiſt. 28.*

Vt omnia in LIPSIO magna fuerint, illud certè maximum ac præcipuum, quòd iudicij, ingenij, eloquij, ſtili quidquid habuit, in publicum contulit, & vſui, non pompæ ſeruire voluit. SAPIENTIAE PVBLICIQVE BONI STVDIVM.

Cent. 4. Miſcell. epiſt. 84. Lege vel annis iuuenilibus ſcripta: ſemper animus ille apertus, generoſi & honeſti amans, ſemper ſcintillæ aliquæ ad Virtutem aut Prudentiam prælucentes occurrent. Ætate grandior, non occulto aut obliquo tramite, ſed palàm & rectà illuc iuit. Alij philologi aut litterati nóſtro æuo, à vanitate multum traxerunt: ipſe ſtrinxit, & interiùs adduxit; & ad vtilia aut profutura, non ad ſplendida tantùm aut famoſa reſpexit. Raró quid ſcripſit, cui nõ Sapientiæ aut Prudentiæ, etiam vbi locus vix videbatur, monita ac præcepta inſperſerit. Hanc denique laudem primus vel ſolus noſtrâ ætate meruit, quòd amœniores Muſas ad ſeueriorem Sapientiæ cultum traduxerit. Id *Conſtantia*, id *Politica* eius dicent: quid in *Tacito, Senecâ, Epiſtolis* (quarum *Centurias* X. in amicorum potiſſimùm gratiam foras dedit) *Plinio, Militiâ, Admirandis*, nónne finis idem & fructus apparet? Ampliùs dicam: Pauci, an nemo, noſtrâ patrúmque memoriâ, ſingularia argumenta aggreſſi ſunt, aut pertractarunt: ipſe fecit in *Conſtantiâ*, in *Politicis, Saturnalibus, Militiâ, Admirandis*: ex quibus priora illa duo potiſſimùm viuent, quamdiu Latinæ vigebunt litteræ.

EPISTOLAE.

Cent. 5. Miſcell. epiſt. 16.

MORES.

De Moribus reſtat vt loquamur. In geſtu, cultu, ſermone modicus fuit: *adeò vt plerique quibus magnos viros per ambitionem æſtimare mos eſt, viſo aſpectoq; LIPSIO, quærerēt famam, pauci interpretarentur*. Conſtat certè exteros, quos ab vltimâ etiam Sarmatiâ, eius videndi audiendíq; gratiâ (vt olim magni illius Liuij) frequenter veniſſe ſcimus, cùm LIPSIVM viderent, eumdem ſæpè requiſiuiſſe. Nam in veſte, ſupellectile, famulatu, ſplendor aut ambitio illi nulla: miniſtro vnico (qui & amanuenſis munus obibat) comitatus, in publicum, & ferè togatus, prodibat: omnis tamen ætatis, ſexus, ordinis homines, & viri etiam principes, velut cælo miſſum ſuſpiciebant ac venerabantur. Porrò vt philoſophum decebat, cenſum item non amplum habuit, & cum bonâ mente modeſtiam omni in re tenuit: illud non raró vſurpans,

Tacitus in vitâ Agricolæ.

CENSVS ET STIPENDIA.

Sibi habeant ſua regna Reges, ſibi diuitias diuites.

Opes aut ſtipendia ampla non ambiuit quidem, ſed oblata congiaria ſiue honoraria (vt ſenſit non ſemel viros cùm ſacri tum profani ordinis principes in ſe benignos ac liberales) nec

reiecit.

reiecit. Ordines Brabantiæ ſexcentos, vt vulgato more loquar, Florenos ſiue Francos nummos quotannis pendebant: ducentos numerabant Buſlidiani gymnaſij trilinguis Curatores. PHILIPPVS II. Hiſp. Rex Catholicus, Belgarúmque Princeps, additis mille annuis auxit, procurante *Petro Enriquez*, Comite Fontano, qui regio tunc nomine prouinciam Belgicam adminiſtrabat: idémque Rex *Hiſtoriographi* etiam ſui titulo donauit. Ser^mus ALBERTVS AVSTRIVS virum optimè de Republicâ meritum, ac laboribus fractum rude donauit: & ſi vellet, à publicâ profeſſione deſiſtere, & vicarium ſiue ſucceſſorem adſumere, dato diplomate conceſſit, annuo adhæc ducentorum Florenorum vectigali adnumerato. Atque vt vetus illud, *Honos fugientem ſequitur*, ætas etiam noſtra agnoſceret; nihil tale ambientem, imò fugientem, *Conſiliarij* dignitate ornauit; atque in ſanctiſſimum ſenatum, quem rerum Statúſque vocant, iudicio adlegit. Ipſe tamen, pro veteri ſuo decreto, à Republicâ atque ab aulâ ſe abſtinuit: vt meritò ambigant omnes, an maiori gloriâ Princeps tantum virum adlegerit, an verò laudabiliore conſtantiâ ipſe abſtinuerit. Illud conſtat, cùm tanta dignitatis ac cenſus facta eſſet acceſſio, nihil de quotidiano cultu, nihil de priſtinâ vitæ conſuetudine ipſum mutaſſe: tantáque vſum moderatione, vt nec ſordidè vmquam ſe geſſerit, nec auctis opibus affluentiùs vixerit, quàm olim inſtituerat, paríque modeſtiâ ſemper ſteterit. Itaque vt priſcæ illæ virtutes, in noſtræ ætatis miraculum ac gloriam, in ipſo ſunt renatæ: ſic iure ſymbolum iſtud, ab Ennio mutuatum, MORIBVS ANTIQVIS, vſurpauit, factíſque expreſſit.

HISTORIOGRAPHI REGII TITVLVS.

CONSILIARII ITEM ARCHIDVCALIS.

SYMBOLVM, MORIBVS ANTIQVIS

Quâ erat morum facilitate ac comitate, binas ferè horas à meridie, ſumto prandio ſtudioſis adoleſcentibus ad ſe venientibus dabat; exteris verò vndique confluentibus patebat ſemper: vt eius domicilium (quod de Q. Mucio Tullius prædicat) non dico Belgicæ, ſed vniuerſæ oraculum Europæ videretur. Animum ſtudijs feſſum vt reuocaret ac reficeret, flores & hortos impensè coluit, bulbis tuliparum præſertim ab noto ignotóque orbe, per *Rembertum Dodonæum*, *Carolum Cluſium*, & *Ioannem Boiſotum*, rerum hortenſium in paucis peritos, pérque amicos alios ſtudioſè petitis. Nimirum vt pictores longâ intentio-

HORTORVM CVLTVS.

Lib. 1. De Conſt. cap. 1 & 3.

ne hebetatos oculos ad ſpecula quædam & virores colligunt: ſic ipſe hîc animum exhauſtum aut aberrantem ſolitus eſt reuocare. Hîc extra tumultus ciuicos, inter herbas, inter flores, hilari atque hiante oculo aberrabat: & modò ad hunc occidentem, modò ad illum exorientem manus vultúmque circumferebat: & mirâ quâdam voluptate curas hîc omnes fallebat & labores. Sic & olim philoſophi ac ſapientes, ab vrbe atq; inſano foro remoti, hortis ſe oblectarunt, atque in ijs diuina illa ſcripta pleraque procuderunt, quæ miramur, quæque nulla temporum ſeries aut ſenectus abolebit. Viridi illi *Lyceio* tot de Naturâ diſſertiones debemus: vmbriferæ *Academiæ* illas de Moribus commentationes acceptas ferimus: ex hortorum denique ſpatijs, vberes illos Sapientiæ riuos in orbem terræ diffuſos, hodiéque bibimus. Scilicet attollit ſe magis, erigítque ad alta iſte animus, cùm liber & ſolutus cælum ſuum intuetur.

ADFECTVS IN CANES. *Cent. I. ad Belgas Epiſt. 44.* Amauit à puero canum omne genus, & Louanij tres ferè aluit, gradu quodam magnitudinis diſcretos: *Saphyrum* catellum, gente Batauum; *Mopſulum* catulum, domo Antuerpiâ; & *Mopſum* canem, gente Scotum. Hos & in tabulâ depingi iuſſerat, & notas ac carmen cuique, non minùs ingenioſè quàm lepidè ſubſcripſerat. Pictores Mopſum præ ceterss dilectum ipſi nonnumquam adpingũt, quòd illo comitatus, etiam ad Athenæum ſeu profeſſionis publicæ locum prodire ſit ſolitus: etſi non deeſſent, qui negarent Muſarum clienti hunc comitatum aut contubernium conuenire; quíque genus hoc omne ad Martis aut Dianæ aſſeclas ablegarent. *Ibidem.* Ipſe contrà repoſuit & adſtruxit, ſi mortalium vllos, caninum hoc conſortium litteratos in primis decere, & eloquentiæ ac ſapientiæ candidatos. Ægyptij hoc adſerunt, qui *Anubin* ſuum canis ſpecie fingebant: quia videlicet vtriuſque regionis ille Deus, ſupera atque infera permeabat, vt Hecate Græcorum. Atqui ſapientes habentur illi, qui alta, qui ima ſcrutantur, & canis exemplo peruigiles diu noctúque agitant. Quid, quòd ijdem, cùm virum diuinis deditum, vatem aut ſacrorum doctorem, Hieroglyphicis exprimerent, canem ſignabant? quòd ſcilicet, præter ſagacitatem, clamare ac quaſi latrare iſtos deceat, in improbos & bonis inſidiantes. Et ſacræ noſtræ litteræ non refugiunt imagi-

ne iſtâ vti: quibus *canes pro domo Dei latrantes* ſunt doctores & eccleſiaſtæ. Iam Græci, eóſque ſecuti Romani, canem *Mercurio* comitem ſiue adſtitem dederunt: quia, vt Plato ait, ſagax & ingenioſum hoc animal facundiſſimo & promptiſſimo Deorum conueniebat. Si autem Mercurio, id eſt, artium bonarum præſidi, aſſiduus ille comes: cur ab iſtarum artium candidatis arceant? Et arcent improbè: cùm iam olim heroïbus, altíque animi viris aſſeclæ iſti fuerint & ſtipatores. En *Telemachus*, apud Homerum, duobus canibus comitantibus, in concionem prodit. *Euandro*, apud Virgilium, procedente,

Nec non & gemini cuſtodes limine ab alto
Procedunt, greſſumque canes comitantur herilem.

Neu cenſeas venationis cauſsâ hoc factum: idem Homerus diſtinguit clarè, agnoſcítque *menſarios canes nouem, animi ac voluptatis cauſsâ, à Patroclo educatos.* Itaque

Hæc leuiſomna canum fido cum pectore corda

in delicijs habuerunt Iudæi, Ægyptij, Græci, Romani, ceteri: nec vllum magis animal ipſa Natura nobis iunxit. Reliqua omnia efferantur, & ſiluas ac ſolitudinem tolerant, aut quærunt: ſolum iſtud domeſticum, & cicur homini adhæret ac tuetur.

De corpore, de moribus, déque indole tantum eſt: de ingenij monumentis, quæ manibus teruntur, etiam diximus. Præter illa, ſtatuerat & alia pluria bono publico vulgare, habebátque adfecta, aut in ſchedas relata non pauca: ſed Deo, vitæ laborúmque arbitro, viſum incidere & euocare. Veterum ſcriptis illuſtrandis, iam olim inſtituerat *Facem Hiſtoricam*, tum & *Ritualium* libros ſcribere: & in eos congerere, quidquid eſſet in moribus ritibúſque priſcis obſcurum. Atque in *Facem* quidem grandiores illos ritus, *De Sacerdotibus, De Magiſtratibus, De Militiâ, De Bibliothecis, De Nuptijs, De Funeribus*, & qui tales, volebat includere: eámque iam cœperat accendere, duplici Syntagmate, vno *De Veſtalibus*, altero *De Bibliothecis*, præter *Militiam Romanam*, publicato. In *Ritualium* autem libris, minores & ſingulos ritus, litterarum quodam ordine, explicaſſet; teſtibus item exemplíſque firmaſſet. Sicut Lexica quædam verborum vtiliter habemus: ſic iſta rerum volebat eſſe. Itaque communis

SCRIPTA NONDVM EDITA.

FAX HISTORICA.

RITVALIVM LIBRI.

Præfatione in Senecam

munis hic quidam velut *Commentarius* fuiſſet, Latinorum, Gręcorum, Poëtarum, Oratorum, Hiſtoricorum, Philoſophorum, & Scriptorum miſcellorum. Hæc, inquam, inſtituerat, & materiem ab annis ferè triginta parauerat, vt manuſcripti eius *Electorum*, ſeu *Locorum*, vt vulgò indigetant, *Communium* libri teſtantur: ſed diſponere & exſtruere, valetudo & fatum præueniens vetarunt. O vtile tamen opus! atque vtinam quis æmuletur & ſuſcipiat! Lampada ipſe tradidit, & vnà gloriam cum litteris æternum victuram.

ADMIRANDA. Cœperat & *Admiranda Hebraica* (cuius gentis Rempublicam Carolus Sigonius eleganter deſcripſit) itémque *Ægyptiaca, Iberica, & Gallica* adornare: ex quibus ſola *Hebraica* pænè adfecta poſteris reliquit Daturus & libros tres *De inſtitutione iuuentutis*, *Compendium* item *Hiſtoriarum*, ſuadente inprimis *Henrico Vweno*, Iureconſulto clariſſimo, atque in ſupremâ Belgicæ apud Machlinianos curiâ Senatore; ſi Deus vitã dediſſet longiorem. (Cent. 4. Miſcell. epiſt. 68.)

THRASEAS Scripſerat & *Thraſeam*, ſiue *De mortis contemtu* opus philoſophicum: quod pro omnium guſtu non futurum cùm præſenſiſſet, iudicio ſuppreſſit, calumniam vitare ſatius ducens, quàm deprecari. Argumentum tamen hoc attigit, ſed cautè, in ſuâ ad Stoïcam philoſophiam *Manuductione. *Monitorum & Exemplorum Politicorum* libros quidem duos publicauit, ſed vix trientem operis deſtinati. Nam duo alij, qui *Ciuilem Prudentiam*, itémque duo, qui *Militarem* erant tractaturi, perierunt antequam nati. Nec erit, vereor, qui perficiet. Vt enim nemo olim pictor inuentus eſt, qui Coæ Veneris eam partem, quam Apelles reliquerat incohatam, perficeret (oris enim pulchritudo reliqui corporis imitandi ſpem auferebat) ſic ea quæ LIPSIVS prætermiſit, & non perfecit, propter eorum, quæ fecit, præſtantiam, neminem exiſtimo perſecuturũ. Porrò inter ſchedia poſt obitum repertus eſt commentarius in *L. Annæum Florum*, pænè abſolutus; itémque Orationes binæ *De lectione & vtilitate hiſtoriæ*, totidémque panegyricæ *Virgini Matri* dictæ, & *Miracula Diuæ Virginis Louanienſis*, non plenè tamen pertexta: quæ omnia Wouerius Antuerpiæ fideliter ſanctéque adſeruat. Cetera, vt *Hiſtoria Brabantiæ*, *Exempla Monitaque Politica*, vix ſunt incohata. Præter *Florum*, reliquit & veteres aliquot ſcriptores, in his

(*Lib. 3. diſſert. 11. & 33.) (Cicero lib. 3. Offic.)

Liuium,

Liuium, Suetonium, Plinium, Notis aut Emendationibus, ad margines librorum, à ſe inter legendum illuſtratos. Quæ verò ſuperioribus annis Germani & Galli malâ fide vulgarunt, hautquaquam agnoſcimus pro Lipſianis. Inſulſam illam, & vix Latialem orationem *De duplici concordiâ litterarum & religionis*, Ienæ, vt volunt habitam, iam olim falſimoniam eſſe meram, editâ Epiſtolâ, ipſe oſtendit: & nuper ſuppoſiticij iſtius fœtus parens *Melchior Haiminsfeldus Goldaſtus* ſe prodidit. Et erunt, erunt (ſi malignitatem ac licentiam huius ætatis noui) qui id genus fraudibus famam captabunt, & iuuenilia vel ficticia prauo exemplo proferent. Quibus velut in anteceſſum vt obuiemus: in freto illo adoleſcentiæ, in æſtu ac feruore ingenij, aliquid fortaſſe inconſideratiùs dictum aut factum demus: quid inde? Ex veteri ſententiâ, *Hinc æſtimemur, cùm noſtri ſumus*. Poſtquam alienæ curæ non fuit, cùm ſolidæ ætatis & mentis; ſtetit in ſolido. Cetera Pœnitẽtia defendat: cuius portus cur non ex facili cymbam Lipſianam admiſerit, quæ Reges, Principes, atque ipſos Eccleſiæ apices non excluſit. Omne maturius æuum illius reſpice. conſtans & firmus in verâ veteríq; Religione ſtetit, nec vel inter medios aduerſarios vacillauit: etſi inter blandientes aut terrentes facile fuit in ſpeciem culpæ venire, ſi non in culpam. Neque neſciebat quorumdam hodie prauam ſapientiam eſſe, frigus præferre, & medios agere: quod ipſi prorſus diſplicuit. Itaque factis, ſcriptis, dictíſque cenſuit *vetera nouis, & quieta turbidis antehabenda*. Nec temerè illud Ennij, aut ſuum potiùs,

Cent. ad Germanos & Gallos epiſt. 68.

Cent. 5. Miſcell. epiſt. 67. & 79.

Tac. 11. Annal.

MORIBVS ANTIQVIS *res ſtat Romana viríſque,*

ſemper probauit: ratus, quod res eſt, moribus & religione veteri, in Republicâ ſeruari omnia; nouatores autem & noua, Rempublicam perdere, certúmque exitium adferre.

Vt æuo ſuo Titus, ſic noſtro LIPSIVS verè DELICIVM GENERIS HVMANI fuit. Hunc namque Pontifices, Reges, Principes coluerunt: hunc Itali, Hiſpani, Galli, Germani, Britanni, Pannonij, ipſi denique Daci ac Sarmatæ venerati ſunt: huius denique amicitiam eruditi omnium gentium, omnium ordinum homines expetiuerunt atque ambierunt. Teſtes ſunt Epiſtolarum editarum Centuriæ decem: teſtes ſexcentæ virorum doctrinâ illuſtriũ ad ipſum Epiſtolæ: ex quibus *Centurias duas*

à Wouerio ſeligendas, auidè exſpectamus. Itaque Bonos & eruditos amauit, laudauit; & de ijs magnificè ſemper, cùm publicè, tum priuatim, diſſeruit: adeò quidem benignè ac candidè, vt nimia in alienas laudes facilitas à quibuſdam notaretur. Viciſſim ipſe, ab aduerſariarum etiam in religione partium ſtudioſis, amatus, laudatus fuit: vix ab vno alteróve nugatore aut ſycophantâ (quem malignitas ſiue cæcitas abripuit) calumnioſè traductus. Atque ex ijs ipſis ſcio, *Domannum* poſteà, Antuerpiæ cùm eſſet, pœnitentiam apud Wouerium ſponte ſuâ profeſſum. Sed & *Tomſonus*, quamquam à Scoticis Miniſtris, quos ſulphureo eſſe ingenio *Jacobus VI.* Britanniæ Rex dictitare ſolet, eductus (cùm fortè Lugdunum Batauorum ad ſe venientem hominem pro acerbitate, quam in ſuo ſcilicet *Vindice veritatis* profitetur, *Joſephus Scaliger* caſtigaſſet) *non negauit ſe oblitum humanitatis, atque impetu ſcribendi abreptum fuiſſe.* Sic & ab alijs vel inuitis Tempus ac Veritas meliorem mentem exprimunt.

In Disjunctione Notarum cod. Mirandul. ad Tacitũ.

Scaliger epiſt. ad Fr. Svvertium 12. Maij 1606. datâ.

Habes, mi Lector, magni LIPSI elogium, non tam meis, quàm ipſius ferè verbis concinnatum. Quod ita facere viſum, non quòd verba nobis deeſſent (imò quòd deeſſent in tanto Heröe pro dignitate laudando) ſed fidei apud omnes augendæ. Et verò, nec potuit, nec debuit LIPSIUS ab alio, quàm à LIPSIO laudari: vt iure ſuam [a] ipſe ſibi vitam, [b] *fiduciâ potiùs morum, quàm arrogantiâ*, narrandam exiſtimarit; Rutilij Rufi, M. Scauri, aliorúmque veterum exemplo, quibus id *nec citra fidem, nec obtrectationi fuit*. Quamquam hanc ego præcipuam LIPSI laudem eſſe cenſeo, DIGNE LAVDARI NON POSSE. Hic tamen qualiſcumque labor, *honori* præceptoris mei *deſtinatus, profeſſione pietatis*, vt ſpero, *aut laudatus erit, aut excuſatus.*

[a] *Cent. 3. Miſcell. epiſt. 87.*
[b] *Tac. in vitâ Agricola.*
Ibidem.

Haud

Haud abs re fuerit, huic noſtræ ſcriptioni Bonciarij Epiſtolam de Ingenio Scriptisq́; LIPSI ſubijcere: vt non Belgarum modò, ſed & Italorum de eo iudicium agnoſcas.

M. ANTONIVS BONCIARIVS SENSO SENSIO S. D.

De Ivsto Lipsio mecum ſentis, vir ornatiſſime. mecum autem? imò planè cum omnibus, quos ſiue amœnitas liberalium ſtudiorum, ſiue Muſarum receſſus altior & ſecreta delectant. Equidem ita mihi perſuadeo, non fuiſſe ab aliquot ſæculis hominem maiore Ingenio, acriore Iudicio, vberiore Doctrinâ. *Ingenium* admiror maximè in ſententijs, aut excogitandis & de nouo cudendis, aut ita expoliendis & exornandis, vt ad omnem rem, de quâ loquitur, ſemper aptas, ſemper concinnas, atque cum illâ natas habere videatur. Vt mirum non ſit, accidiſſe Lipsio in hoc genere, quod haud ſcio an & veterum planè vlli; vt eo viuente à doctis viris ex illius monumentis ſententię colligerentur & ederentur. *Judicium* apparet illud quidem ſingulare in omnibus, ſed præcipuè in rerum ordine tractandarum. Lege ab illo ſcripta quæcumque voles: negabis vllam materiam ordine ac methodo clariore diſponi potuiſſe, vel ad perdiſcendum, vel ad recordandum. Certè *Politica* tot ex auctoribus compacta, in illam ſeriem ordinémque digerere, non ſolùm immenſi operis, ſed etiam eximiæ cuiuſdam prudentiæ fuit. Quem ego librum cùm lego, regiam aliquam mihi videor intueri, rebus omnibus inſtructiſſimam. Et eſt planè regia, in quâ primùm Rex ipſe amplum atque auguſtum habet domicilium, deinde comites & magiſtratus Regi proximam ſedem occupant; quam excipiũt hinc atque hinc togatorum armatorúmque ſtationes, atque cubicula diſcriminata. Totum verò prætorium, quàm altè ſurgit, quàm latè extenditur, non fabricatus eſt Lipsivs, etſi

LIPSI INGENIVM.

IVDICIVM.

erat peritiſſimus homo fabricandi; ſed maximè veteres nobi-
léſque opifices ex Latio, & Græciâ, & Ægypto accerſiuit, ad
tantum opus ædificandum & conſtruendum: quibus ille om-
nibus, quaſi fabris, præcipiebat vt architectus. Iam quod
DOCTRINA. attinet ad *Doctrinam*, ea non ſolùm magna, ſed varia, mul-
tiplex, & exquiſita, rerum etiam diuerſiſſimarum. Scribat
PERITIA THEOLOGIAE. aliquid de *Theologiâ*, vt interdum neceſſe habuit ſcribere,
in *Politicis*, in *Conſtantiâ*, in libris de *Cruce*, ſed maximè
in eo libello, quem inſcripſit, *De vnâ Religione aduerſus Dia-
logiſtam:* videbis, quàm altè penetret in diuinam illam ſcien-
tiam, & quàm intimè omnibus, ſiue Græcis, ſiue Latinis
Patribus vſus eſſe videatur. Adfirmat mihi Theologus no-
ſtri gymnaſij longè princeps, *M. Antonius Maſsius*, non eſ-
ſe ferè inter Theologos, qui difficillimam atque obſcuriſſi-
mam illam *De Fato* quæſtionem, ita perſpicuè, diſtinctè,
intelligenter tractauerit, quàm in primo *De Conſtantiâ* libro
IVSTVS LIPSIVS. Age verò, fac eumdem diſſerere,
GRAMMATICES. vt ſæpè diſſerit, de minimâ & tenuiſſimâ artium *Gramma-
ticâ:* non Diomedem, non Chariſium, non Priſcianum di-
ces illi eſſe anteponendum. Exemplo ſit ſubtiliſſimus, idem-
que luculentiſſimus *De Latinâ pronuntiatione* dialogus; in
quo non video, quid optimus quiſque & acutiſſimus Gram-
maticorum requirere poſſit: vt poſteros credituros non pu-
tem, ab vno ingenio, & illa ſuprema, & hæc infima, tam
doctè, tam ſcienter, tam æqualiter potuiſſe tractari. Quid
IVRISPRVDENTIAE. artes & diſciplinæ (vt ſic dicam) intermediæ, *Dialectica, Phi-
loſophia, Jus ciuile?* Legantur libri, quibus Ciuem infor-
mat, & quibus Regem: apparebit, quàm non inanis & fu-
catæ, ſed veræ ac ſolidæ ſapientiæ conſultus fuerit. Ius au-
tem ciuile, non ſolùm ſcientiâ, ſed etiam profeſſione ſuum
vindicat, ad eorum, qui docent, numerum adgregatus. De
POETICES. *Rhetoricâ* & *Poëticâ* dubitatum aliquando eſt à nonnullis,
certè numquam à me, qui & ſcitiſſimos quoſdam eius ver-
ſiculos olim legeram, & tales omnis generis lucubrationes
ſingulari artificio laboratas atque excultas eſſe intelligebam.
Sed proximè omnem dubitationem ſuſtulerunt, præter va-
ria epigrammata, recuſæ, cum *Antiquis Lectionibus*, *Leges
hortuli*;

hortuli; & nuper vulgata *Oratio*, quam habuit apud Principes ſuos Auſtrios, agens gratias de ſuo, ex illorum ſplendore, gymnaſio illuſtrato. Ex quibus liquidò conſtat, ſi vel ad poëticam ſuauitatem, vel ad oratoriam grauitatem animum appellere velit, fore in vtroque ſtudio ſingularem atque eximium. Reſtant, opinor, tria, quæ ad humanitatem magis propriè pertinent, *Scientia linguarum*, *Explicatio auctorum*, *Notitia antiquitatis*: in quibus, omnium ſuffragio, tenet LIPSIVS principatum. Itaque riſi hominem non indoctum, qui non maximam Græcæ linguæ cognitionem illi tribueret, quòd idem LIPSIVS in epiſtolâ quadam negaret, ſe multam operam huic ſtudio impendiſſe. Magnum teſtimonium, ſi de illius excellentiâ, ex illius modeſtiâ, non ex æternis ingenij monumentis iudicandum ſit. At ego, *Vide*, inquam, *mi homo, quàm multa in Græcis corrigat, exponat, conuertat feliciſſimè*. Nam quod ad *Criticam* attinet, me potiſſimùm in admirationem rapit, quòd in ſcriptis veterum emendandis ita ſemper eſt felix, vt, ſiue inueniat veram lectionem, ſiue non inueniat, parem gratiam ab ipſis auctoribus, & à nobis lectoribus mereri videatur. Adeò enim quadrat loco, quidquid illi venit in mentem, vt etiam cùm fallitur fortaſſe, non fallat exſpectationem noſtram: ipſos autem ſcriptores, ſi reuiuiſcant, dubitaturos putem, antiquúmne ſuum malint, an Lipſianum nouum. Delectat verò etiam illud mirabiliter, quòd non ſatis habet obſcurum locum illuſtrare, inuolutum explicare, ægrum ſanare: ſed inter curandum ſemper adhibet facetum aliquid & ingenioſum, quod quaſi leniat præparetque ſcriptorem malè ſanum ad medicinam excipiendam. Chirurgi mulcent hoc modo artus inſigniter læſos, & medicam manum exhorreſcentes. Supereſt *Notitia priſci æui*, quæ in LIPSIO tanta eſt, vt vidiſſe Rempublicam Romanorum, & actis omnibus, non modò per ſomnium, vt exponit in *Satyrâ*, ſed verè ac ſeriò interfuiſſe videatur. Felicem hominem, qui per ea quæ repperit, quæ diſpoſuit, quæ ſciuit, & vixit antequam naſceretur, & ita eſt natus, vt numquam ſit moriturus! Felicem iterùm,

RHETORICES. GRAECAE LINGVAE. CRITICES. ANTIQVITATIS.

rùm, qui nouo more duplicem adeptus eſt gloriam, & quæ ante illum fuit maximè diuturna, & quæ poſt illum futura eſt immortalis! Felicem ter & ampliùs, qui hanc tantam & tam admirabilem omnium laudandarum artium cognitionem, cum æquali candore animi, religione, pietate coniunxit. Vale. Perufiæ, ex collegio S. Bernardi. cIↃ. IↃCII. Hanc epiſtolam cum *Iacobo* fratre, nobiſcum penitus ſentiente, communica, qui tale aliquid à me expoſcere videbatur.

C E N S V R A.

Commentarium vitæ Lipſianæ à me pridem diligenter lectum, & nunc cum voluptate nihilominùs relectum, digniſſimum & LIPSIO, & MIRAEO, & luce iudico. Antuerpiæ, v. *Kal. Maij.* M. DC. XII.

Franc. Harcius S. Th. Lic. Cenſor.

ORATIO
IN
IVSTI LIPSI
FVNERE
HABITA LOVANII

III. KAL. APRIL. M. DC. VI.

A GERARDO CORSELIO

I. C.^{to} ET ANTECESSORE.

ILLMO ET EXCELLMO PRINCIPI CAROLO DVCI CROYO ET ARSCHOTANO, S. R. I. PRINCIPI, EQVITI AVREI VELLERIS.

FVNEBREM *laudationem, quam ſummi viri* IVSTI LIPSI *pijs manibus proximis diebus dixi, ad te* ILLME PRINCEPS *mitto. Gratam enim fore intelligo; etſi nec multarum horarum meditatione elaborata eſt, & languet iacétque & à meâ infantiâ, & à luctu in quo ſumus. Sed vti* LIPSIVM *viuum, & quæ ab illo, æſtimaſti & amaſti vehementer, ita & omnem eius viuis exempti memoriam colis. Tuæ igitur auctoritatis præſidio tuere & foue abortiuum hunc fœtum, quem tuæ voluntatis fiduciâ audeo facere publicæ lucis.*

EXCELLAE TAE

deuotus cliens

Gerardus Corſelius.

ORATIO IN IVSTI LIPSI FVNERE.

QVOD MORIBVS ANTIQVIS, optimóque veterum inſtituto obtinet, vt illuſtrium virorũ funera laudatione ſollenni cohoneſtentur, id in iſto IVSTI LIPSI eminentiſſimi Viri funeſto funere, in iſtâ bonarum artium ſcholâ neglectum iri, inhumanum & pæné nefas arbitrarer. Nam ſiue honori defunctorum eæ laudationes datæ ſunt; quis eſſe poſſit omni honore dignior, quà à doctrinâ, quà à virtute? ſiue ſuperſtitum ſolatio ſunt deputatæ; cuius mors tanto, non vrbis huius & Academiæ tantùm, ſed Europæ propè vniuerſæ, luctu & dolore excepta vmquam eſt? ſiue ad exemplum ſunt inſtitutæ; quod poſſit perfectius aut illuſtrius ad imitandum proponi? Itaque proceſſi ecce ego, vt hoc munus fungar: munus, quod fateor ſupra vires eſſe. LIPSIO enim pro dignitate laudando, quæ niſi LIPSIANA ipſa eloquentia par eſſe poſſit? At ego ingenij & facundiæ modicus ſum, & nõ in arte dicendi, ſed in iuris formulis opera mea conſumitur. Deinde, ſi quæ in me facultas eſt, hebeſcit & caligat, dum intendit in hanc virtutum lucem, ac dolore etiam & recente hoc luctu obtunditur. Cùm enim ad omnes, qui aliquo vel nomine vel ſtudio cenſentur bonarum litterarum, dolor ingens ex tanti viri iacturâ dimanat, tum verò nos præcipuè afficiat neceſſe eſt, qui propiùs poſiti, & neceſſitudine familiaritatéque cum eo coniuncti, maiorem cepimus Doctrinæ eius & Sapientiæ fructum, ſermonúmque & morum eximiam illam ſuauitatem ſenſimus. Quis verò robur illud animi ſperet, quo

Fabius Maximus fuit, qui & in filij funere potuit oratione non infractâ ad populum ipſius laudes diſſerere? Proceſſi tamen, ex amicorum rogatu, & meo in defunctũ ſtudio: tum quòd profeſſorij muneris coniunctio, quæ mihi cum illo, dum Græcas aliquando litteras in hac ſcholâ profiterer, fuit, id à me potiſſimùm poſtulare videretur. Vos rogo, Auditores, vt pauca dicentem patienter audiatis. pauca; etſi plurima dicenda eſſent. Nam & quidquid dixero, infra præſumptam animis veſtris opinionem longè erit. Quare & vitæ ſeriem breui periodo includam, & Virtutes ac Doctrinam non multis verbis efferam: plenus enim earum famâ & fructu eſt orbis terrarum. Pluſcula de morte eius dicam, à quâ & Sapientia & Beatitudo cenſetur; & quæ adhuc intra priuatos parietes cõcluſa ſunt, efferam.

Natus IVSTVS LIPSIVS eſt S. A. CIↃ.IↃ. XLVII. XV. Kal. Nouemb. qui dies D. Lucæ ſacer; in Iſcano municipio, nobili hoc nomine; parentibus *Ægidio Lipſio* & *Iſabellâ Petiriuiâ*, maioribus partim generis nobilitate, partim etiam doctrinæ & litterarum nomine claris. Auia illi ex *Eeckhoutijs*, & proauia ex *Linckebekijs* fuit, ſtirpe vtraque cum primis nobili. Propatruus *Martinus Lipſius* in D. Martini cœnobio hîc Canonicus regularis, inter illuſtres doctrinâ viros cenſitus eſt, & ab veterum ſcriptorum editione ac emendatione, *Deſiderijque Eraſmi* familiaritate & ſcriptis clarus fuit. Primis eum ſtudijs Bruxella imbuit, deinde Athum Hannoniæ, mox Colonia Vbiorum. Annos ſedecim natus, in hanc Academiam venit, & litterarum atque Antiquitatis ſtudijs animum adijcere cœpit, *Cornelio Valerio* ductore. Quantos & quàm celeres in ijs progreſſus fecerit, argumento eſt, quòd *Variarum Lectionum* libros duos, primum ingenij ſui fœtum, annos natus non plus octodecim euulgauit, & ANTONIO PERENOTTO Cardinali Granuellano dicauit. In cuius deinde familiam, cùm Italiam petijſſet, Romæ admiſſus, à Latinis ei epiſtolis fuit: & vt antiquitatem omnem ijs locis inſpiceret, viríſque doctis innoteſceret, (qui vel præcipuus peregrinationis finis fructúſque) præclarâ occaſione cupidè eſt vſus. Louanium inde cùm redijſſet, alteram peregrinationem ſuſcepit Viennam Auſtriæ in Cæſaris aulam. Vnde cùm rediret, ob patriæ motus, Ienæ ſubſtitit annum vnum,

vnum, ibíque cœpit publicum bonarum litterarum profeſſorem agere. Poſteà Louanium reuerſus, I. C^ti^ titulum accepit, anno CIↃ. IↃ. LXXVI. & Leges Decemuirales publicè eſt interpretatus. Quo tempore Belgicis tumultibus augeſcentibus, eâ tempeſtate eiectus in Batauiam eſt, in eáque annos tredecim egit; quam relinquere adegit Religio. Leodicum venit, ibíque cùm aliquamdiu ſubſtitiſſet, etſi humaniter habitus, & munificentiore oblatâ conditione à Ser^mo^ PRINCIPE ERNESTO BAVARO, patriam tamen antehabuit; & in hanc denique vrbem, vltimam ſuam ſedem, licet incertiore rerum ſtatu, redijt, benigniter ab BRABANTIAE ORDINIBVS exceptus. Tredecim iam annos totos fruiti illo ſumus; vtinam diutiùs licuiſſet! Fata inuiderũt, & natum annos iam LVIII. menſes V. humanis exemerunt, & in ſedes meliores tranſtulerunt. Series hæc vitæ; heu nimiùm breuis! Quid queror? Imò longiſſima eſt, ſi eam actu, non tempore metiamur. Vt pretioſa rerum, non patuit multum, ſed multum pependit. Quantæ enim per eam omnem virtutes eius exſtiterunt? quàm omne tempus in optimarum diſciplinarum & Prudentiæ, denique & Sapientię ſtudijs collocatum eſt? Natura illum eximijs animi facultatibus donauerat, ingenio acutiſſimo, celerrimo, ac capaciſſimo, memoriâ tenaciſſimâ, iudicio acerrimo rectiſſimóque. Summa hæc in illo exſtiterunt, & pænè ſupra humanam ſortem. Adiunxit ſtudij & laboris aſſiduitatẽ ac pertinaciam, etſi corporis infirmitate per meliorem ætatis partem reſiſtente. Hinc Doctrina illa exſtitit, & eruditio tam pręſtans, tam ſolida, tam varia, cuius nomine admirationi fuit toti terrarum orbi. A ſtudijs in primis humanitatis, & litteraturâ (quæ *omnium virtutum maxima* Conſtàntio & Iuliano Impp. dicitur) famam habuit, & in ijs Principatum tenuit. Hiſtoriæ deinde ſcientiſſimus fuit, & Antiquitatis peritiſſimus ſolertiſſimúſque indagator. Denique Sapientiæ ſtudio animum adiecit, eam præcipuè eius partem amplexus, quæ ad mores, & quæ Ciuilis Sapientiæ nomine continetur. Eam doctrinæ varietatem ornabat eloquentia promptiſſima & ſuauiſſima, ſeu in publico diceret, ſeu priuatim ſermones haberet. Sed quid ago? quid lumen ſoli infero? Notiſſima hæc vobis Auditores, qui ſeu pu-

L. 1. C. The. de decu. vrb. Ro.

blicè legentem aut dicentem tot iam annos audiſtis,ſeu priuatim ſuauiſſimis eius congreſſibus & ſermonibus fruiti eſtis: notiſſima imò orbi vniuerſo, ex tam multis,tam varijs, tam doctis ſcriptionibus & commentarijs, ſeu ad rem Litterariam ſpectantibus, vti *Criticis operibus, Epiſtolis, in Senecam tragœdum Animaduerſionibus, in Plinij panegyricum Commentario*;ſeu ad Hiſtoriam,vti ad *Tacitum, Valerium Maximum, Velleium Paterculum Commentarijs*; ſeu ad Antiquitatem,vti *Saturnalibus, Amphitheatro, Cruce, Militiâ, Poliorceticis, Magnitudine Romanâ*; ſeu denique ad Sapientiam,vti *Conſtantiâ, Politicis, Manuductione ad Stoicam philoſophiam, Phyſiologiâ Stoicâ, Monitis politicis*, nouiſſimo denique *in Senecam Commentario*. Plura etiam fatum inuidit,quæ iam affecta ſupremo elogio edi vetuit. Scripta ſanè omnia,conſenſu Doctorum omnium, doctiſſima elegantiſſimáque habentur, quibus in eo genere perfectius eſſe nil poſſit:

——— quæ nec Iouis ira, nec ignes,
Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetuſtas.

Itaque potuit meritiſſimo iure, quod Poëta cecinit:

Cùm volet illa dies, quæ nil niſi corporis huius
Jus habet,incerti ſpatium mihi finiat æui;
Parte tamen meliore mei, ſuper alta perennis
Aſtra ferar, nomenque erit indelebile noſtrum:
Quaque patet domitis Romana potentia terris,
Ore legar populi; perque omnia ſæcula, famâ,
Si quid habent veri vatum præſagia, viuam.

Admirati ſingularem viri doctrinam ſunt, quotquot hoc æuum habuit omnibus orbis partibus, litterarum aut doctrinæ nomine claros; & tam priuatim amicitiam eius expetiuerunt & coluerunt, quàm publicè ſcriptis laudauerunt, & ampliſſimis elogijs extulerunt. Quæ cùm infinita ſint,vnum ego commemorare operæ pretium puto, quod à *Iacobo Cuiacio* meruit,ſummo illo viro,& paucos admirari aut laudare, nec niſi meritiſſimè ſolito. Ille nouiſſimis Obſeruationum ſuarum libris IVSTVM LIPSIVM PERFECTISSIMVM REI LITTERARIAE COLVMEN vocat. Addiderim ego, ET SAPIENTIAE. Admirari etiam ſe illum addit,& diligere plurimùm. Quanta laus,quantum elogium, à tanto viro! Alij triumuiratum conſtituerunt,

ſtituerunt, Ivlii Scaligeri, Iacobi Cviacii, Ivsti Lipsii, vti virorum à doctrinâ maximorum: quos ego cum veteribus illis ſummis & diuinis ingenijs compararim, Homero, Hippocrate, Ariſtotele. Quod igitur Tito Liuio olim ſcribunt eueniſſe, vt plurimi ex lõginquis partibus eius tantùm videndi cauſsâ Patauium venirent, id noſtro huic eueniſſe, oculati omnes teſtes ſumus. Præterquam enim quòd frequentior eo Profeſſore fuit Academia, quàm multos quotidie, longâ peregrinatione, ex Italiâ, Galliâ, Germaniâ, & ab ipſis Sarmatis, ceteríſque orbis partibus Louanium, eius videndi & ſalutandi gratiâ veniſſe vidimus! Iuuentuti certè peregrinationem ſuſcipienti, mirum quàm profuerit vel cõmendatitias vel elogium ab eo aliquod protuliſſe; & amplas plerique cõditiones eo nomine nacti ſunt, ſummáq. humanitate à viris magnis excepti, quibus vel videre & alloqui, qui Lipsivm ipſi vidiſſent, aut ab eius inſtitutione eſſent, gratum erat & votiuũ. Atque hic à priuatis illi cultus exhibitus. Quantum verò Viri principes honorem habuerunt? Etiam ad amicitiam eius ſtudioſè colendam plerique ſeſe demiſerunt. E quibus non eſt vt taceã Illuſtriſſ^mos^ & Excellentiſſ^mos^ Principes, è Belgis *Carolum Ducem Croyum & Arſchotanum*, ex Hiſpanis, *Joannem Ferdinandum Velaſcium Comeſtabilem Caſtellæ*, *Petrum Enriquez Comitem Fontanum*, *Balthaſarem de Zunigâ Regium Legatũ:* quibus nihil prius fuit quàm LipsI amicitiâ & cultu cenſeri, eúmque animi affectum multis habitis honoribus, multâ etiam munificentiâ ſæpè teſtati ſunt. Euocarunt illum ſæpè repetitis conatibus, propoſitis ampliſſimis præmijs, eorúmq. modo etiam in eius arbitrium collato, *Summus Pontifex, Rex Galliæ, Veneti, Dux Etruriæ, Bononienſes.* Sed certum illi erat in patriâ viuendi, moriendíq. decretum. Quanti iam illum & *Rex Catholicus*, & *Sereniſſimi noſtri Principes* fecerint, cetera vt taceam, pulcherrimum & tantâ Principe digniſſimum illud apophthegma luculẽter oſtendet, quo *Sereniſſima Hiſpaniarũ* Infans, cùm in Belgicam primùm veniſſet, accedẽtem ad gratulationem excepit: *Maximâ* (inquit) *animi gratitudine, à Rege patre, Belgicarum prouinciarum hunc principatum accepi; ſed talem tantúmque virum in eo te reperiſſe, id ego præcipui muneris loco habeo, æſtimoque.* Quod dictum cùm *Petrus*

Toletanus Principum Romæ Legatus CLEMENTI VIII. *Pont. Max.* de euocando LIPSIO ſatagenti retuliſſet, eum ab vlteriore hoc conatu abſtinuit. Et cùm idem ab eâ legatione redux Pontificis ſtudium INFANTI enarraſſet, illa *ſeſe amare, æſtimareque* LIPSIVM iterùm profeſſa eſt; *& vt aurum incluſâ gemmâ, ita Belgicam illo viro illuſtrari* dixit. O digna REGIBVS ALFONSIS, ab eâdem ſtirpe dicta!

Doctrinam hactenus, & ab eâ famam laudo, quæ nec in bonis numerantur: de Virtute, vnico hominis bono, iam videamus. Illuſtris ea ac multiplex in viro fuit, ita vt non tam doctrina, etſi ſumma, quàm elucentes in eo virtutes, admirationem eius omnibus excitarint. Pietatem & Religionis ſtudium teſtatus eſt, cùm apud Batauos, ab hominibus malè de Religione ſentientibus liberaliſſimè & honeſtiſſimè habitus, non tamen eorum benignitate paſſus eſt ab auitâ pietate ſe abduci, ſed quamprimùm potuit ab ijs locis receſſit, inſuper habitâ tot amicorum, quos illi Doctrina cõciliauerat, benignitate & honoribus, qui illi ijs locis largiùs quàm fortè alibi habebantur, maioréſque habendi erant, ſi ibi ſubſiſtere, aut cum ijs ſentire induci potuiſſet. Solet verò veterum Patrum lectioni, & præcipuè Florentis Tertulliani, tribuere, vt firmior in Catholicâ Romanâ Religione per id tempus perſtiterit. Iam vbi in hæc loca venit, quibus pietatis ſuæ exercendæ libera facultas eſſet, quàm ardenter, quàm religiosè, Chriſtiani & Catholici hominis officia omnia ſemper & aſſiduè executus eſt? Atque adeò illi pietas præ famâ etiam curæ fuit, vt facilè ſeſe ad Deiparæ Virginis, cuius cultu ſingulariter afficiebatur, miracula, quæ vicinis locis edi patrum vel noſtrâ memoriâ viſa ſunt, ſtylo ſuo deſcribenda induci paſſus ſit; etſi non ignoraret futurum vt Catholicæ Eccleſiæ extorres, qui antè admirari & colere ſolerent, iam in illum omnes ob eam ſcriptionem incurrerent. Sed potior illi pietatis & cultus in Deiparam teſtandi cura fuit, quàm ſuæ apud tales exiſtimationis. Itaq; cùm anteà nemo in illum ſtylum ſtrinxiſſet, ex quo Diuæ Virginis cultum & miraculorum eius fidem ſcriptis ſuis aſſeruit, exſtitêre mox homines malè feriati, qui in illum libellos ederent, & plauſtro toto conuitia iácerent: quæ tamen nec in animum admittebat. In

ſupremâ

ſupremâ vitæ lineâ, quam pietatem prodiderit, mox dicemus, ſi priùs ceteras eius virtutes dixero. Dicam per ſatyram; omnes in eo virtutes emicuerunt, in rebus agendis ſumma prudentia, in victu corporíſque cultu frugalitas & modeſtia, in pauperes multa & ſecreta benignitas, denique vitæ innocentia & probitas incredibilis, & vel aſceticum vitę genus profeſſo digna. Virtutes has omnes præcipuè exornauit, admirabilémque omnibus reddidit ſingularis illa viri Modeſtia, facilitas, comitas, in tantâ Doctrinâ & nominis famâ. Per illam omnes in ſui amorem & admirationem rapiebat. Nulla vnquam illi tam ſeria erat occupatio vel meditatio, ob quam vel iuuentutē in colloquium & familiares congreſſus non admitteret: admiſſis prior haud vnquam ſermones abrumpebat, eorúmq. arbitrio permittebat omnem ſui cōgreſſus fructum; etſi maiorem illi temporis partem eripere ſolerent, vel illi congreſſus, vel reſponſiones ad epiſtolas, quas ex omnibus partibus innumerabiles accipiebat. Quin & ſupremis, cùm ſine vllâ pompâ funerari ſe pręſcripſiſſet, *gratiſſimam ſibi deductionem ſtudioſos fore* teſtatus eſt. Hunc virum tantum, tantis virtutibus, tantâ doctrinâ, tantâ famâ, ecce mors ſuſtulit, nobis nec reſtituendum. Adeò

—— omnes vna manet nox,
Et calcanda ſemel via leti. ——

Sed ea ipſa mors, & vitæ clauſula, ceteras viri laudes vel maximè illuſtrat, & conſummat. *Fortiter pati mortem, inter maxima opera mentis humanæ eſt,* inquit Seneca. Et idem: *Maximum argumentum eſt animi ab altiore venientis ſede, ſi hæc in quibus verſatur, humilia iudicat & anguſta, ſi exire non metuit.* Iam ergo vt mortem Vir Ampliſſimus exceperit, videamus. Præclarè veteres philoſophi ſapientiam μελέτην θανάτου definierunt, id eſt *mortis affectum, conſuetudinemque moriendi.* Sapienti enim *totâ vitâ diſcendum eſt mori.* Hoc vnum meditari debet, *ne mortis nomen reformidet, & efficere illam ſibi cogitatione multâ familiarem.* Hoc vnum illi agendum, *vt ſemper ſtudeat animam conſortio corporis ſeparare. Sic illi ordinandus eſt dies omnis, tamquā cogat agmen, & conſummet, atque expleat vitam.* Nullus non dies tamquam vltimus aſpiciendus eſt. Chriſtiano homini eò magis ita philoſophandum eſt, quia certus eſt mortem ſibi non finem, ſed tranſi-

tranſitum eſſe: mortem nos non conſumere, ſed emittere; emiſſis meliora reſtare; exitum mortis conſequi pręmium immortalitatis; mortalitatē morte in immortalitatem verti: *præmium vitæ & gaudium ſalutis æternæ & perpetuam lætitiam & poſſeſſionem paradiſi vitâ tranſeunte venire, ac terrenis cæleſtia, magna paruis, caducis æterna ſuccedere.* Chriſti enim cruce & paſſione cenſemur. Talem ſeſe philoſophum LIPSIVS, non magis ſcriptis, quàm vitâ omni, & mortis exitu præbuit. Vitam inprimis ita ordinauit, vti quotidie moriturus. Deinde longâ & diutinâ exercitatione ita durauit animum, vt conſpectum mortis acceſſúmque non reformidaret. Multus illi & gratus de morte ſermo eſſe ſolet. Frequens etiam ſcriptio, in epiſtolis præſertim ad amicos. E quibus non eſt vt ſileam, quam vix octauo ante obitum die ad *Adrianum Flerontinum I. C*[tum] *Leodicenſem* ſcripſit, veluti mortis vicinæ præſcius, & ad eam iam gradum componens. Nuntiata illi mors erat *Caroli Billéi*, qui inter primos fuerat amicorū. Reſcribit, & de morte philoſophatur: *Intraſſe cænaculum ambulaturum, & in cogitatione ſuper Billéo ſuo defixum. Conieciſſe oculos in vitreas, quæ octodecim locum illuſtrant; atque ibi amicorum aliquot nomina, & inſignia; & ſtatim animum tetigiſſe, illum atque illum mortuos eſſe. numerare incepiſſe, & ecce vndecim ex inſcriptis Parcam viuorum numero expunctos mortuis aſſcripſiſſe, & id intra annos nouem. Progreſſum etiam in atrium adiunctum, ſex feneſtras numeraſſe, & è donatoribus quinque fatum ſuum obiiſſe*, & dixiſſe: *Vides quàm densè morimur? Atq; iſti ex amicis tuis Belgis: quid in ceteris? quot amiſiſti? Quid ex ignotis, quàm multi cottidie pereunt? ſolari* (inquit) *me cœpi, & quid in vno dolemus, vbi tam frequēs & aſſidua iactura eſt? Huc naſcimur, & ipſum naſci eſt non niſi partus in mortem. in caueá te claude, ferro & ære conde,*

Mors tamen incluſum protrahet inde caput.

Cogitemus & præiuiſſe amicum noſtrum, quò certo gradu ſequimur. Hæc ille. Sequeris certè, LIPSI, & dum hæc ſcribis, deſtillatio te dat in lectum, & paucis diebus in letum. Mirari mihi & alteram ſcriptionem ſubijt, Idibus ipſis Decēbribus nouiſſimis ad *Ioannem VVouerium*, quem vnum ex ſuæ voluntatis Curatoribus eſſe voluit, quâ poſt multam de morte philoſophiam, Centuriam epiſtolarum ſelectam, paratam editioni, ſi quid ſibi

bi contingeret, in arcâ ſuâ reperiẽdam edi rogat, & inſcribi *Joanni Andreæ Prochnicio* Regis Poloniæ Neapoli Legato, ex ſuâ deſtinatione. Quid hoc? niſi ex mortis ſibi imminentis cogitatione? Cùm igitur pridie Idus nouiſſimas ex deſtillatione malè habere cœpiſſet, ſenſit mox, ſibíque perſuaſit adeſſe mortis exitum; & ſepoſitâ ſpe ac cupiditate vitæ, abſq; vllâ animi perturbatione, eâdem animi tranquillitate, quâ de morte diſſerere & ſcribere ſolet, & acceſſum eius excepit. Quódq; ſępè aliàs profiteri ſolet, non ingratam ſibi, nec inexſpectatam mortem obuenturam, ſibíque illam præ vitâ in votis eſſe, id ipsâ iam propè poſitâ, eâdem ſerenitate teſtatus eſt: cogitationes omnes, omnem ſollicitudinem, in ea quæ ad illam vertit. Prima cura fuit ſacroſanctis eccleſiæ Sacramentis communiri. Tum meditationi rerum cæleſtium & diuinarum animum totum intendit, ſollennes Eccleſiæ preces recitari iuſſit; ſubindéq; & ipſe, quantum morbi vis ſiuit, recitauit. Subſiſtentes interdum à ſacrâ lectione Sacerdotes, ne fatigarent vi morbi oppreſſum, vti pergerent, aſſiduéque legerent, cohortatus eſt; aſſerens multùm eâ lectione animum affici. Atque hæc omnia tanto ſpiritu, vt vllum alijs de rebus ſermonem nec inferret, nec admitteret, idque per dies plures. Fuit qui ad ſupremæ voluntatis ordinationem pertinentia quædam ſuggereret, & reſponſum hoc tulit, *De cæleſtibus & diuinis cogitemus*. Cùm in cogitatione aliquâ defixus viſus eſſet, rogatus quid animo volueret; *Quid?* inquit, *promiſſam diuinitus laboribus meis mercedem: an exiſtimas, in huius vitæ palæſtrâ me tantum deſudaſſe ob quantum eſt opum, quæ obuenerunt? Alia mihi ſperata merces, alia præmia. Jlla mihi in mente ſunt.* Fuit id multis admirationi, quòd nec de ſcriptis vllis ſuis, per tot ęgritudinis dies, vllam vmquam intulerit mentionem, quâ in curâ vitam omnem conſumpſerat: at iam omnem de illis cogitationem ſemouerat. Intereà videre erat doloribus illum & vi morbi maximâ afflictari, & gemitus quidem erumpere, non dolorem magis quàm pugnam aduerſus dolorem indicantes; ſed nullas ex illo voces indecoras, vel querulas audire erat. Totas quidem vigintiquattuor pænè horas cum morte ipsâ colluctatus eſt, ſummâ fortitudine & conſtantiâ. At poſtquam iam viribus defectis mors cominùs agere cum illo cœ-

pit, tum verò magis magiſque animum durauit, & diuinis intendit, voce, quâ potuit, ſalutaria IESV & MARIAE nomina ſæpiùs inclamans. Iam mors occupare corpuſculum, & in labris ſpiritus hærere, ſopitáque mens vi doloris videbatur, cùm admonitus à Sacerdote, vt ſalutifera illa nomina iteraret, vim ecce ſibi ſummam fecit, & iterùm IESVM MARIAM verbis dimidiatis, & hærentibus, ægerrimè pronuntiauit; eóque habitu vberes omnibus aſſiſtentibus lacrymas extorſit. Semihorulam adhuc durauit vocis expers, ſed mentis compos, quod ſignis rogatus indicabat: tandémque felicem illam animam in ſuas ſedes placidiſſimè emiſit. O mortem, quæ nobis omnibus ſit votum! Quid dolori noſtro lenocinamur, & iacturam querimur litterarum, & publicæ rei? Benè IVSTO LIPSIO factum. Non erepta illi vita, imò nec intermiſſa eſt. Expuncta hac morte ad immortalitatem venit: de iſtis mundi turbinibus extractus, ſedis & ſecuritatis æternæ portum petijt. Ad illum Vatis illud flectamus, *in memoriâ æternâ erit* IVSTVS, *ab auditione malâ non timebit.* Fuiſſe LIPSIVM in animo nobis magis ſit, quàm non eſſe. Fruamur beneficijs eius, & luce, quam bonis artibus & litteris intulit. Tum exemplis virtutum eius inſiſtamus, & inprimis moriendi exemplum ab illo nobis ſumamus, vitâ ad mortem compoſitâ, & aſſiduâ meditatione illâ nobis redditâ familiari. Statuamus quod Indorum Brachmanes philoſophabantur, vitam eſſe veluti conceptorum in vtero ſtatum, mortem autem partum in veram vitam eſſe ijs, qui rectè ſunt philoſophati. Si quid verò tanti viri meritis reponere, & in omnem æternitatem duraturis operibus rependere velimus; ſempiternæ felicitatis quietem, gaudium, ſalutem totis votis intimiſque animi precibus apprecemur.

IVSTI

IVSTI LIPSI
PRINCIPATVS
LITTERARIVS,

à GAVGERICO RIVIO IC. *& in ſupremâ Curiâ Belgicâ Mechliniæ cauſſarum Patrono,*

ſcriptus ad ritum priſcum.

NOBILIBVS ET MAGNIFICIS
CONSVLIBVS
ET
S. P. Q. ANTVERPIENSI

Gaugericus Riuius dedico conſecróque.

QVÆRENTI mihi in Belgicâ IVSTI LIPSI PRINCIPATVI LITTERARIO arcem aliquam ſiue archiuum, ſanequàm opportuna viſa vrbs veſtra: tum quòd vrbium princeps ipſa, tum quòd amantiſſima & ſcientiſſima litterarum. Nimirum vti negotiatores aurum gemmáſve lanarijs ſaccis, aut vinarijs vaſis nonnumquam includunt & tranſuehunt, itinerum periculis declinandis: ita inter vos plurimi bonarum artium Myſtæ, vocabulo mercatorum. hoc ipſo inuidiæ immunes & laudandi, quòd rem ipſam habetis & colitis, laudis & titulorum ſecuri. LIPSIO, dum fuit, ideò ſic amat, vt nihil ambigam, quin ſi (re-

cepto viris Principibus more)partitim ſepeliri cordi habuiſſet; & Antuerpiæ veſtræ cor, & Romæ caput humatum voluiſſet. Me verò, qui viuo placueram, nefas mortuo diſplicere: atque LIPSI Opera, hoc eſt, LIPSIVM ipſum, quem deſcribo, aliò gentium mittere inuitum. Admittite igitur quem ſoletis, vultu quo ſoletis: &(quaſi ſeruaculum ſiue cymbulam maioris ſequacem nauis) me quoque totum ſimul accipite. Quem non vt ametis rogo, ſed amare ſemper & obſeruare patiamini. Valete. Mechliniæ, VII. Kal. Febr. cIↃ. IↃC. VII.

IVSTI

IVSTI LIPSI PRINCIPATVS LITTERARIVS,

ſcriptus ad ritum priſcum.

DICTVRVS & ego de IVSTO LIPSIO, tamquam infimi ſubſellij Senator, poſt multos Conſulares, qui proſâ, qui verſâ oratione cenſuêre; Apollinem adieram & Muſas, precaturus vt digna tanto ſeu homine, ſeu heroë, ſeu Semone, promere illorum inſtinctu & ſuggeſtu liceret. Sed adieram fruſtrà: diu multúmque inuocato & orato, nihil actum, nihil reſponſum. Deus deæque ſilentium obſtinauerant, linguâ, manu, oculis: ſed & his in terram ſimul & mœrorem deiectis, crinibus diſiectis. Quid, quòd pullati omnes erant, & feralem illum colorem induerant? me ſanequàm dolente & querente; vt qui talium nouus, nihil niſi amœnitatem in ipſis cernere ſolens eram, & niueam quamdam vltrò benignitatem. Quid ergo ſibi iſta vellet habitûs inſolentia, anxiè ſcrutatus, tandem comperi, ob illius ipſius funus, quem dicendum proponerem, Muſicum eſſe iuſtitium. Minus Muſas ſine LIPSIO, quàm LIPSIVM ſine Muſis, poſſe: illum animam, illum vitam, illum corculum, illum os, ipſis fuiſſe. Hominum genus omne ad Phœbum, Phœbum ad Iuſtum, oraculorum ergô, ſollenniter iuiſſe. hunc illi præſidi præſidem præſtitémque fuiſſe: & quæ ille mortales docuerit, ab hoc antè vniuerſa didiciſſe. Talibus ego elogijs lætus, & à Fatidico illo collegio rediens coronatus; quaſi ſi preces meæ ratæ, abundè laudis interpre-

LIPSI obitus à Muſis ipſis lugendus.

interpretabar, quòd ne dîus ille quidem choragus, cum omni ſuo choro, ſat laudare, nedum laudem inſtinguere, tacendo fateretur. Enimuerò quoniam crudum adhuc vulnus nôram; à tempore medicinam & vocem expectandam duxeram, quæ à ratione vi doloris hebetatâ non impetraretur: atque annum luctui poſitum, etiam Parnaſſijs incolis ſuffecturum. Aliter tamen res habet. hominum temporariorum, temporariæ & annariæ iſtæ leges: ingenijs æternis, quæ aut numquam naſci, aut numquam denaſci oportuit, vt famæ, ſic luctûs æternitas debetur. Impunè, imò decorè his plangendis modum egrediare, qui ipſi ſunt Naturæ vires egreſſi. Quid igitur facere, quid ediſſerere vſurpabo; quando vel dî verborum opifices muti? quando ipſa verba attonita & inualida ſunt, ad virum tam ſublimem, tam non tralatitium, tam non intra limites ingenij poſitum? Dicam. Vt olim cùm legitimi & conſentanei triſtitiæ queſtus affatim domi non erant, fiduciarij adoptabantur: & propinquos ſuos lacrymis non ſuis, & mercenarijs deflebant: ſic quando Apollini & Muſis oculi vnà cum voce nunc ſtupuêre, amiſſo ſeu fratre, ſeu magis parente; quando & mihi lamenta hærent, quem tu magne LIPSI, magnâ dignatione diligebas; præficam ſaltem, vt ſic loquar, pennam producam, quæ te quàm tenui grandium meritorum recenſione, tam ingenti veneratione proſequatur: res toto cælo diſſitas, gratitudinis amore, miſcens metum & temeritatem.

Ordiar ab ipſo tempore, quo tu de Ignorantiâ & Ambitione, teterrimis humani generis perduellibus, glorioſum triumphum, id eſt, cùm vitam es exorſus. Ita enim eſt profectò. vix terram inſtiteras, & iam Parnaſſi ardua tangebas. antè propemodum induiſti arma, quàm membra: & victurus hoſtem, priùs viciſti rerum naturam. Sol pænè poſteriùs hominem vidit, quàm ſcientiæ adſertorem. Anguſto indolem tuam circo includit, nimíſque eius vim arctat, qui à te, vel in te facta cogitat, quæ fiunt, aut quæ facta: facis quæ fieri non poſſunt. Quod alij tempus vagitu, crepundijs, luſibus tranſeût, quis ergo te bonarum rerum medi-

Ante annos ſcientiæ & ſapientiæ.

meditationi ſolidum haut crediderit impendiſſe? & quas cunas incubant, tibi doctrinæ Athenæum, ac totius Humanitatis officinam fuiſſe? Iactet nunc ille ſibi numquam ferias, ne puero quidem, contigiſſe: tibi nec infanti. Scilicet horæ, dies, menſes, illis ſunt inuẽti, quorum in vitâ aliquid eſt quod metiaris. in immenſis, cur aut quomodo vtare? Quemcumque menſor modum dixerit, falſum dixerit. Atque vti campus Martius, etſi in Vrbe erat, non erat in pomœrio: ita robuſta & quaſi Martia virtus, in ætate quam degit, expers eſt finibus ætatis. Non cunctatur, non ceſſat: cum illius velocitate, vtendi velocitate certat, & præuertit. Ideò in vulgo illa quæſtio valeat; Quot annorum es? Sapientes non annorum, ſed anni ſapientum. Argumento ſunt opera, quæ LIPSIVS vixdum octodecennis *publicauit: &, ſi curam in ijs accuratam ſpectas, nónne concipere debuiſſe iudices, recentet ipſum conceptum? Tantam elegantiam, tantam præferunt eruditionem! tot vitiorum mõſtra è temporis velut ſitu nata & adulta; quorum nouus Hercules vetuſtos auctores liberauit! Nempe ceu malus aurea, Aſſyriaca, iuniperus, omni tempore germina, flores, fructus inſimul progignunt, quamobrem & ſuperfœtare dicuntur: ſic prætextatus iſte, cum pube, fructus ſenectutis; eodem momento, Senatus Princeps audire meritus, quo Iuuentutis. Quid Senatus Principem? Principum Principem, iure Quiritium, ipſius iam inde titulum aio fuiſſe. Equidem ſic cenſui ſemper, qui ſuus factus, omnes homines benefaciendo ſuos ſibi faceret, non qui dominaretur, aut nominaretur, regem eſſe: animi artes, corporis artibus præſtare: nullum eſſe præ libro inſigne gentilitium; quamuis non id Alphonſus Arragonum quoque oſtendiſſet: tutiùs ſtilum teneri, quàm ſceptrum: celſius prudentiam in capite, quàm diadema ferre: ſplendidius innocentiâ veſtiri, quàm purpurâ: bonam famam ad vtrumque Solem, quàm imperium & iuriſdictionem, haut paullò vtiliùs prorogari: conſtantiam, ſolio ſolidiorem: fidelem denique memoriam fiſcis & conditis anteire, atque ærarium eſſe ditiſſimum. Quæ ſi ita habere nemo non vider,

*Var. lect. ...

Dotes habet regno potiores.

Y

det, niſi cui in claro & illuſtriſſimo Sole meridies eſt noctis, & in ſummâ frumenti vilitate lolio ſeſe tolerat; ſi porrò Agamemnoni Homerum, Dioni Platonem, Philippo Demoſthenem, Alexandro Stagiritem, Galbæ Quinctilianum, Neroni Senecam, Domitiano Corn. Tacitum, quiuis anteponit; quid cauſſæ erit, quî minùs, dynaſtas inter & doctos, primas LIPSIO deferamus? quando ipſe & illorum criminibus vacauit, & horum omnium Genios virtutéſque ſolus poſſedit. Adeò vt quantò MM. Scauri, QQ. Catuli, LL. Scæuulæ, Catones, QQ. Metelli, Scipionibus, Paullis, Fabijs, Marcellis, apud æquos iudices quidem, præcedunt; tantò ſuperentur à LIPSIO, doctiſſimo, prudentiſſimo, ſapientiſſimo. Memoriâ, non ſuper Cyrum, Hortenſium, Lucullum, Cæſarem, at in id, ſuper quod adſcendi non poteſt, euecto. Mente, in tantum bonâ, quantùm natiua bonitas intelligi, quantáque ex ipſo Virtutis vtero naſci poteſt; vt ſi IVSTI vocabulum, præſagio quodam an fato, nactus hautquaquam fuiſſet à genere paterno, obtinere debuerit ab humano. Iudicio, quod ne qui intellexit quidem, ſat & ſuper miratus. Ingenio, quantum vel mortalitas recipit, vel induſtria percipit: & quod vtrùm ciuilibus magis operibus, an bello ſuffecerit, in ambiguo eſt. Quod & indixit, ſuſcepit, geſſit, patrauit ſuo ductu auſpiciiſque, iuſtitiâ, prouidentiâ, labore, gloriâ maioribus, quàm ab ipſo vſque rerum conditu, quiſquam potitus rerum. Hunc ego honorem, hanc adoream IVSTO LIPSIO, non prædam, ſed præmium te, Liuor, poſco atque condico. Audin'? Rationem audi modò; etiam auſcultabis. Æquior, grauior, inexplicabilior, magis inclyta vt victoria, ſic belli faciẽdi ratio cum Imperitiâ, quàm cum alio quouis hoſte. Inteſtinum illud, ac perpetuum: hoc externum, temporariúmque. Hîc de libertate, imperio, vitâ cernitur; ſed cernitur: in illo, ruina morum & animorum certa. Per hoc, viuere deſinas, vtcumque peſſimè cadat: per illud, viuas vtique, at non homo. A vulgo, à barbaris, à feris differimus, quòd litteræ nobis ſunt: ceteris ſuperamur. Viden' verò, ſi publico ad hoc bellum miſſu opus, in

Ingenium capax artium pacis ac belli.

Bellum geſſit, & confecit omnium glorioſiſſimè.

Quia cum Ignorãtiâ.

vno

vno populorum comitio, vel Imperatoribus, Regibus, Principibus ipſis competitoribus, LIPSIVM miſſuros, LIPSIO prouinciam decreturos, LIPSIO lauream *omnes, omnes* fuiſſe donaturos? Tribus illum præ omnibus, ex omnibus, centuriatim viritímque Dictatorem fuiſſe dicturas? Verùm quid hominum ſuffragia, ſententias moramur, aut tabellas? BONARVM ecce ARTIVM legiones oppreſſæ, mundi, dum florent, robur & decus, illum minimè prenſantem, illum ſolius immortalitatis candidatum, illum procul abſentem legunt, & quem ſcuto imponere nequeunt, deſiderio attollunt: in Italiam, tamquam in arcem & Vetera ſua inuocant: orant accingatur, magnis itineribus veniat: citò videatur & videat; vt ſint, quas videat. Mouetur tam pijs precibus animoſus iuuenis: ſed moneri amat, quàm rogari id, quod miſſum facere, ſcelus exiſtimat. vt Annibal quondam hoſtis, ita ipſe à puero, & Latio, & nomini Latino, & Italiæ toti, & Artibus in eâ, iuratus amicus. Accurrit igitur, adeſt: & ſimul fines ingreſſus, ab hiſdem quæ implorauerant legionibus, *Pater patriæ litterariæ* conſalutatur, Hiſtorico populo ſuffragante, Philoſophico Senatu conſentiente conſciſcentéque. Ipſe manu turbam adorare: paludamenti, faſcium, præferendi ignis incurius eſſe: vana titulorum ſpernere: ad rem ipſam protinus animum vertere. Bonis, quibus partum erat, rationibus imperium cupidus retinere, maximæ dignitati maximam curam adhibet; vt ne finis, quod ferè fit, inclinet: neu quid vlterioris detrimenti Reſp. capiat. Principio itaque legionarios, ſocios, auxiliares allocutus, *Qui Remp.* inquit, *ſaluam eſſe vult, me ſequatur.* Et, poſtquàm *Politianus, Hermolaus Barbarus, Rodolphus Agricola, Eraſmus, Lud. Viues, Budæus, Iouius, Giraldus, Parrhaſius, Nannius, Pincianus, Turnebus*, peritiſſimi metatores, nec non quidam velites ac roratij præiuiſſent; ſecuti Imperarorij & Conſulares viri, Tribuni, primipili, anteſignani, poſtſignani: ſecutus *Cuiacius* Legatus, qui cornui præeſſet: ſecuti haſtati legionis primæ *Sigonius* & *P. Manutius*: ſecuti principes ſociorum Alæ

Meritus ad iſtud Dux eligi præ Dynaſtis.

Ab Artibus ipſis:

Italiam iuuenis adit.

Priorum exemplo,

Aequaliū auxilio,

dextræ, *Ant. Auguſtinus*, *P. Ciaconus*, *P. Pithœus*, *P. Faber*, *Ræuardus*, *Leopardus*, *Valerius* : ſecuti triarij, *Thuanus*, *Muretus*, *Paſſeratius*, *Pichena*, *Mercerus*. omnes ciuicâ, murali, obſidionali, aliíſque coronis & donis varijs inſignes: cum multis, qui inſcitiæ vincla metuentes, & infrequentiæ aut ignominiæ notari, ad nomen reſponderunt, & ſacramento in Principis LIPSI verba dixêre. Haut ita Prætorio procul, *Fuluius Vrſinus* Quæſtor cum Numis, *Hieronymus Mercurialis* Æſculapia proles, *Chriſtophorus Plantinus* vtilis ac perquàm opportunus, ita me Muſæ benè ament, Reip. conſtituendæ machinator. Sed & *Læuinus Torrentius* Euocatus, ſponte militiam ſumpſit; etſi ei acta ſub pellibus ætas, & ſacerdotij honos, vacationem conceſſerant. Erant in propinquo *Arias* & *Michaël Montani*, aurei duo ſapientiæ montes, cùm à cunctâ multitudine vox repentè ſublata, ſpei, imò fiduciæ plena: *Væ victis*. Illis vitem, illis gladium, illis catenam, illis ſecurim, illis furcam, illis necem, qui Bonas Artes ſuo ſolio & ſolo *vti optimo maximoque*, per ſummum ſcelus eieciſſent, vi & vi armatâ deturbaſſent: qui liberas, qui ciues Romanas, bonis benè natas, virgis, certè contumelijs malè multaſſent: inſontes, indemnatas, indictâ cauſsâ, eremodicio deportaſſent; aquâ & igni interdixiſſent; honore ſiue alimento, cum vitâ & luce carere voluiſſent. Clangere tubam, progreſſui cani iuberet tantùm, ROMAM, ROMAM duceret, heu! quondam Imperij larem, Virtutum pandectas, epitomen nationum: hoc infeliciorem, quòd anteà felix, nunc Barbariei Ignorantiæque ſeruiret; & Temporis, cuncta ſuo dente conficientis & conſumentis, pabulum eſſet. Quas querelas etſi iuſtas ſciret; nomen Vrbis reginæ terrarum, ingeniorum rex pro bono augurio haberet; Pompeij factum valdè damnans, eamdem relinquentis, Vt faciliùs obtineret; atque adeò auctoritati conciliandæ faceret, inde in omnia ſibi regimen eſſe: modum tamen vlciſcendi iniuſtum ratus, non niſi MORIBVS ANTIQVIS victurum ſe profeſſus eſt. Et ſubinde EPISTOLICAE QVAESTIONES miſſæ, & Barna-

Mortuas, ægras, aut neglectas Artes excitare cogitat:

Et Romam iſti conatui opportunã.

EPISTOLICARVM QVAESTIONVM libri V

Barnabas Briſſonius ex formulâ clarigatum Romam profectus, gnarus ipſe formularum. Cui cùm res raptæ clarè repetitæ reddi negarentur; bellum igitur indixit, fecítque. Poſtquàm ad arma clamatum, concurſum, conuaſatum, & agmen, gradu militari, quadratum iam incederet; deprehenſum pleroſque gregarios, imò centuriones ac decuriones, ſtudijs priuatis & ex commendatione adſcitos pueros ab anterioribus Principibus pueris ipſis, aut ſenibus puerorum ſimillimis, ignotos ignorantéſque militum, cæli, ſoli, hominum, linguæ atque viarum. Id verò tum ipſos, tum exercitum, in occaſione fortiter agendi, attonitos reddere, fiduciam minuere, metum augere: interim errori, interim fraudi, interim neci, ſemper periculo eſſe. Ea res Imperatorem aduertit: Ductores Doctoréſque dedit prudentes locorum, ſermonis, omnium, non tantùm quæ in Latio & Græciâ, ſed quæ in quacumque terræ, adeóque cæli plagâ. Et callidus prouincialium ingenio prouincias optimè reciperari ac teneri, illos omnes Græcos Latinóſque dilegit: quomodo antiquitus, quomodo deinde quàm vtiliſſimè legerentur, ANTIQVARVM ET VARIARVM LECTIONVM libris, facundâ, & in argentum incidendâ oratione concionatus. Amici per viam ſuadebant, Placentiam diuerteret, ſuo ſuorúmque corporibus curandis: ipſe Veronam præoptauit. Et neſcias quo fato illam odium ſuum, hanc delicium & municipiorum ſmaragdum, ſemper nominauit & habuit. Simul Vrbs vrbium in conſpectu tandem fuit; *quod bonum factum*, TRANQVILLITATI aram ſtatuit, adque eam ſolens ſacrificauit. Nam vti ſcyphus dum rurſum prorſum agitatur, liquorem ægrè infundas: ita de pectore ſentiebat inquieto. illum, inquam, animum malum capiendi Artium ſedem, qui circumforaneus, qui vbique eſſet. Sacris operatus, *Deſidiam* & *Inuidiam* à Barbaris & Ignorantibus haut euocabat. & multis morem maiorum adhuc virginem violari mirantibus, Deſinite admirationis, inquit. & Deas illis ſuas relinquamus: plus damni dabunt propitiæ, quàm iratæ. Non fefellit reſponſum:

Lōgè alius à magiſtellis, & pleriſque Criticam antè profeſſis.

[A]NTIQVAR. [L]ECT. lib. V. [V]ARIAR. LECT. libri II.

Adſentationi alienus:

Minimè leuis:

ſum: vixdum aquilæ fulſerant, vixdum apparuerat vexillum inſigne *Pudore*, colore Principi vernaculo;

Maximè pudibundus.

Diſceßêre omnes adytis arisque relictis:

neque conſilij, neque auxilij quidquam in Deabus inuenere præſentibus. Hoſtibus fugientibus, & multis Catulariâ, pluribus Piaculari, Mugioniâ, Lauernali, plurimis Sceleratâ portâ erumpentibus, Salutari ingredi voluit noſter Camillus Togatus: & ingreſſus eſt eâdem ipsâ ætate, quâ olim Octauianus; at maiori felicitate, quàm prior ille ſagatus: vt qui ſine vllo armorum motu vel metu, hoſtem ceu Iulius, vidiſſet ſimul & viciſſet. Quà gradiebatur, vtrimque gratulationes, vtrimque applauſus, vtrimque acclamationes: LIPSIO AVGVSTO, MAGNO ET PACIFICO, VITA ET VICTORIA: FELICISSIME:

Litium hoſtis:

DE NOSTRIS ANNIS TIBI IVPPITER AVGEAT ANNOS:

ΕΙΣ ΑΙΩΝΑΣ. Erant qui flores ſpargerent: erant qui veſtes inijcerent. Ianuas item lauro & lucernis ornauerant, etſi meridie mero. non vt imputarent; ſed quòd reus debendi eſſe illi quiſque crederet, qui Vrbem ab Ignorantiæ tenebris, & Barbarie vindicaret; qui illã porrò, & omnes mundi tractus, factorum ſcriptionúmve fulgore illuminaret. Ipſe non quadrigis aureis, non equis albis vehens: non togâ pictâ indui, non laureâ caput redimiri, quam deinceps in Capitolium inque Iouis gremium deferret: pedes ambulare: prudentiâ Princeps, habitu cultúque gregarius: meritis ſupra omnes, ſuo ſenſu vel infra ſe eſſe: ſatis comperto, nihil feciſſe vt laudaretur, qui laudari atque adtolli reſpueret, cùm feciſſet. Quid multa? præſens quærebatur, & quod viſu nouum, deſiderabatur inuentus: imperatorio tantùm vultu, patulâ fronte, viuidis oculis, & ore prono in humanitatem ac miſericordiam, nobilis & notus: ſuſpirijs quoque & gemitibus, quorum largiter fundebat, viſâ pulcherrimâ quondam, nunc ad horrorem deformi, formâ magnæ Vrbis; ſi magnum cadauer, Vrbs magna. Euerſa templa, Capitolium, priuatæ domus: violata Deorum ſigna: deiectæ clarorum virorum ſtatuæ:

Veſtitu, & ſenſu de ſe, modicus:

Facie verendus:

Ruinarum litterariarum quæ à Barbarie & Vetuſtate, miſertus:

ſtatuæ: imagines fractæ,& tractæ: in Curiâ,in atrijs. Sublata ædes Veſtæ: collegium Pontificum atque Augurum ſublatum. Illuſtrium ingeniorum monimenta in Comitio arſerant. Interierat melior pars Senatus, Equitis, Plebis, cum veſtitu, cúmque inſignibus & ornatu. Quid ornatum loquimur? Interierant (miſeret dictu) nomina profana,ſacra,ſancta,religioſa rerum,adeò non tantùm res ipſæ; quorum pænè omnium memoriam, Tempus,Imperitia,Barbaries, certatim damnauerant. Habuerant nimirum Litteræ quoque ſuam Alliam, ſuam Emathiam,ſuas Cannas; & quod longè funeſtiſſimum, ſimul vniuerſas. Paſſæ ſuos Gallos,Pœnos, Cinnas, Marios, Sullas, Catilinas,Verres,Cethegos, perdere & prędari malo præſagio feſtinos; vt mos vulgò ſcientium aliena tenere ſe,& citò relicturos, neque diu vſuros fruituros. Sed lacrymam dormientem vel conniuentem excitabant maximè ſuffixa pilo Varronum capita,Cicerones ab Antonijs iſtis denuò trunci, vel EMENTITI, Propertij luxati & elumbes, Plauti in piſtrinum retruſi: maximi cenſus auctores in exſilium acti, ínve ergaſtula, ſine lege, ſine more, ſine modo, ſine cauſsâ,compacti: tota,vt verbo dicam,Reſp.litteraria perculſa atque proſtrata.

IVDICIVM DE CONSOLATIONE CICERONIS.

Ergo igitur hâc ſcenâ rerum, non ſomno, non vanitate, non titulo Principem egit LIPSIVS: non etiam (qui ferè error eſt ſiue morbus hodiéque peregrinantium) ſollicito & præcipuo ſtudio indagauit, vbi locorum Apicij culina, vbi Apollo Luculli, vbi Meſſallinæ fornix: quot Marſyæ ſtatua coronarum capax: quàm tornatile Poppææ mentum: cuias equus Curtius, Theſſalus an Numida: vinúmne Falernum Chio ſapientius: & hæc talia laſciuiarum,tricarum,apinarum: ſed ſe Reip. eſſe,non ſuam Remp. autumans, animum in primis induxit, omnium ſanorum vitam ſartam tectam ſuâ induſtriâ ſeruare, omnium ægrorum valetudinem ſuâ medelâ prohibere, omnes iniuriâ ſpoliatos, in integrum reſtituere, omnes vinctos ſoluere. Huius ergô, quidquid erat carcerum obito & inito, animaduertit SENECAM TRAGICVM, VEL-

Nō vanus:

Boni publici amans, & morum, monimentorum, Auctorum, cui priſci:

ANIMADVERS. IN SENECAE TRAGOEDIAS.

Velleivm Patercvlvm, Plinivm illum, heu! olim floridum Traiani laudatorem, innumerum aliorum numerum, in reatu, ſquallore, ſordibus vinctorum, inſcriptorum, ſemiraſorum, ſemiuiuorum. Valerivm item Maximvm in eâdem turbâ notauit, quàm ſibi, quàm ſuo nomini diſſidentem! Erat hic paullò, quàm alij, habitior: cùm nihilo ſeciùs certum eſſet curare omnes; húncce ſolutum, lautum, curatum voluit ante omnes, vel ominis cauſsâ, quod in dilectu Tribuni, in luſtro condendo Cenſores, à bono nomine ordientes, religiosè ritéque captabant. Extra ordinem multatæ malè emerſerunt duæ cuſtodiæ (quas Senatoriè & laxè ſaltem attineri, iuris fuerat, & moris maiorum) L. Annaevs Seneca, & C. Cornelivs Tacitvs, Conſulares viri. è barathróne aliquo aut Polyphemi antro, an magis è caueâ tigridum & pantherarum, in obſcuro eſt. Ad beſtias certè damnatos fuiſſe, cumque ijs aliquando depugnaſſe, Iouem lapidem, ex animi ſententiâ, iuraſſes. ita vnguium ſcarificationes manifeſtariæ erant, & dentium characteres. Miſeranti Lipsio, & percunctato, quid ita in publicâ cuſtodiâ, qui publicum, vel in priuato, negotium egiſſent; quid manibus vinctis, quid ligati ipſi, qui mortales omnes ſuis ſibi beneficijs obligaſſent, & quos oportuerat in Principum eſſe manu atque ſinu; quid ſordidati, qui vltra terræ vltráque Naturæ metas, Prudentiæ & Sapientiæ nitorem, lucem, ignem miſiſſent; nihil aliud quàm cauſſati ſunt, apud imperitos & magnates, magna ingenia & mala in æquo ſtare: illos altos, iuxta ſe attolli nihil velle. apud noxios, innocentiam noxiæ eſſe, & adſpici quaſi criminantem. Seſe verò rerum vberes & ſerios, ſermonum paucos, pompam & fallacia Aulæ odiſſe, verum amare: proinde nec capere, nec capi. Placuit clarorum virorum oratio, quâ maximè ferebant diſplicuiſſe. & confeſtim vertigine aut feſtucâ Quirites iterùm facti. Quirites autem? imò ſanatis quæ ſupererant membris, (nam Cornelius quidem vt mutilus omnino ne ſit, non perfecerint Hippocrates ſexcenti) latum clauum, & omnia honorum ornamenta velut poſtliminio rece-

Inter hos Taciti præſertim & Senecæ.

Animadvers in Velleivm Patercvlvm. Commentarivs in Panegyricvm Plinii. In Valer. Max. notae. In Senecam commentarivs. Commentarivs in C. Cornelivm Tacitvm.

recepêre, & in Curiam reliquâ ſui parte (virtutis & meritorum cauſsâ) reuenêre. *Seneca* & *Tacitus* ſic adiuti (quo mutuas operas traderent boni & officioſi liberti) LIPSIVM ipſum patronum, ætatem totam, comitatu & conſilio iuuêre. Quibus præcipuè fretus, veteres & vetera ſuſcitare, inſtaurare, decorare conſtituit. Itaque rutis, cæſis, ruderibus ſuperſtitibus in vnum conductis atque comportatis, VRBEM ipſam & MAGNITVDINEM ROMANAM, haut minori arte, apparatu, ſplendore, quàm Romulus, aut poſterorum quiſquam, molitus & emolitus. Ciues iam opus erant, qui haberent & incolerent. dedit, an genuit, dicam? illos certè quà libris, quà lapidibus, tam in Vrbe, quàm foris, erutis ac effoſſis, ceu Deucalion aliquis, numeroſos oſtendit. Sed quid ciues ſine legum metu, ſine diuorum cultu, ſine virtutis fulcro? ſeditioſi, diſcordioſi, feroces, immodici, atque vt ſemel & ſimul dicam, turba turbulenta; cui centuplex murus ſeruandæ ſit parùm. Eapropter LEGVM REGIARVM & DECEMVIRALIVM fræno coërcuit: CONSTANTIAM inſeruit RELIGIONEM fluctuantibus anchoram, non ſecùs ac Numa aut Lycurgus, ſed VNAM illam præſtituit; additis VESTALIBVS aliiſque ſacerdotibus & adminiſtris. Quid, quòd populo Conſules, Cenſores, Senatores, rerum arbitros, morum magiſtros, perſonarum tutores impoſuit? Quin etiam quomodo conuentus ipſis habendus, quomodo & quando ſoluendus, præſcripſit: & ne quando numerum iuſtum, fas, ritum migrarent, SATYRICO ſcribendi genere cauit & edixit. Multa mihi ipſi per Satyram dicenda, vt ne ſingula recenſendo & inſiſtendo ſim tardior, quàm ille faciendo fuit. Multa, ſed omnia ELECTA. Nam & ψυχῆς ἰατρεῖα BIBLIOTHECAS ſtruxit & inſtruxit: & [a] frumentationis paniſque gradilis auctor fuit. [b] Genus diſcriminauit, alijs Patricijs, alijs Plebeijs; alijs Nobilibus, alijs Nouis; nobilitatis notam vnicam eſſe volens, cerearum imaginum multitudinem, ex magiſtratu curule. [c] Seruis tunicam pænulámve circumdedit:[d] Magiſtratibus ac Veſtalibus lictores præmiſit; qui ſubmouerent, qui animad-

ADMIRANDA, ſiue DE MAGNITVDINE ROMANA lib. IV.

In lapidibus, nummis, & INSCRIPTIONIBVS VETERIBVS editus:

LEGES REGIAE, & LEGES DECEMVIRALES.

DE CONSTANTIA libri II.

DE VNA RELIGIONE aduerſus Dialogiſtã liber.

DE VESTA ET VESTALIBVS SYNTAGMA.

SATYRA MENIPPAEA.

ELECTORVM libri II.

DE BIBLIOTHECIS SYNTAGMA.

[a] Electorum li.I.cap.viij.

[b] Ibidem cap. XIX.

[c] Ibid.c.xxv.

[d] Ibidem cap. XIII.

uerti iuberent. [a] Senatum & equitem anulis ex auro, plebem ex argento, militem & ſeruum è ferro inſigniuit. [b] Ergaſtula inuenit agriculturæ cauſsâ, lapidum, piſtrini, aquæ hauriendæ. [c] Miſſilia etiam crebra, vtilia, pretioſa ſparſit, lignearum teſſerarum iactu: [d] togas albas, [e] ſellas, lecticas cum lecticarijs ſeruis donauit, & [f] lectos aduerſos ſiue Geniales nouis Nuptis. [g] Conuiuio publicitùs omnes accepit: & ad [h] delicias aquâ calidâ (quamquam naturâ & educatione ſobrius, ac luxui infenſus ipſe) largiùs inuitauit. Scio non hîc à riſu temperaturos qui oculos in capite, & iudicium in oculis dumtaxat habent, qui omnia potiùs, quàm ingenium viſendum efficiunt & putant; qui pontes, qui arcus, qui aquæductus, qui turrium alta mirantur: riſuros inquam, cùm res magnas facientium gloriam, earumdem ſcriptori me legent adſcribere. Sed rideant licet, dicam quod ſentio; Scientiam difficiliùs, quàm Capitolium adſcendi: vrbem nobiliùs intelligi, quàm condi: viliùs minoríque laude coloſſum ſtrui, pyramidem erigi (vt calceum ſarciri) quàm deſcribi. Iſta à corporibus orta, corporum modò lapſilia ſunt & labuntur, ne nominibus quidem manſuris, niſi ſi ingenij, vt ſic dicam, brachijs ſuſtineantur & fulciantur: animorum opera, vt ab immortali fonte manantia, immortalitas manet. Attollant itaque alij Mucij dextram pro libertate nidentem: Hadrianum leges ferentem: Cęſarem fuſas fugatáſque acies ſolum redintegrantem: ego LIPSI manum cælo feram, Obliuionis & Inertiæ propulſandæ amore inflammatam: memoriam atque iudicium [i] POLITICA præcepta, [k] MONITA, EXEMPLA tradendi, [l] MILITIAM ROMANAM cum [m] ſtipendiorum initijs ac progreſſu, cúmque [n] MACHINIS, TORMENTIS, TELIS, reſtituendi, ſuſpiciam. Non enim ſciolos fero, galeatos aliquot lepores, ſuper mensâ Alexandrum debellaturos; qui (cùm obſidionibus paucis, prælijs forſitan inerfuerint nullis) ſe milites, ſe tamen Tribunos appellant; non item togatos verueces, qui tertio quoque verbo Statum ſpirant, columnæ Statûs, ſi dîs placet; non fero inquam, de LIPSIO tam opinari ſiniſtrè, vt dicant

paga-

Sobrietatis cultor.

[a] Elector. lib. II. cap. VIII.
[b] Ibid. cap. XV
[c] Elector. lib. I. cap. VIII.
[d] Ibid. cap. XIII.
[e] Ibid. cap. XIX.
[f] Ibid. cap. XVII.
[g] Antiquar. lect. lib. III.
[h] Elector. lib. I. cap. IV.
[i] POLITICORVM libri VI.
[k] MONITA EXEMPLA & POLITICA.
[l] DE MILITIA ROMANA libri V.
[m] Elector. lib. I. cap. II.
[n] POLIORCETICωN, ſiue de MACHINIS, TORMENTIS, TELIS, libri V.

paganum hominem, publico ſeſe abſtinentem, non belli, non domi vllo munere functum, inſcitè igitur de *Militiâ*, déque *Politiâ* ſcripſiſſe. O Cimmerij! ô veſpertiliones! Poſt occaſum Solem, Romanâ lege, iudicare non licuit: vos etiam de occaſo vultis? Nihil LIPSI vobis vmquam fuit, nihil erit: non milleſimam eius partem capitis; & carpitis? Idem peccatum peccatis, quod improbatum itis. Sed dicite, amabò, vos qui Cenſuram ſine ſuffragio geritis, eos qui Aſtrologiam olim, hodiéque tradunt, quando à cælorum conuerſatione rediſſe putatis? quàm nuper ſuper, & cum nonâ ſphærâ trepidauêre? quamdiu Saturno, Ioui, Mercurio attubernales fuêre? Et Plinius, Naturæ quidam actuarijs, cùm formicam, cùm ceteras numquam ſibi viſas graphicè deſcriberet animantes, an ex earum proſapiâ ipſe? an ab illis in hominem tranſierat nouâ metempſychôſi? His tamen fauetur, his plauditur: hi cum admiratione, delectatione, fide leguntur. Præterea nónne L. Lucullum narrat M. Tullius, cùm eſſet Româ ad bellum Mithridaticum profectus, rei militaris omnino neſcius, tantum tamen, inter nauigandum, quà percunctandis peritioribus, quà rebus geſtis legendis, euaſiſſe in omni genere belli, vt & Aſiæ fines planè dux factus attigerit, & pòſt paullò, maximi illius regis confeſſione, omnibus, quorumcumque ſæculorum, imperatoribus anteferretur? Hęc ſi ita habent, & tam difficilem prouinciam armorúmque tractationem homini rudi Roma decreuerat, hiſtoriam lecturo; ſi tantum elogium tantus rex merito dedit, poſtquàm tantillo maris & temporis interuallo legiſſet; quid eſt, cur anguſtis oculorum finibus prudentiam terminantes, LIPSIO ipſi talium rerum vel ſcriptionem inuideamus? Cur etiam ſummum Principem & Ducem fuiſſe infitias eamus; qui non inter breuiculam nauigationem, non ſaltuatim, non perfunctoriè libellos aliquot euoluerit; ſed tot annos, tantâ curâ, tam collineanti & rectâ iudicatione ac notatione, Aſſyriorum, Medorum, Macedonum, Græcorum, Romanorum, imperiorum omnium, & temporum conſilia, dicta, facta comprehenderit? Quod ſi fecit,

Politicorũ & Militarũ idoneus ſcriptor: etſi obſtrepunt imperiti.

cit, & ſcripta eius ipsâ ſe bonitate & vtilitate liquidò probant; cur ijs neglectis, in auctorem vertimur & calumniamur, vnde ſint magis, quàm quid ſint, inquirentes? Si ceruina, ſi aprugna, ſi id genus ferina, inter accumbendum, apponitur; nemo iſtuc inclamat opinor,

Quis genus? vnde domo? qui te genuêre parentes?

Nemo inquam feræ natalem locum, quas perreptauerit cauernas, quibus errauerit ſiluis, curioſè curat: ſed ſapidam, ſed in ſuo vigore & ἀκμῇ prolatam veſcitur. Quin idem in bonis & ſapientibus ſcriptis vſu nobis venit; & auctorum ſecuri, fruimur ipſa? Adfirmauit mihi quidem certè non nemo, ſimilium iudicandi bonus, vtpote ſummus olim militiæ Belgicæ iudex, nunc Principibus Senator non poſtremus, LIPSIO ipſi doctrinæ & prudentiæ merito æſtimatus atque cultus: quid multis? vir, quem Mineruæ armatæ filium dixerim, niſi ſi multos iam illi annos, in filij modum, beneficiarius fuerim; adfirmauit inquam, vbi de *Politicis & Militiâ Lipſianis* ſermo coràm incidiſſet, nihil diuinius poſſe: non niſi illâ-ipsâ Mineruâ præeunte concepta, & dictante conſcripta. Abite igitur, exeſte procul, procul, qui alia omnia non dicam ſentitis, ſed latratis: non recipiuntur canes in hæc fana. Non ſunt iſta Tribuniciæ cognitionis. Contemnere poteſtis, iudicare non poteſtis. *Iniqui eſtis: vos eiuro: vos nolo*: atque in viam redeo LIPSI Principatus. Quem ipſum cùm noſſet probè, veluti ἀριστοκρατίαν, δημοκρατίαν, Rémque publicam omnem, præmio & pœnâ contineri: [a] CRVCEM quoque ſtatuit, & ſupplicij varium genus: præmiorum multifariam dedit, & proprio verbo [b] MVNERARIVS fuit. Sed ſanguine ludus is caruit: & nemo in eo ſine miſſione pugnauit; niſi fortè [c] DIALOGISTA DIODORVS, [d] LVCIVS, & [e] BATAVVS SANNIO vnus.

Præter hæc, quòd Latinæ vocis honorem per omnes gentes diffundi expediret, & tot populos diſcordes feróſque, ſermonis coagulo & commercio ad colloquia contrahi; ne ſeparatio illa linguarum, nationem à natione ſepararet (quandoquidem *loquendi varietas efficiat, vt externus alieno*

[a] DE CRVCE libri III.
[b] SATVRNALIVM SERMONVM libri II. & DE AMPHITHEATRO liber I.
[c] De vnâ relig. ADVERSVS DIALOGISTAM liber.
[d] DISPVNCTIO NOTARVM CODICIS MIRANDVLANI ad Cornelium Tacitum.
[e] REIECTIVNCVLA SANNIONIS CVIVSDAM BATAVI, adfin. D. Virginis Aſpricol.

I RECTA RONVN- CATIONE INGVAE IT. alieno non ſit hominis vice) DE RECTA PRONVNCIATIONE LINGVAE LATINAE libellum vulgauit, atque alterum EPISTOLICAE INSTITVTIONIS. Et ne quando ingruens Barbaries nomini Latino hominibúſque Latinis damnum daret; EPISTOLARVM Centurias decem, ſiue millenariam cohortem vnam, per omnes mundi oras diſtribuit. Non enim quemadmodum Octauianus vel Traianus, mari, fluminibus magnis vel montibus Romanum limitauit imperium: ſed Solis ac Lunæ regionibus diſtendit. neque *lateritiam*, neque *marmoream* Vrbem reliquit, ſed vero & veteri cognomento *Æternam*.

EISTOLICA ISTITVTIO. EISTOLA- EM Centu- X.

Ab humanis ad diuina verſus, SOPHIAE ipſi templum ſtruxit, atque ad illud MANVDVXIT. Templum verò? imò & PHYSIOLOGIAE cælum Archimedes Belga ſuperſtruxit; domicilium Dei, Geniorum, animorum & aſtrorum; peculiares quoque D. VIRGINI ſedes, paullò ante fatum ſuum, fabricatus. Nimirum vt Muſici pleno & rotundo ore cantaturi, cantum præludunt & pæaniſſant: ſic LIPSIVS cælo & cæleſtibus mox fruiturus, non niſi cælum & cæleſtia cogitauit & ſcripſit.

ANVDV- CIONIS AD SOICAM IILOSO- IIAM libri I. IYSIOLO- AE STOI- CRVM libri I. I VIRGO ALLENSIS. I VIRGO APRICOL- IS.

Quibus, & anteactis omnibus, egregiâ quâdam humanitate temperatis, in affectum & adſpectum ſui rapuit orbem terrarum. Inde concurſus, quaſi ad emblema Gratiarum, ad Inſulas fortunatas, ad diuinum aliquod, vt ſic dicam, monſtrum, & in modico corporis tugurio animum gigantem; in quem, vt Zeuxis in ſuam Venerem, aut Phydias in clypeum Mineruæ, Natura contuliſſet, quidquid rari vſquam & vmquam ſortita. Concurrerunt viri, feminæ, non proletarij, non capite cenſi vel minuti: ſed Capita ipſa hominum ac rerum. Illi, illi, quorum ore Fortuna pronuntiat, quos beatos, quos felicitatis extorres velit; paulliſper obliti à ſeſe omnia pendêre, Scholam ineunt, vt ab vnius ore pendeant: atque exeunt admiratione ipsâ tacitâ vociferantes, pro Hiſtoriographo Regio, Prudentiæ Legatum, pro ſuo Profeſſore, Sapientiæ Præconem audîſſe, ſalubria edicta proferentem: & de Principali ſuo munere officióque, ex tempore, ſed quæ tempus in omne (ſi memi-

Comitate & affabilitate eximius.

ISSERTA- TIVNCVLA AVD PRIN- CIPES.

memineris & vtare) proſint, DISSERENTEM. Et quid vltrà miramur datos ruſticantibus faſces, arantes à Senatu populóque ad Dictaturam accerſitos? Pontifex Max. Reges, Principes, homini Iſcano rure nato, rure, ſi bella ſinant, victuro, honores deferunt & primatus. Sed adeſte ambitioſi, videte. Honos hic candidatus eſt; quem vos per preces, fraudes, ſcelera, impetratum itis aut ereptum. candidatus eſt, & repulſam patitur, competente Patriæ Caritate. Quà factum, vt cùm, veluti de Homero ſeptem vrbes, ſic de ipſo Roma, Lutetia, Vienna, Florentia, Venetiæ, Bononia, Louanium certarent; hoc vicerit, tenuerítque. Quod OPIDVM poſteaquam à primâ vſque origine (victoriæ & habitationis pretium) ET ACADEMIAM EIVS DESCRIPSISSET; impleto quinquageſimo-octauo plus-minùs natiuitatis anno (ne poſt tot immortalia opera, mortale aliquid præſtaret) Superis redditus eſt: oculos claudente *Nicolao Oudarto*, antiſtite amicorum. Cui &, vt moriens quoque mores antiquos ſeruaret, anulum aureum, cum munuſculis ab aurei ſæculi viro Prochnicio Legato Polono, reliquit; & pro Fortunæ ſtatuâ, viuum ſuæ doctrinæ, prudentiæ, & candoris ſimulacrum. LOVANIVM, ID EST, OPIDI ET ACADEMIAE EIVS DESCRIPTIO.

Tanta autem comploratio inſecuta eſt, vt quemadmodum Philopœmene obeunte, vltimus Græcorum; ita LIPSIO, vltimus bonorum, vltimus perijſſe videretur Latinorum. Et ſanè interierat cum illo nomen vigórque litterarum, niſi ſi velut Interreges *Ioſephus Scaliger*, *Caſaubonus*, *Dion. Gothofredus*, *Marſilius*, *Velſerus*, *An. Robertus*, *Seb. Rolliardus*, *Pantinus*, *Lernutius*, *Gruterus*, *VVouerius*, *Bonciarius*; niſi ſi *Patres Societatis* IESV, ſcientiarum & virtutum quidam Atlantes; niſi ſi magna ſpes altera *Erycius Puteanus*, cum alijs paucis, occurrerent.

Inſecuta quoque prodigia: dies fœdo imbre infames: venti poſt hominum memoriam vehementiſſimi, & quales numquam flauerant viuo viro minimè gentium ventoſo. Hos ille, ceu Æolus, carcere clauſos tenuerat, rarâ doctis magníſque pediſſequâ Modeſtiâ; ſibi tam familiari támque amicâ, vt cùm Cenſorium ſiue triumphale funus

Semper modeſtus.

nus ab vniuerſo hominum, cui profuerat, genere mereretur; tacitum elegerit, & diſertis teſtamenti verbis pompam fieri vetuerit. Sed quaſi fatale foret, cuncta illi Romano ritu euenire; fuit tamen, fuit buſtuarius aliquis gladiator, qui ad famæ ipſius poſt natam Famam optimæ ſepulturam depugnaret: qui, vt Rhodij ſolent Herculi, maledictis ſacrificaret: qui inconſtantem, qui Proteum religionis, omnium & nullius, blateraret: ſtilum ac dictionis genus inceſſeret: ſcripta denique ipſius omnia laceraret: idque, vt opinio quidem eſt, quòd ea D. Virginis encomijs clauſiſſet: etſi *Franciſco Petrarchæ*, qui idem feciſſet, DIVINI nomen nemo hactenus inuidiſſet. Vulpecula hominis! viuum leonem adſpicere, non niſi vt adſpicereris, auſa, mortuo inſultas? Lupi ouile quantumcumque ingreſſi, occidione occidunt, neque vni parcunt, vt vnam vorent. Tu omnes in LIPSIO dotes perdere conaris, vt vnam ſcilicet perdas pietatem. Et quomodo è Dianæ Epheſiæ nefarius ille, ſic ex tanti nominis velut incendio & ruinâ nomen captas. Tun' religionis inſimules, quem ſemper bonum, à tui ſimilibus abîſſe, ad ſuos redîſſe, teſtificantur omnes boni? Nam ſedem, ſi neſcis, mutauerat, numquam fidem: patriâ per belli fluctum eiectus, numquam pietate. Atque vt Solis radij in terram miſſi, ibi ſunt vnde mittuntur: ita ipſe Romano cælo adhæſit, etſi veſtro cœno illuxit. Tun' inconſtantiæ ſuggilles, qui Conſtantiam profeſſus, non ad momentum, vt Decij, ſeſe deuouit: ſed iam inde à puero ſtudijs immortuus, & PUBLICO BONO? qui huic adſiduè operatus, non in lecticâ modò, vt quondam Auguſtus, ſed (Valetudine nullum commeatum dante) pænè in lecto? quem in extremo & fatali morbo, ſuprà quàm creditu fas, infeſto & excruciante, his ipſis oculis vidimus, tantâ animi corporíſque tranquillitate, tantâ moderatione, vt LIPSIO patiente, alium ibi non loquentem, non querentem, non ſuſpirantem, torqueri putaremus?

Semper pius, & cõſtans: quãuis impij ac æmuli aliud nunc ſcribunt.

Stili vernaculam & claram breuitatem, mortalium nulli anteà cognitã, nulli deinceps imitabilem, omnibus optandam,

dam, aut ſcripta eius, ſeu viri ſeu Genij, defendere, ipſorum iniuria fuerit: Oracula non egent patrono. Hoc tantùm dicam, id quod ipſe tamquam vates, etiam iuuenis, promiſerat, daturum ſe, dîs volentibus, aliquem, qui non ſolùm in litteris, ſed etiam Politicis, Hiſtoricis, Philoſophicis præſtaret, quod victâ inuidiâ admirationi eſſet, nimiſquàm ampliter perfeciſſe. Epiſtolic. Quæſt lib. IV. Epiſt. XXV.

Viuis enim etiamnunc Magne LIPSI: & quamuis (vti planetæ, quia propè ſunt) nondum maximopere ſcintillas; tamen quoad genus humanum incolume manſerit, quamdiu vſus litteris, honos ſcientiæ, prudentiæ & ſapientiæ pretium, modeſtiæ nomen erit, quamdiu rerum naturæ, quamdiu Memoriæ memoria durauerit, illuſtre & admirabile profectò vigebis ingenium: & nomen tuum indeletum atque indelebile videbit poſteritas in Actis ÆTERNITATIS.

DIXI.

APPROBATIO.

PRINCIPATVS *hic* LITTERARIVS *Manibus Ampliſs. viri* IVSTI LIPSI, *à Clariſs. Gaugerico Riuio IC. ſcriptus, (quòd priſcorum rituum Imaginem graphicè repræſentet, & viri de Repub. Litterariâ optimè meriti* LIBROS OMNES *ingenioſè ſimul & doctè complectatur) tutò, ac vtiliter prælo committetur, & diuulgabitur. Actum Antuerpiæ,* IIX. *Kal. Feb.* ∞. IↃC. VII.

Laurentius Beyerlinck S.Th. Licent.
Librorumque Cenſor.

ERY-

ERYCI PVTEANI

LIPSIOMNEMA

ANNIVERSARIVM,

SIVE

IVSTI LIPSI V. C. Laudatio Funebris, Die anniverſario habita.

AMPLISSIMO, PERILLVSTRI, ET ADMODVM REVERENDO DOMINO D. GEORGIO AVSTRIO, MAXIMILIANI I. IMP. NEPOTI, PRÆPOSITO LOVANIENSI, ET ACADEMIÆ CANCELLARIO,

Erycius Puteanus inſcribo.

PRODIT ecce LIPSIOMNEMA ANNIVERSARIVM, id eſt, Oratiuncula quam dixi, Perilluſtris & admodum Reverende DOMINE; & tuum audet nomen uſurpare, apud quem dixi. Laudes neſcio, an Lacrymæ ſint; ſed LIPSIO fuſæ, & in tuum amantis ac lugentis ſinum. Equidem laudare tantum virum ſine lacrymis non potui: & vix ſine lacrymis quiſquam laudes eius audivit. Meum

adfectum in Auditoribus repperi: tuum illi expreſsêre. An quidquam potuit ſanctiùs? LIPSIVS tuus fuit,& tu LIPSI. cur tuus ille, Oratio mea indicat: dotes amaſti quas adorno. cur tu illius, in veſtibulo hoc Orationis volo legi. Fucus & ambitio abſint; STIRPEM tuam, VIRTVTEM, ERVDITIONEM, DIGNITATEM, amavit, æſtimavit, coluit LIPSIVS: & nunc ego, nunc boni omnes, ejus exemplo. Quid ni *Stirpem*? Ævi Heröes AVSTRII ſunt,& eminere, præeſſe, imò regere nati, quidquid in orbe natum. Atque hæc Familiæ ſive laus, ſive æternitas, etiam tua; qui Familiæ nobilis ramus, *Virtute, Eruditione, Dignitate.* Vt ſtemmata deſint, & *longo* recuſes

Sanguine cenſeri, pictosq́ue oſtendere vultus
Majorum,& ſtanteis in curribus AEMILIANOS;

triplici tamen iſto radio AVSTRIVS es,& in ſacro Vrbis & Academiæ Lovanienſis ſolio inclytum avitúmque Gentis nomen tueris. Hæc igitur Dignitas, quam cùm ſolo Sanguine mereri potueris, Virtute & Eruditione maluiſti. Addo Prudentiam, & rerum uſum; addo peritiam noſtri & antiqui ævi; addo orbis, id eſt Imperii AVSTRII inſpectionem. Nam quæcumque auguſtis æterniſq́ue ſceptris tui illi regunt, tu luſtraſti: terrarum

rarum mariúmque longinqua, velut domeſtica; aliena, velut tua. Sed huc reverſus es: Belgicam, & Lovanium, vitæ & quietis ſtationem ratus; quia ſuam jam LIPSIVS elegerat. O occulta, ſed benigna Fati conſilia, imò indicia! PRINCIPES Belgica AVSTRIOS habere & videre coràm cœpit, poſtquàm te PRAEPOSITVM & CANCELLARIVM ex eadem Gente, velut minorem Principem, Vrbs iſta & Academia acceperant. Sic igitur eodem nomine, eodémque ſanguine nunc Aula ſe jactat, atque etiam Schola; niſi & Schola velut Aula ſit à ſidere quodam AVSTRIO & ſplendore. Aula; ſed quieta, compoſita, ſancta; quam Muſæ, & Elegantiæ, & erudita Simplicitas incolatu ſuo ornant. Etenim faſces & tituli hîc quoque fulgent, non ſuperbiunt. Faſces, ſed Doctrinæ; tituli, ſed à tuâ manu: & ſic clariores, quia à tuâ. Ades ipſe, & munus auctoritate Pontificiâ inſigne obis, quod vicariâ alij operâ ſolent: tanto meherclè aliis major, quanto ſe minus alii munus ſuum arbitrati. Itaque inſigniri doctrinarum ſertis Iuventus ambit, maximúmque ſtudiorum præmium putat ab AVSTRIO inſigniri. Etiam in vilibus minuta quædam æſtimantur, pretiíque pondus capiunt à donantis manu: quid ni hæc

magna, à te magno, cùm expletis ſpatijs cultores bonarum artium ſcientiarumq́ue ſcandunt Honoris limina, & Academicâ à te laureâ donantur? Liceat dicere: donaris ipſe, & toties accipere doctrinę videris pręmia, quoties confers. Sed redeo ad LIPSIVM, quem tuum fuiſſe poſtumo liberalitatis deſiderio teſtatus es. Nam quæ noſtræ, aut Academiæ partes erant, tu ſumpſiſti, promptus ponere monumentum magno illi viro & amico; quódque majorem hîc laudem habet, pænè importunus. Sed heredes ſupererant, atque domus pars altera uxor ANNA CALSTERIA inſignis matrona, quæ prima adfectu ſciri in extinctum debuit, quippe in maritum. Sciri deinde S.P.Q. Antuerpienſis, & Regina illa urbium, velut altera uxor, quę tamquàm Larem familiarem LIPSIVM coluit, ſarcophago eumdem complecti. Atque in hoc pietatis conſortium, è longinquis oris, vir heröicę virtutis ac nobilitatis PROCHNICIVS venit, iam pridem in viventem LIPSIVM liberalis, ut in mortuum quoque eſſet. Tuus tamen non ſine effectu adfectus eſt,

—— quòd diligis umbram,
Et colis exſequias.

Nam & SOLLENNIA iſta curæ tibi fuêre; & ut laudes τῦ μακαρίτυ iterùm audires publicè,

cè, inque tuo templo, Extemporalis Orationis mœſtum eloquium aures tuæ non ſpreverunt. Velut inſtaurati doloris Myſtagogus, ſparſiſti publicè lacrymas, ut ſpectares. Sed meâ tamen maximè lugentis voce motus, & laude extincti, λόγον μνηματίτην æſtimaſti quem habui: munere etiam miſſo, poſtquàm habui, tamquàm in vicem plauſus. Et cuiuſmodi munere? benigno, litterario, gratuito, & cui THESAVRVS nomen fecit. Iam ad quem? nec viſum anteà nec auditum. Equidem erubui ad tam promptæ humanitatis exemplum: cui nunc reponere LIPSIOMNEMA ipſum volui, etiam in exemplum. Scient exteri, eſſe inter Belgas qui LIPSIO, & poſt LIPSIVM bonis artibus honorem deferat: eſſe etiam, qui tali fautore bonis artibus operetur. Vive & vale Perilluſtris & admodùm Reverende Domine, & STIRPE, VIRTVTE, ERVDITIONE, DIGNITATE tuâ fruere. Lovanij, XIII. Kal. Iunias, ∞. IↃC. VII.

LECTO-

LECTORI
LOCVM SENECÆ PROPONO
EPISTOLA XI.

IAM *clauſulam epiſtola poſcit: accipe, & quidem utilem & ſalutarem, quam te affigere animo volo.* Aliquis vir bonus nobis eligendus eſt ac ſemper ante oculos habendus, ut ſic tamquam illo ſpectante vivamus, & omnia tamquam illo vidente faciamus. *Hoc, mi Lucili, Epicurus præcepit: cuſtodem nobis & pædagogum dedit: nec immeritò. Magna pars peccatorum tollitur, ſi peccaturis teſtis adſiſtat. Aliquem habeat animus, quem vereatur, cujus auctoritate etiam ſecretum ſuum ſanctius faciat. O felicem illum, qui non adſpectus tantùm, ſed etiam cogitatus emendat! O felicem, qui ſic aliquem vereri poteſt, ut ad* MEMORIAM *quoque ejus ſe componat, atque ordinet. Qui ſic aliquem vereri poteſt, citò erit verendus. Elige itaque Catonem: ſi hic videtur tibi nimis rigidus, elige remiſsioris animi virum Lælium: elige eum* (quem niſi LIPSIVM dicam?) *cujus tibi placuit, & vita, & oratio; & ipſius animum ante te ferens & vultus, illum ſemper tibi oſtende, vel cuſtodem vel exemplum. Opus eſt, inquam, aliquo, ad quem mores noſtri ſe ipſi exigant. Niſi ad regulam, prava non corriges.*

ERY-

ERYCI PVTEANI

LIPSIOMNEMA ANNIVERSARIVM, SIVE

IVSTI LIPSI V. C. *Laudatio Funebris, Die anniverſario habita.*

QVOD alibi conſuetudo, hîc pietas SOLLENNE facit, AVDITORES; luctúmque publicum ferali pompâ inſtaurat, necdum remiſſum. Etiam funus nobis æternus ille LIPSIVS eſt, magnóque vulneri continuus quoque dolor adhæret. Sed quamvis adhæreat: nova, &

Annua vota tamen, ſollenneisque ordine pompas
Exſequimur, ſtruimusque ſuis altaria donis.

O deſiderium extincti! redimus ad luctum, quem nondum poſuimus; ad lacrymas, quas nondum abſterſimus. Non hæc SOLLENNIA, ſed PERENNIA ſunt, & magnis, heu! LIPSI unius Manibus debentur. Etenim,

Ex quo relliquias divinique oſſa parentis
Condidimus terrâ,

in ſquallore fuimus, Iuſta IVSTO fecimus, laudes diximus, non more, ſed mœrore. Quaſi totius anni funus fuerit, exequias ivimus; & quem cottidie planximus, cottidie ſenſimus mori. Semel LIPSIO parentare, ſatis non fuit: nec ſemel laudare, ſatis. Primus id fecit, piiſſimo vocis obſequio, Clariſſimus ICtus & Anteceſſor GERARDVS CORSELIVS, & in hoc ipſo loco. Alii deinde, ſed alibi: hic familiam, ille vitam, iſte famam & ſcripta, diviſo veluti eloquii penſo. Totum LIPSIVM nemo potuit, nemo poterit, niſi reſurgat, faciátque ipſe qui extinctus. Laudari tamen vel ſic debuit; ut cujus encomium mortales nullâ ingenii felicitate queunt implere, ejus faciliùs exem-

plum admittant: hominem ſupra homines poſitum non detrectent imitari. Nemo quem agnoſcit parem, ſequitur: veſtigia placent, cùm ſuſpicimus. In LIPSIO verò ſumma omnia, ſummus ipſe: quem exprimere ideò omnes velint, quòd nemo poſſit. integrum nempe, & ſine æmulatione cuique exemplum, quia nemo attingit. Laudari igitur debuit, & hîc potiſſimùm, in meditullio urbis, & Divi Tutelaris æde, ubi tumulum, ſi non habet, habere meruit. Etenim mos vetus urbium Conditoribus ἀμφίπολον τάφον in meditullio dabat: ſed alter Academię velut Conditor, conſenſu Belgarum LIPSIVS audit. Item, in urbe, adeóque foro, pręter conſuetudinem, unus olim Trajanus ſepultus, quia optimus Imperatorum: cur non & hoc exemplo noſter ille, quia optimus Eruditorum? Contemſit, imò rejecit hunc honorem, quem nihilominùs invenit. Tumulum hîc quoque, quia Encomium habet; & totâ urbe ſepultus jacet, qui totâ urbe, imò toto orbe claruit. Ergo jam adeſte glorioſi Manes, vocis quoque meæ pietatem excipite, quâ inſtaurare juſſus ſum funebrem repentinæ Laudationis honorem. Sanè niſi juſſus, tam repentinus eſſe nolim. Iuſſus autem, quia rogatus; & ab eo, qui ſive auctoritatem, ſive amorem reſpiciam, jubere poterat, vir eximius & magnificus, Academiæ huius Rector IOANNES PALVDANVS. imò juſſus, quia ſic Curatoribus placuit teſtamenti Lipſiani. Apud Athenienſes olim, referente Cicerone, *nec de mortui laude, niſi in publicis ſepulturis, nec ab alio, niſi qui publicè ad eam rem conſtitutus eſſet, dici licebat*. Hanc legem dictam mihi cenſui; nefas autem, cujuſquam exemplo violare. Nam initio, fateor, Silentio, non Encomio ornare hæc ſacra animus erat, & ſciebam pietate potiùs, quàm facundiâ Manes delectari. Quia verò & Laudatione indicare adfectum juſſus ſum, rogatúſque, ne infra Iuventutem LIPSIVM haberem, promptus adſum magis, quàm paratus, uti morem geram. Vos adeſte quoque & cognoſcite, quanto difficiliùs LIPSIVS, quàm Iuventus; Virtus, quàm indoles dicatur. Ego certè ut pietatem meam probem, oratione potiùs, quàm ſilentio peccabo; & malè laudabo LIPSIVM, quàm tacebo. *Augeatur igitur* (verba Ciceronis uſurpabo) *iſto etiam honore* (honorem certè adfectus facit) *is vir,*

Lib. III. de Legibus.

Philippicâ X.

vir, cui nullus honor tribui non debitus poteſt. grati ſimus in ejus morte decorandâ, cui nullam jam aliam gratiam referre poſſumus. Dabo Lacrymas, dabo Laudes: etſi neſciam, utræ magis in proclivi. illas volo, iſtas reddo, magni doloris indices, ab animo velut fonte. Vos ſinum pandite, ſive mavultis urnulam: adfectum excipite; ſed veſtrum miſcete, qui vidiſtis, qui amaſtis LIPSIVM, & quibus ille benè voluit aut fecit. A lacrymis ordior, & præficam lugubri carmine Muſam ipſam facio, iterúmque facio, ad tibiam, ſed ſine tibiâ canentem. Ergo querulâ voce *Neniam* repetamus.

Lætam, Muſa, Lyram doloris udo
Conde murmure: Tibiámque prome
Aptam lugubribus Sacris, modisque.
Gratæ nunc PIETAS *obire mentis*
Suadet officium, FIDESQVE *ſuadet;*
Mœſtâ Voce, Stilóque. nam ſuëtas
Odit delicias Loquela; amatas
Odit delicias Tabella, & hornis
Vrgetur lacrymis. nec ſunt Loquelæ
Iſtæ deliciæ, nec ſunt Tabellæ
Iſtæ deliciæ: at Feraliorum
Atrâ imagine vulnus, atque funus
Heu! magnum, miſerum, atque luctuoſum
Hæc Tabella refert, refert Loquela.
IVSTVS LIPSIVS *occidit, virorum*
Ille Maximus Optimúſque; Muſæ,
Et Suadæ, & Sophiæ decus vetuſtæ;
Ille MORIBVS *inclytus* VETVSTIS:
Orbum lumine qui reliquit orbem,
Orbum numine qui reliquit orbem.
Lumen nam fuit ille Litterarum,
Numen & fuit ille Litterarum:
Ipſe, Muſa, Minerva, Suada, Apollo:
Heu! THALESQVE *meus, Paterque ſancto*
Doctrinæ melioris inſtituto.
Duram ô præcipitis neceſſitatem
Fati! quæ violenter æviterni

Carpit exuvias Viri Deique,
Carpit exuvias mei THALETIS.
Quis deſiderio pudor modúſve
Tam cari capitis, Viri Deique,
Tam cari capitis, mei THALETIS?
Largo proluitur dolore pectus,
Largo proluitur dolore cera;
Et ſulcos tremuli ſtili, frequentes
Preſſi ſtillæ animi replent, PIVMQVE
Laborem violant. Quid ergo? ceſſo:
Nec totum Tabula hauriet dolorem.
Vos mecum querulam mei SODALES
Vocem fundite, quotquot eſtis, omnes:
IVSTVS LIPSIVS *occidit, virorum*
Ille Maximus Optimúſque; Muſæ,
Et Suadæ, & Sophiæ decus vetuſtæ.

Sed nunc induciæ paulliſper doloris ſint, dum animum colligo, laudéſque pango, velut ex uberi meſſe pauculas ſpicas, in ſolatium, ſive etiam exemplum ævi. Nequis Hiſtoriam expectet; Orationem orſus ſum, ſed qualem infelici eloquio, obſitum ſingultibus pectus ſolet eliquare. Cur excuſem? equidem in dolore ſum; nec verè ſim, niſi & eſſe Laudatio videatur. Quem enim lugeo, laudo: & ſic parcendum laudibus, ut dolor minuatur. Ita parcendum; ſed hactenus, ut compendium ſermonis, non adfectus ſit, nulla injuria Famæ. Pleno elogio, cùm nomino LIPSIVM, laudo; & totum noſcit, quiſquis audit. Aliis magni, & amicti cedant tituli, quibus iners, nec pro famâ mens eſt; ceruſsâ & fuco vultum, fraude animum mentiantur, quibus colorem natura negavit. Sine titulo LIPSIVS magnus eſt; ſine ceruſsâ elegãs; à ſe clarus, quia perfectus, & quem ævi noſtri Socratem mortales indigitent, niſi meliorem Socrate, majorémque didiciſſent. Sed hoc, remotâ invidiâ, Poſteri magis dicent, vix credituri, caneſcentibus demùm Naturę annis, tantum Virtutis decus affulſiſſe. Altioris Genii virum, ævi quoque facient; & quem vixiſſe MORIBVS ANTIQVIS intelligent, Antiquis quoque natum temporibus putabunt. Ille verò exemplo ſuo oſtẽdit perennem Naturæ fecunditatem

&

& æternam eſſe: omni ævo naſci viros bonos, non vivere. Ad virtutem natus, virtutem coluit: vitæ finem huc direxit, & vivendo pervênit. Prima & florida ætas, cùm ingenium vernaret, Muſarum fuit; ſumma Sapientiæ: & utramque celeri greſſu Fama inſecuta. Clarus eſſe LIPSIVS cœpit, etiam cùm latere ſe cenſuit: Nomen priùs invenit, quàm quæſivit; quaſi auſpicio quodam Doctrinæ jam tum ſciri debuerit, qualis quantúſque futurus aliquando eſſet. Sed nunc fuit, & eſſe tamen numquam deſinet. Magnus, imò maximus fuit; ut eſſe apud omnem Poſteritatem pergat. Quot libros (non enim liberos) tot imagines ſui reliquit, quas nulla umquam annorum ſeries abolebit. In CRITICIS, Ingenium, Iudicium, Eruditionem admireris: In EPISTOLIS, Candorem, Modeſtiam, Humanitatem: in POLITICIS, Prudentiam: in CONSTANTIA, Sapientiam: in omnibus, ut paucis abſolvam, LIPSIVM, id eſt omnis perfectionis apicem, hominis Phœnicem, &, quemadmodum edito ſcripto Vir clariſſ. GAVGERICVS RIVIVS luculenter explicuit, REI LITTERARIAE PRINCIPEM, Virtutis Dictatorem. In ſcriptis igitur vivit, imò vivet: & qui Filios non reliquit, Poſteros tamen habebit, ingenii velut heredes & doctrinæ. Quod natura negavit, dedit induſtria. Sanguine eſſe æternus non potuit; ingenio erit. Divitias reliquit, quibus longùm fruatur Poſteritas; nec tamen ſatietur. Hiſtoriȩ deſiderium pleroſque torquebit; & noſcere tempora Majorum volent, LIPSIO ſcriptore. Sed hunc ille laborem prudentiſſimo conſilio ultimæ & maturrimæ ætati ſepoſuerat, tamquàm optimum, tamquàm decumanum. Hæc ſtili velut bellaria atque ſcitamenta Æternitati promiſerat; & niſi ſummo rerum humanarum Arbitro, &, ut ita dicam, Stratego aliter viſum, poſuiſſet. Sed quid eſt? adornavit Hiſtoriam, non exhibuit: incohauit, non abſolvit: & brevi illo ætatis curriculo ad tantæ virtutis faſtigium evectus fuit, ut ſcribi, non ſcribere, meruerit; laudari, non laudare: cùm laudis materiam dare faciliùs poterat, quàm accipere. Itaque cùm incœperit Hiſtoriam, gratiam deſtinationi debemus, quòd perſcribere voluerit; veniam ſorti, quòd non potuerit. Nam finge, retardatâ fati neceſſitate, inter mortales

diurnaſſe, annorum numerum ad dexteram veniſſe; imò & librorum: profectò non expleſſet tamen, ſed irritaſſet deſiderium bonorum; & melioris alicujus ſcripti ſtamen Parca incidiſſet; Fata fanda, imò ſcribenda abrupiſſent. Quieſcat igitur, qui vivus non quievit, & vitæ finem, etiam laborum habeat. Nos verò, ſi expleri libris non poſſimus, legamus oſſa; quódque promptiſſimum ſolatium, à ſcriptis ad auctorem ipſum mentem reflectamus. Etenim Poſteri nobis hanc felicitatem invidebunt, quòd viderimus, quòd audiverimus LIPSIVM: imò rerum Naturam accuſabunt, quòd tantum virum produxerit mortalem. Virum; quem aut omnibus ſeculis naſci oportuit, aut certè numquam denaſci. Colent igitur memoriam Poſteri; nos ſimul imaginem: niſi & nos jam Poſteri, poſtquàm præſentiâ ſuaviſſimæ vocis vultúſque orbati. Sed hæret in oculis animíſque, non tam imago, quàm LIPSIVS; & quem vidimus, quem audiimus, abiiſſe non arbitramur. Abiit verò, non dicam obiit; & ipſis quoque obtrectatoribus (ſiqui fuêre) carior clariórque, quia abiit. Quippe

Virtutem incolumem odimus,
Sublatam ex oculis quærimus invidi.

In remota & longinqua liberum adſpectum mortales mittunt, quietum adfectum. Quantus, quantus erat LIPSIVS, ſciri niſi à morte potuit. Sed ô præpoſteram humanæ mentis conditionem! non amare, cùm licet; frui velle, cùm non licet. Verè ita eſt:

Tum denique homines noſtra intelligimus bona,
Cùm quæ in poteſtate habuimus ea amiſimus.

Nos habuimus LIPSIVM, quem nunc demùm noſcimus poſtquàm habuimus. Habuimus, quem prece & pretio emere, ſuúmque facere conati, quotquot Principes; imò quotquot Academiæ in Europâ. Ille ſprevit aut neglexit: Patriam antehabuit: viuere Lovanii voluit, uti moreretur. Felix igitur iſta humus, quæ tanti viri corpus in ſinum ſuum recepit! felix, cui cineres ipſi lumen dabunt & æternitatem! LIPSIVM quidem urbs iſta non genuit; ſed tamen fecit, quia erudiit. Agnoſcit etiam ille parentem ſuam, & cùm ingenium non potuerit, in vicem, claras corporis ſui exuvias reliquit. quà hærere potuit,

potuit, noſter eſt; & in urbe hac conſpicuus, quam incoluit. Non tam ubi quis incipit vivere, quàm ubi deſinit, natus eſt: non cùm ſumit animam, ſed cùm ponit, aut potiùs reponit. Nam quem nos ultimum vitæ diem vocamus, novæ & duraturæ natalis eſt. ideóque non naſcentibus, ſed denaſcentibus (ut ego quidem reor) monumenta & ſtatuæ ponuntur: & ſapientiſſimo ritu olim Thraces hominum dies Natales luctu & ejulatu, exequias gaudio & hilaritate proſecuti. Vivendum eſt, agendum eſt, ut Patriam mereamur. Lycurgus (vt Plutarchi verbis utar) ἀνεῖλε δὲ καὶ τὰς ἐπιγραφὰς τὰς ἐπὶ τῶν μνημείων, πλὴν τῶν ἐν πολέμῳ πεσόντων, καὶ τὰ πένθη καὶ τοὺς ὀδυρμούς. *Abolevit & Inſcriptiones mortuorum, niſi ſiquis in bello cecidiſſet: item luctus & ejulationes*. O prudentiam Legiſlatoris! neſciri volebat, & inter non ciues, imò inter non natos haberi, qui pluris vitæ uſuram, quàm memoriam feciſſent; incunabula, quàm ſepulcra. Quaſi Spartani, non Natali, ſed Emortuali cenſeri debuerint; non accipere Patriam, ſed facere; ne tanti nominis dignitas, ſorti potiùs quàm Virtuti deberetur. Patriam igitur in hac urbe LIPSIVS, quia ſepulcrum habet; & magnam vitâ, maximam à vitâ Famam exorſus. Si imagine licet uti, Diogenem liberrimi oris Philoſophum, & LIPSIVM verecundiſſimi componam. illum è dolio, hunc è tumulo; & utriuſque vitam, aut vitę potiùs pretium arbitrabor. Diogenem Alexander cùm apricantem Corinthi vidiſſet, acceſſit; & regiæ liberalitatis opem jacenti obtulit, ſiquid peteret. Ille verò, *Hoc peto*, inquit, *nequid eripias. Solem redde, quem intercipis*. Reſponſum Rex admiratus, imò veneratus, purpuram tot regnis victoriiſque nobilem cum pannoſo palliolo, Regale ſceptrum cum Cynico baculo paravit. infra ſapientiam diadema habuit, pænè parem Alexandro Diogenem. Vox ejus apud Plutarchum, Εἰ μὴ Ἀλέξανδρος ἤμην, Διογένης ἂν ἤμην. *Niſi Alexander eſſem, Diogenes vellem*. Sed ad noſtrum veniamus: à Cynico ad Stoïcum, à Gręco ad Belgam, à Philoſopho ad Sapientem. An igitur & ille Alexandrum ſuum habuit? Imò PHILIPPVM, optimum maximúmque Regum, nec unius orbis Monarcham. Majorem illo MAGNO; quippe cujus votum imperio noſter ſuperavit. Adſit novus Anaxagoras, novóſque & infinitos

Inſtitutis Laconicis.

Oratione II. De fortunâ Alexandri. *Item*que, De Exſilio.

nitos conſtituat mundos: nos dedimus,aut dabimus,qui ſubjiciat ac regat. Quanti igitur LIPSIVM PHILIPPVS fecit? quanti Diogenem Alexander. Æſtimavit Virtutem viri, Doctrinam, Prudentiam; & quem ſubditum habuit, etiam Amicum voluit, *Imperiumque Lipſiano minus nomine ſe habere* confeſſus eſt. Non quidem Alexandri imitatione, Alexandri illud expreſſit, *Niſi* PHILIPPVS *eſſem*, LIPSIVS *vellem*; ſed indicauit. & alium dare PHILIPPVM poterat, LIPSIVM ne quidem promittere. tantò facilius eſt, Regni heredem, quàm ingenii naſci: ſceptrum, quàm ſtilum verſari. Imò tantò facilius, parem ſtirpi filium accipere, quàm factis ſcriptorem. Aut Electio Regem, aut Succeſſio facit; utraque bonum, ſi utraque bona. Nos verò gratulari ævo poſſumus, quòd in maximo orbis ſolio iiſdem virtutibus ſedentem Filium videmus, quibus & Patrem vidimus: quòd in Filio Patrem recepimus, bonum illum, clementem illum PHILIPPVM. LIPSIVM igitur PHILIPPVS Pater, LIPSIVM PHILIPPVS Filius amavit, æſtimavit, admiratus eſt: &, faciente inclyto illo Principe ac Heröe FONTANO, Virtutibus Victoriiſque æterno, Hiſtoriographum Pater ſuum fecit, Filius habuit: ſed habuit, & maximum unà regni ſui decus amiſit. Ille decus; nos ſolatium, nos exemplum, ſive Rempublicam, ſive Academiam intueamur. Erat enim

—— doctu', fidelis,
Suavis homo, facundu', ſuo contentu', beatus,
Sceitu', ſecunda loquens in tempore, commodu', verbum
Paucum, molta tenens anteiqua, ſepolta, vetuſta;
Quai faciunt mores veteréſque novoſque tenentem;
Moltarum veterum legum, DIvomque hominumque
Prudentem, quei molta loqueive tacereve poſſet.

Sed quid ago? dum elogium orno, dolorem exulcero. Laudibus Lacrymæ cientur, ſemel repreſſæ. Aliò igitur flectenda oratio; & hûc potiſſimùm, ut ſupereſſe videatur, qui extinctus. Vivit enim, &, abjectâ mortalitatis ſarcinâ, ad originem ſui reverſus eſt. vivit, & ſupra omnem invidiæ nubem poſitus, famâ fruitur quam meruit, felicitate quam quæſivit. Sine nocte mortales diem non habent; nempe *infimi aëris iſtæ vices ſunt*; nec

nec ſine calumniâ vitam, licet optimam: ſic variæ aut iniquæ fluctuantium judiciorum voces ſunt, & laude contemtúq; virtus viventis cingitur, velut luce & umbrâ. Immortales animæ liberum & ſine labe diem habent, cùm ſine labe emigrarunt. Novæ autem hujus æternæque lucis lætiſſimo auſpicio, cadaver induitur, etiam veteri Romanóque ritu, cùm involutum albo tegmine ſive ſindone placuit terræ mandari. *Corpus autem hoc modo veteres ornabant* (Plutarcho teſte) *quia animam non poterant, quam puram volebant illuſtremque proſequi, tamquàm, peracto difficili varioque certamine, jam dimiſſam.* Sed quantò ſatius præſumere ſibi & præſtare pietatis hoc officium, & puræ vitæ lumine animum ipſum, caligine ſeptum corporis, irradiare! Vt Magi olim, pari ferè ritu, adverſus Plutonem & tenebras lucido & illuſtri amictu ſe muniebant: ſic viri Dei cupidi, adverſus mortalitatis horrorem ſe debent, Doctrinâ & Virtute. niſi faciunt, omnis vita mors erit, oblivio omne nomen. Inter homines homo paret Virtutis præſidium, quo, cùm deſierit eſſe, nitatur: adfectet Doctrinæ præmium, quod cineres ſequatur. LIPSIVS verò tam divinâ mente, tam ſedulo conatu fuit, ut qualem vitam, talem etiam famam habuerit, dum vixit; paucorum, ſed malorum vaniſſimis offuciis tentatam quidem, non violatam. Virtute & Modeſtiâ, vicit calumniæ machinas, Plutarchus Quæſtionibus Romanis.

—— *& per obſtanteis catervas*
Explicuit ſua victor arma.

Virum divinum viventes viventem confeſſi ſunt, & hominem homines velut numen aliquod admirati. Etiã legit ſcripta de ſe elogia, imò libros, & *Poſteritati ſuæ interfuit*, vitâ mortalis, at famâ immortalis. Sed iſtâ prælibatæ æternitatis dulcedine correptus, non corruptus, ad perfecta Virtutis præmia, anhelabat. Quid multis? tranſlatus eſt, & vivere iſthîc cœpit, ubi numquam deſinet; clarere, ubi *nulla ſerenum umbra turbabit.* Oculis aut mente illuſtrem cæli imaginem uſurpate, & ſidus aliquod putate LIPSIVM, vicinum Deo, & magnis virtutum radiis coruſcum. Iſthîc eſt; hîc tamen reſplendet: & hoc jam obſcuriores hi cerei, hæ faces, quòd in tam illuſtris viri dolorem luceant. Pro cereis facibúſque Elegantiæ Lipſianæ jam poſtumæ ſunt, quibus vel feralis iſte lugentis Academiæ color

expugnetur. Imò pro cereis facibúſque ipſum cælum eſt, purum clarúmque à novo & horno iſto ſole. Radios mittit adulti caloris, ut, geſtiente velut Horâ, felicitatem ſuam mortalibus declaret; lacrymas verò noſtras, ſiquæ naſcantur, reprimat; ſiquæ manent, exſiccet. Colligit faciem ſuam ipſa rerum magna parens Natura, nubibus & imbribus nuper deformatam. Faciem inquam, ut nos animum; & ſeriò tandem vivere eum diſcamus, imò lucere, quem lugemus. Itaque abſit dolor,

Abſint inani funere neniæ,
Luctusque turpes, & querimoniæ:

Inter Beatos conſidet LIPSIVS; & qui ima deſpexit, meruit ſumma: qui Stilum & Sapientiam coluit, Divinitatem impetravit. Etenim, ſi fas ſcribendo, imò

Si fas vivendo cæleſtia ſcandere cuiquam eſt,
Huic ſoli cæli maxima porta patet.

Ita dico, ſcribendo, & vivendo. Tales enim viri Mores, quales Libri: tale exemplum, quale dogma: ut ſcripſiſſe moribus, vixiſſe libris; docuiſſe exemplo, præiviſſe dogmate ad honeſta omnia videatur. Præclarum meherclè, bonum eſſe, doctum eſſe: ſed præclariſſimum alios facere, cùm ipſe fueris. Vterque fuit LIPSIVS, & utrumque fecit: Beneficium agnoſcamus, geminóque Laudis ſerto monumentum ejus coronemus; &, quòd perenni induſtriâ ſtipaverit divinum ſapientiæ cenſum; &, quòd ſtili vocíſque libertate & liberalitate in omnem Iuventutem ſparſerit. Modeſtiam, an Pietatem vocem? hoc totam ætatem conatus eſt, ne ſolus LIPSIVS eſſet; quamvis plures eſſe Natura negaviſſit. Nimirum hanc ille ſtatuam, hanc imaginem adfectabat, ut in Auditoribus ſuis, Lectoribúſque cerneretur. Sed profectò divinus ille tanti viri animus omni imitatione major, extra ſe imaginem ſuam non invênit. Dare LIPSIVS Lipſianos potuit, Lipſios non potuit. & ſicuti uni Soli æterni luminis beneficium ſtellæ omnes debent: ita ſoli LIPSIO genus humanum rectam & inſtauratam bonæ mentis Diſciplinam. Plures nunc prodeunt micántque, accenſis velut ingenii radiis, poſtquàm unus ille occidit; qui latere tamen maluiſſent, ut unus ille luceret. Deus noluit: diem mortalibus ſubduxit, ut velut in nocte ſublucentium ingenio-
rum

rum imbecillitas notaretur. Quidquid ſit: ſiderum quoque radii à Sole ſunt: & à LIPSIO, quicumque ſive docent hodie ejus exemplo, ſive ſcribunt. Siderum, ſi non lumen, motus tamen & circumvolutio eadem eſt quæ Solis: Docentium, ſcribentiúmque labor & deſiderium idem quod LIPSI, ſi non Fama. Sic igitur laudo LIPSIVM, quem ſequor: neque ideò, quia ſequor. Inſignis virtus laudem poſcit, etiam ab ignoto; ſed Poſſeſſor virtutis laudem negligit, poſcit imitationem. Sequar Poſſeſſorem; nec dicam laudes, ſed exprimam: tametſi exprimendo dicam. Magni enim viri cujuſque conditionem perfectiſſimè celebrat, quiſquis imitatur; cùm in exemplum facta veniunt, atque etiam ſcripta. Sed Lipſiana veniunt: ideò magna, quòd difficulter exprimantur: imitanda potiſſimùm, quia magna. Ita, ita, magna ſunt, quæcumque aut fecit LIPSIVS, aut dixit; magíſque nunc erunt, deſiderio extincti: imò magna fuit Academia iſta LIPSIO, & erit (verum augurium ſit!) deſiderio extincti. Etenim, ſi annorum imago repetitur, jacentes vir optimus adventu huc ſuo artes erexit, languentes roboravit, exulantes reſtituit: ubi ſolitudo erat, frequentiam induxit. Longiſſimis itineribus, velut ad glorioſum ſeculi ſpecimen confluebat Iuventus; ad Apollinem Muſæ. non provinciæ unius, ſed orbis Academia videbatur: imò & videbitur, ſi verum & perennem adfectum induamus, LIPSIVM fuiſſe LIPSIVM oſtendamus. Non ad pulpitum dicentis ac docentis, ſed ad tumulum jacentis & quieſcentis concurſus erit. Legere LIPSIVM quiſque volet, ubi ſcripſiſſe intelliget; cogitare, ubi quandoque docuiſſe. Libare veſtigia ſuave erit; pium, præſenti adfectu tanti viri cineres venerari. *Movemur enim* (ut Attici ſententiâ utar) *neſcio quo pacto locis ipſis, in quibus eorum quos diligimus, aut admiramur, adſunt veſtigia.* Exemplum ipſius Attici videamus: *Me quidem*, inquit, *illæ ipſæ noſtræ Athenæ, non tam operibus magnificis exquiſitiſque antiquorum artibus delectant, quàm recordatione ſummorum virorum, ubi quis habitare, ubi ſedere, ubi diſputare ſit ſolitus, ſtudioſeque eorum ſepulcra contemplor.* Fiet in LIPSIO, quem tanti ferè eſt, conditum Lovanii, quanti docuiſſe. Non tumulum, ſed Pharum lucentem cenſeo; & hoc ſplendore ad tranquillitatem bonarum artium

Cicero lib. II. De Legibus.

Iuventutem undequaque convocandam. Quid, quòd ipſe monumentum ſcripſit? & in ipſo ſepulchro loqui voluit, ut etiam extinctus doceret? Audite vocem, quam legiſtis: vocem, quam exteri omnes poſterique legent, velut à Sapientiâ ipsâ profectam. verbis tumulum transferam, & legere epitaphium pietas mea audebit, ubi incîſum non eſt; colere monumentum, ubi poſitum non eſt: ut incîſum, ut poſitum hîc quoque videatur. Verſiculi pauci, ſed de LIPSIO, & LIPSI ipſius ſunt. Qui viventis aliquando vocem audiſtis, extincti nunc quoque audite.

QVIS HIC SEPVLTVS, QVAERIS? IPSE EDISSERAM.
NVPER LOCVTVS ET STILO ET LINGVA FVI;
NVNC ALTERO LICEBIT. EGO SVM LIPSIVS:
CVI LITTERAE DANT NOMEN, ET TVVS FAVOR.
SED NOMEN. IPSE ABIVI. ABIBIT HOC QVOQVE:
ET NIHIL HIC ORBIS, QVOD PERENNET, POSSIDET.
VIS ALTIORE VOCE ME TECVM LOQVI?
HVMANA CVNCTA FVMVS, VMBRA, VANITAS,
ET SCAENAE IMAGO, ET VERBO VT ABSOLVAM, NIHIL.

EXTREMVM HOC TE ALLOQVOR:
AETERNVM VT GAVDEAM, TV APPRECARE.

Apprecemur AVDITORES; etſi gaudeat: apprecemur, & annuo voto, non acerbum deinceps luctum, ſed

—— *cuncti lætum celebremus honorem.*

Lætum dico; tametſi in leto: quia verè lætari à leto ipſe cœpit, & ἀποθέωσει ſuâ frui. Vos autem ejus quondam amici aut cultores, non jam lacrymas, ſed flores ſparſum ite quos amavit. Tumulum LIPSI, hortulum videri, fas eſt: & inter odorum ſuavitates frigida illa Muſarum oſſa cubare. Sic vale, vale, vale LIPSI: nos te Naturæ ductu, cùm Deus evocaverit, cuncti ſequemur.

PLANXI.

ASSER-

ASSERTIO
LIPSIANI DONARI
ADVERSVS
GELASTORVM SVGGILLATIONES

à IOANNE WOVERIO Antverpienſi
ſcripta.

MENANDER.

Οὐ δεῖ διαβολῆς καταφρονεῖν, οὐδ' ἂν σφόδρ' ᾖ
Ψευδής· ἐπίσταντ' αὐξάνειν αὐτὴν τινες,
Δι' οὓς φυλάττεσθαι τὰ τοιαῦτ' ὀρθῶς ἔχει.

Calumniam ne ſperne, vel falſiſſimam:
Nonnulli enim artem illius augendæ tenent,
Quos propter illam ſi caues, recte facis.

REV^MO ET AMPLISS^MO
DOMINO
D. IOANNI MIRAEO
ANTVERPIENSIVM
ANTISTITI DIGNISSIMO.

REVER^ME PRAESVL, Cuncti laboribus ingeniiſque ſuis Patronos requirunt & inſcribunt. pars ambitione percita, non aliter paginarum ſuarum titulos onerant, quàm lucentia pauonum colla natura ornauit. ſimpliciter alij famulantur, & obſequium ſe deferre nudâ teſtatione profitentur. Ego ſanè ab illis tam alienus ſum, quàm cum iſtis non obnoxius. Nam Religionis ſi communem cauſſam ad ſacrorum noſtrorum Præſidem defero, in tuo REV^ME foro te iudicem appello; & ſic officij munus ſine ambitu nuncupo. At ſi LIPSI innocentiam, bono periculo ab inimicis tentatam, aſſero, non vicario iam aut cellâ laxiore contentus, ſellam potiùs & curule ebur (præfiſcinè loquor) pro

pro argumenti dignitate efflagito. Ah! eò namque ventum eſt; appetitur *contumeliæ amor, & iam ſumma flagitiorum voluptas eſt, inquinare honeſta*. LIPSIVM nuper in tantum VIRTVS & SAPIENTIA ſupra ſæculi huius mores eduxerant, vt non tam applaudentis amicitiæ votis, quàm confeſſione victæ æmulationis, ſuperiorum temporum priſcis Heroibus adſcriberetur. Imò ſecurè etiam hanc famam apud malos habuit, quoad diuina non tractauit. ſed vbi adlubeſcens veritas, & piæ narrationis amor, ſtilum in ſe traxit: ecce inimicitiæ, ſed impiiſſimorum; obtrectationes, ſed perditorum, tamquam procelloſi aëris tempeſtates, in IVSTVM detonuerunt. Viuus ipſe vidit partim & præuidit hos nimbos. Anne dolenter, & vti nocitura ſolemus? Contrà ſanè. nam ante ſupremum illum & decretorium, ſex tantùm diebus, cùm ex magnâ Britanniâ allatrantem hybridam audiuiſſet; HAEC EGO PRO VENTO HABEO, reſpondit. Aliter non debuit, nec potuit quidem, imperturbati animi tranquillitas, & ille SAPIENTIS talis ſtatus, qualis Mundi ſupra Lunam eſt. Igitur quid ingemiſcimus, quid indignamur? & quem malignitati magnitudo decretorum, quem paucorum iniurijs bonorum fauor, orbíſque terra-

rarum gratulatio eripuit, ánne vindicare vſquam, aut aſſerere poſſimus? Non Virtuti, non Famæ, fateor. Sed pro Honeſti quoque intertrimento generoſus ſuſpirat animus, & inlatam integritati noxam, ſuam arbitratur. Quin etiam in LIPSIVM omnis aduerſantium acerbitas, totíque laceſſentis inuidiæ ictus, vobis REV^MI imputantur. veſtris enim auſpiciis, ductúque ſacrorum Imperatorum, in Eccleſiæ caſtris militare palàm cœperat. Itaque vulnera pro inimicorum voto ſi accepiſſet, tunc cum Philippi Regis milite, non opes, ſed opem meritò ſanè exigeret. Ille cùm frigidè audiretur, tardè acciperet; veſtem poſuit, & aduerſi corporis cicatrices ingrato Imperatori cum exprobratione obiecit. præmium ſic rettulit: an quia meruerat? imò quia æquè fortiter, atque pugnare ſolitus, petierat. Abeſt à vobis PATRIBVS, hæc patris ægra liberalitas; magíſque obuia, expoſitáque Alexandri filij humanitas elucet. quâ, vti geſtarum rerum magnitudine, patre prior. Nam cùm militem ætate ægrum, de viâ feſſum & rigentem vidiſſet; properè deſcendit, iacentem ſubleuauit, ſolio ſuo fouit. Idem hoc velle, beniuolentia veſtra eſt; poſſe, auctoritas. Mei interim inſtituti erit, leuiter &

in anteceſſum, veritatem in LIPSIO defendere aduerſus *nouitiolam* infeliciſſimi æui noſtri *paraturam.* Deus

R^{ME} tuam Præſidentiam Eccleſiæ noſtræ, præſentiam vrbi, diu ſoſpitet. ita corde & animo voueo,

R^{MAE} D. V.

addictiſſimus Cliens

Ioannes VVouerius Antuerpienſis.

LIPSIANI DONARI

ASSERTIO.

OMNIS ætas vidit,omnis affirmauit, nullam lucem ſine vmbrâ eſſe,nullam magnam gloriam ſine obtrectatoribus. Quinimò vetus hoc adeò verum,*nullum ſine amatore vitium eſſe*, vt hodie virtus nuſquam ſine aduerſario conſiſtat. O felicem LIPSIVM! tot calumniantium turbis,tam profundis inuidiæ tenebris ereptum; ſereno conditum, vnde tranquillè iam deſpicere hæc humana poteſt, quæ nec viuus vmquam ſuſpexit. Sed in hunc, à quo nemo læſus,niſi qui virtutibus offenditur, iam conuitia quoque ſtultiſſimis intexta poëmatis,& impiiſſima epigrammatia volant? Hem! (quis niſi cum riſu indignetur?) poſt decumanas atrociſſimarum calumniarum tempeſtates, iam vrbicis poëtis, non deeſſe argumentum pelliceæ veſtis? Talem enim moriens LIPSIVS ad aram VIRGINIS-MATRIS deferri iuſſit,venerationis ſuę donarium,pietatis monumentum. Verùm benè eſt,maliuolentiæ pariter & impietatis ingenium, hoc ſolum in quod arietaret factum,eruere potuiſſe. Satis gloriæ,etiam ab inimicis,immortali viro acceſſit,cùm niſi leuiſſimis carminibus conuitiari pietati poſſunt, quæ niſi peſſimis ſemper odio fuit. Sanè ego omnibus perfectiſſimæ amicitiæ numeris adhuc viuo coniunctiſſimus, in primis indolerem, optimi & innocentiſſimi famam ſic impiè lacerari,niſi eam ſolidam eſſe,in ſe teretem atque rotundam,

Externi nequid valeat per læue morari,

omnium optimorum conſenſu didiciſſem: niſi latrantibus hiſce dentes,laniantibus vngues, ignauiſſimis denique vires deeſſe, tam in procliui mihi eſſet palàm facere, quàm imber cùm pluit. Agite, & horum pauca deliria mecum recenſete, ita me Dius Fidius, putida, & quæ à probis tam citò reprobentur,

quàm volpes pirum comeſt. Igitur breuiter: nec per totum errantis inſaniæ campum vagabor: at vbi vires ſuas iniquitas conduxit, & toto vti arbitratur acumine pugnat, ibi manus conſeram, & non magno veritatis molimine, mendaciorum affanias proſternam. Sed ipſum nunc è maſtigijs alterum audite. Feſtino. *Odioſa eſt Circenſibus pompa.*

Vidit homo frigere ſua miracula Diua.]

Imò vel maximè feruere hoc indicium eſt, quòd nimiò vos vrant. Contrà quidquid diſſimuletis, iam populatim conuenitis ad excidium (vti veſtri teſtantur) exitiabilis incendij. Sanè è Batauiâ nuper, Germaniâ, Britanniâ quoque, tandem vltimus iſte nefariorum, è Galliâ poëtaſter, non aliter conclamarunt, quàm ſi Palatino Cælióque montibus cœptus ignis, materiâ & vento validus, non vrbi, ſed orbi interitum minaretur. Hinc ecce Sparteoli currunt, concurrunt exterriti vigiles, Sannio Batauus, Idolomaſtix impius, Veritatis diriſſimus & mendaciſſimus Vindex;

Ambubaiarum collegia, pharmacopolæ,
Mendici, mimi, balatrones.

Solus Poëta deerat, ſed qualis ego vel Cluuienus. Quid narrant Alaſtores? LIPSI ſuperſtitionem, Idololatriam, Deæ ligneæ cultum, Tunicam pelliceam;

Nugas theatri quæ pueri ſciunt.

Quid pueri? nemo Catholicorum tam infans eſt, qui non veritatem tam nugalibus oppoſitam, cum lacte biberit nutricis. Nec magni etiam & graues viri deſunt, qui enucleatiſſimis ſcriptis, nouatorum horum odia omnia, totáſque iugulauerunt falſimonias. Ego aliquid vt retexam? non faciam. monentem ſalubriter *medicum audio. Οὕτως ἄρα δυσαπόδρεπτόν τι κακόν ἐστι ἡ περὶ τὰς αἱρέσεις φιλοτιμία, καὶ δυσέκνιπτον ἐν τοῖς μάλιστα, καὶ ψώρας ἁπάσης δυσιατώτερον. *Adeò contentio hæc circa ſectas malum eſt quod nec auertas facilè, nec eluas, idque omni ſcabie inſanabilius.* LIPSI donarium, & calumnia illud diffamans, mihi argumentum. Itaque illius tantùm ſinceriſſimam pietatem aſſero, huius verò inſidioſam ſiniſteritatem deinceps auerto.

*Galen. lib. de Sectis.

IVSTVS

IVSTVS LIPSIVS, DIVAE VIRGINIS HALLENSIS BENEFICIA ET MIRACVLA; item DIVAE SICHEMIENSIS SIVE ASPRICOLLIS NOVA BENEFICIA ET ADMIRANDA, æternùm duraturis litterarum monumentis poſteritati ſacrauit. Hoc factum aduerſarij dolent; ex amicis (prudentiæ vti volunt reſpectu) quidam culpant. Illi impietatis arguunt, hi exerrationis. Primorum cauſſa (heu nota nimis & publico Europæ interitu, deteſtata bonis omnibus!) diſcedens in religione opinio eſt, & pertinaciſſima nouellæ huius ætatis Κενοτομία. Inſolens, me hercules, malum! nam etiam Deo & æuo prȩeunte quæ de ſuperis didicimus, dediſcere nos, non è cælo lapſi, ſed nuper terrâ orti homines volunt. & niſi ſtatim; ecce conuitia, diſcidia, odia, bellum. ſtáne? Non *Veritatis regula quæ venit à* CHRISTO, *transmiſſa per comites eius*, non vetuſtatis conſenſus, & ad nos vſque deſcenſus; *non Prophetæ, Prȩdicatores, Patres, à primordio in ſæculum miſſi, ſpiritu diuino inundati,* nec tandem miraculorum (quæ prima Chriſtianam fidem induxerunt, & in omne æuum produxerunt) iugis veritas & oculata teſtimonia, horum contra nouatorum inſaniam, inſolentiamque, ſtare audebunt? Iterùm tamen multa horum, vnâ & facili falſitatis ſententiâ abſoluunt. Ita vt illud nunc maximè dictum valere putes, *Nullam cauſſam ita euidentem deferri poſſe in forum, cui nulla ne mendacij quidem velamenta contingant.* Quid verò contrà ſentiant, quid iterùm diſſentiant, paſſiuæ opinionum nubes, nebulæ, fumi ſatis diffundunt. alioquin nihil horum etiam tam citò naſcitur, aut ſubitò perit, quàm inſanientium iſtorum ſententiæ. Soli olim chamæleonti datum de corio ſuo ludere, nunc iſtis quoque de fide. At miracula veſtra, inquiunt,

Tertull. Apolog.

Quintil. Declam.

Gerræ germanæ, atque ædepol lyræ, lyræ.

Proh pudor! probus quiſpiam, ne dicam ſanus, diem dixerit, diem non eſſe? Ego ſanè credo iſtos (ſi pernegant) non veteri tantùm memoriæ, verùm ſenſibus quoque ſuis indixiſſe, fidem non habere. *Cæcitatis* (doctiſſimus Afer ſcripſit) *duæ ſpecies facilè concurrunt, vt qui non vident quæ ſunt, videre videantur quæ non ſunt.* Sic aduerſarij dum ne quidem ſuis oculis mira-

cula credunt, quid mirum ſi idololatrias in nos, dearum lignearum adorationes, aliáque febricitantium deliria deblaterent? Verùm nunc altiùs paullulùm ſentinæ huius originem perſequamur. Olim & ſemper hæreſium ſollennis nota,& deflectentis à fidelium cœtu erroris quaſi teſſera fuit, DEIPARAE-MATRIS odium. Nec miretur quiſpiam. improbè faciunt, ſed non improuidè. Nam vt qui arborem euertere volunt, nō ramos eius minutatim amputant, ſed truncum ipſum aggrediuntur & exſcindunt; ſic iſti quibus Religionem & Eccleſiam perdere conſilium eſt, hanc, à CHRISTO radice & primo trunco ſecundarium fulcrum, agitare & exſcindere ſemper conantur. Hinc priſcis ſtatim primiſque fidei temporibus, virginitatem aliquis detrahit, alius ipſam prolem; & repperiſſe eam, non peperiſſe, tartareâ voce euaporat: tertius, non peccatum, ſed peccata affingit. Denique, vt noſtri ſæculi quaſi ſenior impietas, longè prçteritos illos ſuperaret furores; ecce nuper in Germaniâ monſtrum, hanc *Sole amictam*,& in quâ *macula non fuit*, infra vxorem ſuam abijcere, aut, vt veriùs dicam, familiare ſuum ſcortum, non veretur. Heu ſcelera, heu impietas! quæ nos tamen mente & adfectu execremur potiùs, quàm acri ſermone refutemus. Nam quid opus? Sicut is qui ſolem tenebroſum dixerit, nihil lucis illi detrahit, ſed inſaniç opinionem ſibi adijcit; ſic pariter iſtæ nigræ noctis & profundo Erebi emergentes aues, ſplendorem huius Matris non minuunt, tantùm animi ſui diritatem, mentis cæcitatem reuelant. Pura eſt enim VIRGO-MATER, ſpeculum ſine labe, lilium inter ſpinas, hortus concluſus, lucerna luminis inextincti. Et nónne talem eſſe oportuit, in quâ clauderetur, de quâ egrederetur puritas & ſplendor ille æternus? At ponamus iſtos vel liberè & de pectoris ſuperfluente nequitiâ ad inſanum modum omnia eructare, quid prætereà adferent, niſi CHRISTI IESV gloriam MARIAE cultu & honore inhonorari? Síccine? & cùm Dominus glorificetur in Sanctis; MATRIS-DEI exaltationem, prçdicationem, inuocationem, Idololatriæ exſecrabili crimine defœdabitis? Nam de ſtatuis ſi id nobis adfingitis, ô impudentem, poſt tam claras certáſque Catholicorum reſcriptiones, proteruiam! Denique etiam conteſtari iuuat *inſugillationem*,

tionem, & originem, & traditionem, & ſententiarum argumenta, per quæ recognoſci poſſit, Eccleſiam in cultu MATRIS-DEI, imaginum veneratione, miraculorum fide, nihil nunc aut nouum aut portentoſum ſuſcepiſſe. Denique à conſtitutâ religione, ſummos viros præcipuâ hæc ſemper dignatione habuiſſe, euidentiſſima veritas euincet. CONSTANTINVS Magnus Imp. ſub quo caput primùm extulit libera pietas Chriſtianorum, huic ſe DIVAE deuouit; nec ſe tantùm, ſed nouam etiam ſuam Romam Conſtantinopolim, in quâ templum fabrè & ſplendidè exſtructum (nec id ſine miraculo) MARIAE conſecrauit. *Joannes Comnenus* ibidem Imp. partâ ingenti victoriâ de Perſis, & hanc & alias MARIAE acceptas retulit: & piâ quadam demiſſione, imaginem eius in curru triumphali impoſitam ipſe pedes anteceſſit. Plura in Græciâ exempla ſunt: quid apud noſtros? *Henricus* II. Imp. Bauarus eximius fuit in DIVAE huius cultu, cui templa paſſim & aras exſtruxit. Idémque *Dagobertus* & *Carolus Magnus*, Galliæ Reges. Principes viros enumeraui: dabo & doctrinâ claros? Prodi tu *Joannes Damaſcene*, & ſcriptis nobilem dextram tuam oſtende: abciſam à Tyranno, precibus Patronę Virginis recepiſti. Tu Beate THOMA *Aquinas*, decus vtriuſque Sapientiæ, diuinæ & humanæ, qui perpetuam Caſtitatem ſine libidinis vllo ſenſu, acceptam profitebaris à MARIA. Tu *Ruperte Tuitienſis*, qui anteà bardus, ſtupidus, in lumen & gloriam Germaniæ ſurrexiſti, alleuante hac DIVA. Nunc obſtrepite hîc omnes Hæreſes, frendite, fremite, qui verè hanc humani generis matrem velut ſcopum deſtinatis linguarum procacium ſagittis. At nobis, ô te beatam, & verè eximiam ſuper omnes Sanctos mulierem, ſtat fortiter laudare, piè colere. Tibi enim, ô cæli, terræ, maris Reginæ, Patriarcharum dignitas faſces ſubmittit; tibi Prophetarum diuinitas, Apoſtolorum auctoritas, Martyrum laurea, Virginum candor, ipſe Angelorum ſplendor contigit. & omnium cæleſtium chorus proximam à creatore, te creatoris ſui matrem laudando celebrat, concelebrando exclamat: *O verè benedicta Virgo, quæ & virginitatis poſſidet decus, matris & pertulit dignitatem. Verè benedicta, quæ & ſuperni conceptus meruit gratiam, & ſuſtulit integritatis coronam. Verè benedicta, quæ & diuini*

Tertull. de Teſt. animæ.

Petrus Chryſologus, Sermone cxliii. ſcripſit ante mille & centum annos.

diuini germinis ſuſcepit gloriam, & Regina totius extitit caſtitatis. Verè benedicta, quæ fuit maior cælo, fortior terrâ, orbe latior: nam Deum, quem mundus non capit, ſola cepit. Portauit eum, qui portat orbem: genuit genitorem ſuum, nutriuit omnium viuentium nutritorem. Sic cæli quoque ſerena templa, & in iſtis æternæ beatitudinis conſortes animas, CHRISTI-MATRIS perennia decantare præconia, antiqua ſenſit Eccleſię veritas, & nullis erroribus permixta maiorum pietas. Futiliter ſic obgannit nebulo quiſpiam, & illi à prioribus decepti, vt ab iſtis nunc vos, qui vt pecora ſequimini antecedentium greges: O quicumque ante nos nihili homines, quàm altis ſopiti ſepultíque erroribus, quàm non iſtâ fidei luce effulſerunt! Nos verò Dei ſpiritus animauit, nos ſingulari veritatis viâ fides ducit. En omnis hæreſis certiſſimum germen, mendax præſumptio. Ego ſanè, niſi Religionis robur ſatis hoc nouitatis odium confirmaret, mallem cum priſcis & pijs errare, quàm tantæ vanitatis inter Thraſones verum videre. Sed ne extra orbitam. Olim, vt dixi, cultus MATRIS-DEI Eccleſiæ placuit, quia Prophetis celebratus: *Adſtitit Regina à dextris tuis, in veſtitu deaurato, circumdata varietate.* Quia Apoſtolicis etiam Euangelicíſque intextus viſibus: *Et ſignum magnum apparuit in cælo, mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona ſtellarum duodecim*. Tandem etiam quia cæleſtibus decantatus vocibus: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit è deſerto, delicijs affluens, pulchra vt luna, electa vt ſol, terribilis vt caſtrorum acies ordinata?* Sunt & aliæ innumeræ, indubięque ſacrarum paginarum auctoritates. Contra has tamen vnus & alter vinoſus, furioſus, nec probris etiam ſæculi ſatis notatus, perſtrepit: His adhærete, vetera ſpernite; hoc eſt, cælum deſerite, ad ima tartara properate. Deſino cum impijs; venio ad amicos, amiciter pro amici famâ ſollicitos, & hanc Diuarum ſcriptionem, διὸς ἐνύπνιον habentes. Hiſce priuatim, publicéque (quod res eſt) reſcripſit, hiſtorico filo ſe ſcripta iſta texuiſſe. Iterùm tamen non probant hoc argumentum in Philoſopho. Sed quæſo ſeriò, & extra iocũ aut bilem. Quid magis pro philoſopho, vel veterum philoſophorum ſenſu, quàm illa quæ ſunt aſſerendæ diui nitati? Platonicos & Stoïcos audite: nónne à prodigijs & miraculis numen & eius potentiam

tiam validiſſimis tamquam argumentis adſtruxerunt? Hiſtorias legite omnis æui, ſacras & prophanas; nónne miranda facta, & quæ potentiam humanam excedunt, DEO tribuunt, & Geniorum miniſteriis adſignant? ergo de euentuum cauſſis philoſophus diſputet, nā de ipſis non poteſt, & quomodocumque ad altiorem potentiam & totius naturæ caput Deum ibit. Atqui de Geniis, & nos ad beneficos & ſalutares noſtros ducimus, fidei ſacramentis nihil refragantibus. Denique hac vnâ miraculorum re diuinitatem adſtrui, Chriſtianitatem corroborari, arbitramur; & frena iniici impietati & ἀσεβείᾳ. Verùm nec ſic philologum ea decent? De philologo omitto. pro philoſopho ritè & ſcitè Synesius reſpondet, τὴν εὐσέβειαν οὐκ ἀπόβασιν εἶναι φιλοσοφίας, ἀλλ' ἐπανάβασιν. *Pietatem non eſſe deſcenſum à Philoſophiâ, ſed ad eam aſcenſum.* & ita eſt, ſi veram quærimus: ſi non diſputare, quod hodie obtinet, & inſtar hirundinum in ſcholis ſtrepere; ſed ſentire & viuere ex philoſophiâ volumus, & ſalutaribus eius monitis adſtringi. faciamus. Ego redeo ad noſtrum verſificatorem, ſic mugientem quaſi cùm ouiculam lupus vorat. Quid mirum? carmen eius in fine laborat.

Craſſáque pro calido ſtragula thure dedit.]

Cùm frigerent, inquit, miracula, thus calidum ſubduxit, & ſubſtituit craſſa ſtragula. conuenientia ſanè. Accipe rei geſtæ narrationem impie. Iam LIPSIVS, mortalitatis lineæ vicinus, optimam pellibus ſuffultam tunicam, profeſſionis ſuæ & muneris adminiſtram, gradus etiam & dignitatis quaſi trabeam, Diuæ Virginis ad aram deferri voluit, & offerri vſibus aut neceſſitatibus ſacris. Quid ringeris? nouum ne aut inuſitatum anteà præſtitit, & quod à LIPSIO exemplum capiat? Priſcus ſanè in Eccleſiâ mos, & à maioribus noſtris nimiò vſitatus; Donaria à viuis, morituris, denique & mortuis, in templa mitti, recipi, reponi. Sed ne ab vno paxillo calumniæ tuæ pendeat cribrum: accipe alterum, alterumque LIPSIANI TESTAMENTI ipſiſſimis verbis.

Pateram duplicem inauratam, Conſtantiam dictam, do, lego templo Patrum Societatis. pro me orent.

Item libri ſcripti veteres, in membranâ aut chartâ, item libri

Græci omnes cuſi aut ſcripti, Collegi Societatis IESV *hic ſunto.*

Nec Franciſcani, Cappucini, Sodalitas B. Virginis, aliique Religioſi, decedentis liberalitate præteriti fuêre. Iam ſcio inſurgis. vtque ſolet aridis pinguidiſque auctus ignis, vel ſumma tecta lambere, & altiſſimis exitium minitari; ita tuus nunc furor igneſcit magis, magiſque flammeſcit. Sed ſuſtine quæſo. *Cantharum accipe, ignem extingue; ſi cor vrit, caput ne ardeſcat.* Olim dixi, *cùm ſacræ, religioſæ, caſtæq; fuerunt res omnes*, pluria ſacris collata ſemper munera fuiſſe. Teſtes requiris? in manibus, vſibus, oculis ſunt. Aſpice hæc vndique laterum in cælum ſurgentia, turrium, templorum, aliaque piorum culmina faſtigiorum. nihil nunc tam auguſtum, quod ab origine ſui non fuerit pietatis donum. Ingredere: ornata quæ vides marmore, auro, ebore; quæ inſtructa tabulis, aulæis, veſtibus, quæque omni cultus genere rutilare admiraris; hæc ſingulorum liberalitas eſt: & viuus dedit, aut moriens legauit. Quid ſubſannas? & verſo pollice totam hanc quaſi gladiatoriam manum iugulas? Hem contrà erit: nam ego tibi, velis nolis, rudem extorquebo, & vel vnâ antiquitatis aſſertione, te ad tui miſerationem, Deo fauente, ducam. Nec externæ fidei ad redarguendum opportunitatem dabo, vernacula te tuoſque veritas conficiet: nec è plebe aliquem quem pedibus trahas, ſed primario fulgore ſublimem: nec ſtudiis vacuum, non quòd (vt ille ait) *Litteratura omnium virtutum maxima* ſit, ſed vt contra te ſtare ſcias, cui viuo hoc famigerabile laudum præconium contigit: *Non extat ad præſens viui hominis oratio, quam peritia tua non ſine labore tranſgredi queat ac ſuperuadere. Eſt enim tibi opportunitas in exemplis, fides in teſtimoniis, proprietas in epithetis, vrbanitas in figuris, virtus in argumentis, pondus in ſenſibus, flumen in verbis, fulmen in clauſulis.* Quid reſpicis, & quaſi de LIPSIO dicta putas? REMIGIVS is fuit eximiæ eruditionis, inclytæ virtutis, ſanctitatis maximæ Epiſcopus Remenſis. Ille eſt, (ô grata agnoſce Gallia!) cui Chriſti fidem, Reges tui religioſiſſimi, & longo ſucceſſionis ordine prefulgentes, poſt DEVM, debent; à quo per ſpatia ampla regni, tot annis illibatum religionis lumen fulgere cœpit. Is, inquam, morti per ætatem & incerta humanarum vicinus, ſupremis tabulis ſic poſtumę voluntatis

Sidonius Epiſt. lib. IX. epiſt. VII.

luntatis

luntatis ſuæ ordinationem inſcripſit. Lege;ſed hac lege,ne grauiſſimorum* tractatorum aduerſus fidem,ne Remenſis Eccleſiæ tutiſſima contra archiua,veritati obſtrepas. *Ego Remigius, Epiſcopus ciuitatis Remorum, ſacerdotij compos, teſtamentum meum condidi iure prætorio, atque id codicillorum vice valere præcepi, ſi iuris aliquid videbitur defuiſſe. Quandoque ego Remigius Epiſcopus de hac luce tranſiero, tu mihi heres eſto Sancta & venerabilis Eccleſia Catholica vrbis Remorum.* Prodi nunc tenebrio,quiſquis es; & in hanc lucem claram certamque, vel cæcutientes tuos erige oculos. Remigius totum ſemel patrimonium, omnium poſt ſæculorum ſummâ cum laude, Eccleſiæ ſuæ dedit; vnicam LIPSIVM tunicam, aliaque pro fortunæ viriculis munuſcula in Eccleſiam pariter conferre,ſcelus erit? Sed ſi tanta tibi innata vecordia, vt fas omne nefasque tibi luſus ſit,vt pelliceæ togæ tenuitatem canino pergas ſuſpendere rictu; vel in agnitionem veritatis te euangelica illa lux oculet, quæ ſtipem erogantis pauperculæ, pretioſis magnorum donariorum cumulis præpoſuit. Nec à Remigio tamen recedo, cuius vnum ſanè è multis & religioſis legatis, fideliter deſcribo. *Vas argenteum triginta, & aliud decem & octo librarum, inter te heres mea & Diœceſim Eccleſiam Laudunenſem, factis patinis atque calicibus ad miniſterium ſacroſanctum, prout volui, Deo annuente diſtribui. Aliud argenteum vas decem librarum, quod mihi ſæpè nominatus Dominus, illuſtriſque memoriæ HLudouicus Rex, quem (vt prædixi) de ſacro baptiſmatis fonte ſuſcepi, donare dignatus eſt, vt de eo facerem quod ipſe voluiſſem, tibi heredi meæ Eccleſiæ ſuprà nominatæ, iubeo thuribulum, & imaginatum calicem fabricari; & epigrammata, quæ Lauduni in argenteo ipſe dictaui, in hoc quoque conſcribi volo. Quod faciam per me, ſi habuero ſpatium vitæ.* En Donarium, Thuribulum, Epigramma in calice. Tu contrà epigrammate donaria eludis; thuri,craſſo ſtraguli acumine illudis. Sed quin illud quoque legis, vt pudorem habeas,vt tuum impietatis furorem, Remenſis Remigij ſanctitatis feruorem agnoſcas.

Hauriat hinc populus vitam de ſanguine ſacro,
Iniecto æternus quem fudit vulnere Chriſtus.
Remigius reddit Domino ſua vota Sacerdos.

Vtinam tibi bonam mentem! quam vel perfunctoriè hîc te

*Hincmari, Floardi, aliorumque.

Nota æmule naſcentis in Gallijs Eccleſiæ ſtatim opes.

Floard. hiſtor. Remenſ. Eccleſiæ.

habere vellem, & conferre materiam, ſententiam, & vtriuſque poëmatis ingenium inſtinctumque. Non ita loliginis ſuccus lacti diſtat, quàm hirriens tua & ſpernax contumelia mulcedini ſanctiſſimi Vatis. Tuum furiali tumore exuberans, tamquam peſtilenti ſidere lectorem afficit; iſtud pietatis vberibus manans diſtentis, religionis melle, & zeli ſeſamo ſparſum, blanditim auribus animiſque illabitur. Si diuerſitatis cauſſam requiris; accipe iſtam. Fidem, quam Remigius, operoſo pietatis remigio, Gallijs inuexit; quam Chriſtianiſſimi Reges, ſublimi maieſtatis elogio ſuis præſcripsêre titulis; quam mille centum & ſex in hunc diem anni venerandâ perpetuitate deduxerunt, hanc tui & tu educere conamini.

Quis furor ô ciues, quæ tanta licentia?

Sed ne poſt donaria, thura, epigrammata, miraculum deſideres; iterùm crede, & cede tandem. Spero facies. nam acetum Punicum nō ſic Alpium ſolidas laxauit compages, quàm hæc miranda & beneficia, licet vetera, caucaſias nouatorum mentes. Remigius HLudouicum prophano gentilitatis errore liberabat, CHRISTO ſalutaribus abluendum aquis præparabat; cùm nec miraculum Fidei SIGILLVM, magni Regis, magni deinceps Chriſtiani populi, ſalutis incunabula deſtituit. *Nam cùm fortè qui Chriſma ferebat, interclusus à populo deeſſet, ecce ſubitò non alius ſine dubio, quàm ſanctus apparuit Spiritus in columbæ viſibilis figuratus ſpecie; qui rutilanti roſtro ſanctum deferens Chriſma, inter manus depoſuit ſacerdotis, vndas fontis ſanctificantis. Fit gaudium & exultatio: baptizantur multi de populo.*

Aimoinus de Geſtis Francorū lib. I. cap. XVI.

Heus ſodes, annuis? Noli aliter. nam alibi tutò nugaberis. hæc miraculi fides ſæculis cognita, cæremonijs ſacris & Regum ſanctitati coniuncta, non ſacrilegum tantùm te, ſed & furciferum faceret. Ergo vel operi caput, ſi erubeſcis: & Remigium Franciæ apoſtolum, Regum, Galliarúmque populi aſſertorem, calicis, thuribuli, tot prætereà donariorum largitorem, ſacroſancti Sacrificij myſtam, omnis ſanctitatis exemplum, deinceps nobis, imò vobis magis concedito. Superſtitionem deinde, Idololatriam, togam pelliceam, aliáque ad ſummam caueam ſpectantia, vltrà ne diffamato. Conttà, & rationis planè ἐκτὸς τῆς τάξεως facere ſi pergis, *Quiritium fidem* inuocabo, &

te

te non LIPSIO, ſed fidei publicæ, mille centum & ſuprà annis, omniúmque Regum feliciſſimæ ſucceſſioni, conuitium dicere clariſſimis argumentis euincam. Nunc tranſeo, nec lucem in meridie accendere pergo. Toga te tantùm LIPSIANA poſtremùm obiurget; quæ poſtmodum, proprio nullo vſu, aręaut ſacris apta, non magno nimis ære, Cl^{mo} Anteceſſori *Gerardo Corſelio* Ic^{to} Græcâ & Latinâ litteraturâ inſtructiſſimo viro ceſſit. emit in amiciſſimi memoriam; nec ſine eâ accipit, vel ponit. Pecunia adſcripta rationibus aræ DIVAE VIRGINIS LOVANIENSIS.

NVNC anonymus alter incipit. Sed priùs qualis aut quis ſit, an ater, an albus, ſedulò inquiram? nihil opus: nam priorem ſanè illum colorem ab inuidiâ, hoc eſt naturâ, ducit; à moribus, hoc eſt ſcripto, oſtendit. nemo candidus, & ſic probus, tam irreligioſis calumnijs, fato compoſitum LIPSIVM laceſſeret. Tamen præmoneo ex oraculo prudentiſſimi Hiſtorici; *Peſſimum inimicorum genus, laudantes eſſe.*

Politiorum amator ille verborum.]

Cautè, hem caue, dormitator iſte adludiatur. Fama, de Sirenibus ſic fabulam inſtruxit: dulcè illas canere, in ſoporem nauitas vectoréſque dare, mox mergere & vorare: idem iſte, ſed fruſtrà tentat. nam fallere dum cupit, ſemel verū dixit. Quod nec ipſi tribuas velim, cui numquam niſi de mendacio rectè crediderіs; ſed veritati tam certæ, vt nec doctis eam dolis zonarius ſubuertere poſſit. Benè hodie, & è tripode vir magnus ſcripſit, ſenſitque: *à nemine nominari* LIPSIVM, *quin priùs laudetur*. ergo LIPSIO conuitium dicere nullus niſi illaudatus poteſt. Politiorem, audi Liuor, æuum noſtrum, nec maiorum habuit: Latinitas, Perſpicuitas, Ordo in ſcriptis; ſed, meliori adhuc elogio, Tranquillitas, Modeſtia, Humanitas in moribus: vltimo denique optimóque præconio, Prudentia, Sapientia, Virtus in animo. hiſce gradibus, *ſuperata tellus aſtra donat.*

Tali, tantóque, ſic ſcurriliter tamen iſte adlatrare tandem deſinit:

In morte fecit LIPSIVS *ſolœciſmum.*]

Io triumphum! non ita ad liram aſinus, quàm ad hunc ſolœciſmum barbarus noſter exultat. Enimuerò talem hunc adfirmabo eſſe? imò huiuſcemodi, quotquot ſunt Scythis & Maſſagetis omnibus inhumaniores. Vltimæ feritatis legem apud quaſdam gentes ſeruari Satyricus ſcripſit, ſcilicet vt à propinquis ſuis conſumerentur defuncti. Hi verò alienum etiam, extraneúmque rodere ſuſtinent mortuum. Illos lex & affinitas excuſare poterat; hos ingenita acerbitas, & naturale odium, in deterrimum impellunt facinus. Adde ignauiæ ingenium, quod iacentibus inſultare ſolet, & ideò ſe cruore maculare, vt pugnaſſe videretur. Tamen quàm in irritum horum omnium tela, ſicæ, dentes cadant, vel ipſi nunc iudicent, quibus non veritas, ſed pudor, mentiendi libertatem ſubduxit. XV. Kal. April è tuſſi, grauiſſimíſque ſubſtilli cerebri defluxionibus, LIPSIO ægrè eſſe cœpit. Menſis anni Martius, qui cæli in ſe vertentis cardine commotior, morborum periculis, aut mortalitatis damnis famoſus eſſe ſolet. Noſter licet iam ab annis vernaculâ & quaſi domeſticâ valetudine tentaretur; tamen iſta fallere non potuit ſuſpicacem, & in ipſam iam mortem propendentem diu anteà ex ſapientiâ animum. Quin illud elegantiſſimi ſcriptoris celebratum ſæpiùs haut deerat: *Non magno apparatu, aut exquiſitâ molitione opus eſſe, vt corporis atque animi infirmo vinculo cohærens ſocietas dirimatur.* imò, Varronis ſcito, *Homo bulla* eſt; eò magis ſenex, & æger, & cui mors diu votum, pœna numquam, aut terror fuit. Itaque tunc malum indies ingraueſcere; color, calor, vires & vita labaſcere: denique lecto LIPSIVM affigere, hoc eſt leto aſſignare. Quod ſanè (omnes qui interfuêre nouiſſimis narrant) totius anteactæ vitæ tranquillitate & proſpexit pariter, & excepit. Iam olim cum Auguſto εὐθανασίαν ſibi & ſuis exoptare conſueuerat, liberum etiam in illâ neceſſitate, & intrepidum animum. vtrumque votis accidit. nam vnis tantùm quatuor diebus ſummum hoc egit, MORI: cùm adiumenta ſic vitæ priùs omnia, vt olim blandimenta ſpreuiſſet. Animi firmitudinem Sapientiæ decreta, ſed magis Chriſtiani roboris conſtantia

tia perficiebat. nam de illis, cunctíſque humanæ ſcientiæ artibus, quid tunc cenſuerit, hinc æſtimemus, quod toto mortis tempore, nec ſcriptorum à ſe, nec ſtudiorum vllum omnino verbum fecerit. Imò cùm ſolaminis à Stoïcis magnam illi materiam ſupereſſe quiſpiam diceret, *Jlla ſunt vana,* reſpondit, digitóque in CHRISTI crucifixi propè adſtantem imaginem intento; HAEC EST VERA PATIENTIA. mox magno ſpiritu ſubijciens; *Domine* IESV *da mihi patientiam Chriſtianam.* Morbi ſtatim inualeſcẽtis principio, prima illi cura fuit, ſacris Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, Extremæ vnctionis, purgari, muniri, foueri myſterijs. Denique vno in pietatis actu, piorum precibus inceſſabiliter expetitis, ipſe etiam (ęgrè licet) ad pias ſupplicationes, iam fugientes vitæ vires reuocare. Sic etiam DEI-MATREM inuocare, cùm religiosè quiſpiam dixiſſet: *Ecce, nunc illa patrona clientem exſpectat ſuum, & obuijs expanſiſque occurſabit vlnis.* Tunc renidere noſter, & in altum oculis manibúſq; moribundis ſublatis, ſic piè precari: *O Mater* DEI, *adſis famulo tuo, cum totâ æternitate decertanti, & non me deſeras in hac horâ, à quâ pendet æterna ſalus animæ meæ.* Semel quoque iterúmque auditus eſt ſibi gratulari, *ſe illo anni tempore migrare è vitâ, quo* CHRISTI *ſanguis maximè in Eccleſiâ ferueret.* Cúmque ſacri ordinis vir amicus referret, ſacrificium Miſſæ illâ die interpoſitâ Paſſionis Dominicæ recitatione oblatum fuiſſe; ſummæ pietatis hac voce calidè reſpondit: *Faxit Deus, Pater mi, vt ſanguis ille pretioſus in me abundè deriuetur, qui in illâ paſſione effuſus eſt.* Sed quò abeo? Téne IVSTE, tuúmque innocentis animæ ſupremum ſpiritum hiſce Diui Stephani verbis, DOMINE IESV ACCIPE SPIRITVM MEVM, inuolutum, vltrà comitari conabor? O feliciter exceſſiſti! Te cælum (piè vouemus) recepit:

Hoc ſolum longæ pretium virtutis habebis.

Sed noſter hic dolor, noſtrum vulnus. nos cum laruis luctantes, ſola conſtantiæ tuæ memoria, contemplatio probitatis, & qui vni tibi propemodum cõtigit, ex Sapientiâ modus, recreare poſſunt. Non vltrà, ſcimus, hæc mortalia te tangunt, aut angunt: verùm noſter per obiacentes haſce odij & maliuolentiæ anguſtias non aliter amor eluctatur, quàm ſuſpenſa aquarum

moles

moles per obſtantia ebullit. Vel vt deinceps te negligas, noſtram nos cauſſam aduerſus impijſſimæ calumniæ & vltimæ inſaniæ hunc furorem deſerere poſſimus? Simulabat, inquiunt ſycophantæ. O inuidiæ ingenium, non flagris, ſed flammis expurgandum! Ideóne ſcilicet, quia orientis & progredientis fidei inſtitutis inſtitit, quia antiquis Eccleſiæ moribus piè vſus, quia inter diuina deficientem animam Deo reddidit, Cælo religionem, Sæculo fidem mentitus eſt LIPSIVS? Quanto vel gentilitas æquiùs cenſuit, dum *nihil à morientibus fingi, nihil vitâ laborante ſimplicius eſſe*, dixit. Nulla vmquam tam dura ſeruitus, quæ vltimi huius articuli libertatem ſubiugauit: vnâ hac teſte innocentia conſtat & gloriatur. tunc conuitium tyranno dicere imbecillis vel ætas, vel ſexus non veretur. Contrà inſatiabilis ſæuitia inclamat, *Jta feri vt ſentiant ſe mori.* Tamen omnem adhuc crudelitatis induſtriam, hæc Calumnia facilè poſt ſe relinquit. Illa ignibus vrit, ad beſtias impellit, in metalla damnat, in inſulas relegat; ſed mox hæc mortalium mala, vna diſſoluit mors, in luctu miſeriiſq; requies omnium ærumnarum. Iſta quâ ratione etiam poſt vitam læderet excogitauerat, & mendacijs (quibus niſi reſpondetur, facilè creditur) rem perficere conabatur. Ecce interceſſit innocentia viri, veritas fidei. Denique contra totas maledicentiæ linguas, LIPSIVM, vna ſemper Eccleſia aſſeret Catholica. * *Jlla nempe, illa, quæ non modò tot Regum ac Principum, ſed quod longè præclarius eſt, omnium Sanctorum communis Mater; & in cuius gremio mori felicius eſt, quàm ab initio naſci. cùm non naſci ſatius ſit, quàm in hac non mori.*

* E Teſtamento Ioannis Samoſcl, Poloniç Cancellarij, max. & incomparabilis Herozois, aurea gnome; ita LIPSIO amata, vt ſi ſuperfuiſſet, etiam ſcripto elogio celebraſſet.

CALVM-

CALVMNIAE IMAGO EX LVCIANO.

CALVMNIAE *auctor* quàm minimè bonus vir ſit, ignorat nemo. *Sed olim hæc veritas placuit; cuius nec minor hodie vt ratio, ita gratia eſſet, niſi in ſæculum incidiſſet, quo iniquiſſimâ conſanguinitate, virtutum titulis ipſa quoque ſcelera celebrantur. Inuidiam, magnanimæ æmulationis vocabulum venuſtauit. Obtrectatio, liberæ veritatis ſub profeſſione inualuit. neque etiam tam inſolentibus malis inſidioſæ religionis color deeſt. Quid enim glorioſius proximis in* LIPSIVM *calumnijs fuit, quàm Chriſtianæ ſinceritatis ſimulata virtus, atque pietatis odium nouitatis falſitate inſtructum? Attamen nec Calumniam noſtri ſolùm æui malum eſſe, iſta artis Apelleæ lineis inſcripta tabula ſatis docet. Specta mecum Lector, & cenſe nouellos iſtos detractores, vt veterum virtutes planè ignorant, ita vitia ſtudioſſimè ſectari. Apelles ab Epheſo pictor, apud Ptolomæum regem accuſatus à calumniatoribus, tamquam coniurationis in Tyro factæ conſcius, imò auctor adiutorque, & hoſtili planè animo in regem eſſet. At ille neque Tyrum viderat vmquam, neque auctores coniurationis niſi de famâ fortaſſe norat. ſed Antiphilus quidam, æmulus in arte, detulerat. Ptolomæus rex, nec aliàs animi ſatis compos, iraſci, fremere, ingratum & perfidum Apellem dicere, ac iam duci iubere: niſi quiſpiam è coniuratis interrogatus, nihil ſibi ſuiſque cum Apelle fuiſſe ſeriò adfirmaſſet: & re deinde inquiſitâ, regi quoque animus & aures apertæ ad veritatem. Imò & ad iuſtitiam apertæ. nam ſtatim Apellem quaſi luendæ iniuriæ, centum talentis donauit, ipſum Antiphilum addixit ei in ſeruitutem. Ita extra periculum & cum præmio Apelles: tamen facti memor, tali tabellâ calumniam eſt vltus.* *Lucian. Calumniæ non eſſe temerè credendum.

* Ad dexteram tabulæ ſedet ALIQVIS longis auribus in aſini vicem, quales illæ feruntur regis Midæ. Is manum

comiter offert procul aduenienti CALVMNIÆ. Circa regem vtrimſecus mulierculæ duæ, IGNORANTIA, & SVSPICIO. Accedit igitur ex aduerſo CALVMNIA, mulier quantumuis formoſa & compta, æſtuans tamen & commota, rabiem & iram palàm præ ſe ferens. Siniſtrâ facem gerebat, dextrâ iuuenem quemdam capillis trahebat, manus ad ſuperos tendentem, & Deos omnes obteſtantem. Ante ipſam incedit pallidâ facie, informi habitu, acutùm & acrè intuens, non abſimilis ijs qui longo aliquo morbo contabuerunt. quem LIVOREM eſſe aliquis facilè conijciat. Sed & mulierculæ duæ Calumniam ſequuntur: quæ adhortantur & inſtruunt, & eam ornant. Interpres picturæ aiebat INSIDIAS & FRAVDEM eſſe. A tergo porrò paullò longiùs lugubri habitu mulier ſubſequitur, in nigrâ veſte, eâque lacerâ: POENITENTIAM eſſe dicebant. Atque ea procul venientem VERITATEM, cum pudore quodam, & limis oculis aſpiciebat, excipiebatque. *Tali Apelles Tabulâ caſum ſuum, & ſimul ortum, ingenium, noxas Calumniæ aperuit, & poſteris oſtendit.*

IVSTI

IVSTI LIPSI
DEFENSIO
POSTVMA.

CAROLVS SCRIBANIVS
SOC. IESV THEOLOGVS
AMICO BENE MERENTI
POSVIT.

REV^MO DOMINO IOANNI MIRÆO ANTVERPIENSIVM EPISCOPO.

REDIVIVVM Tibi, & à capulo iam recētem LIPSIVM, nouum ab inſtitis Lazarum, ſiſto PRAESVL AMPLISSIME, illumq́ue ipſum iuris tui facio: & intimo voto meo facio. Vtinam maius aliquod, aut ſpecioſius munus! verùm quod poteram maius, qui illum totum ad Beneuolentiæ tuę aram ſacrarem? Nec incomitatus ibit: paruulum hunc, & à matris iam iam vbere, manu trahet; & nomini tuo dicatum ibit. Annam cogita & Samuelem. Robuſtiorem aliquem tu merebaris; ſed aberant illi longiùs, quàm vt paucis horis euocarem. Malui ergo hunc tenellum, & à matris ſinu ludibundum, in promiſſi æris exſolutionem obſequio tuo ſacrare, quàm vacuâ manu pudori meo illudere.

Habe igitur hunc tibi, PRAESVL AMPLISSIME. paruulus ludat aulâ: & dum patrem ore referet, patri veteris nouæque humanitatis tuæ fores reſerabit. Sed neque hunc alteri, quàm Tibi, ſeu LIPSI cariſſimum Tibi nomen, ſeu me ſpectem. Tu enim es, cuius amor in me, & beneuolentia ſumma. neque in me tantùm: publica & teſtata tua ſunt in omnes. & Campinia tua loquitur, tot antè viduata paſtoribus, tot nunc ijſdem diues. Seminarium in hac vrbe, nobile eruditionis repoſitorium, operis tui eſt. ex hoc agro, non palmites aut frutices, ſed arbores vmbrâ ſuâ contentas, & iam doctas paſcere, educis in ſterileſcentis illius ſoli opimitatem. Iam ſacra ſi intueamur, quis magis ea tutatus, ornauit, diuitauit? quid referam virtutes reliquas? ſimile. Neque iſta in gloriam. Deo aſſcribis ſoli: & ampliſſimi operis fructum cenſes, feciſſe. Vtinam in his alijſque Tibi ſimiles, qui dignitate ſimiles! Sed hæc voti mei ſunt. Deus cogitationes omnium ad publica proferat, vt Patriam conſilijs, ſuos vigili curâ tueantur; & in multorum neglectu aut quiete, vigilem tecum

ma-

manum oculoſque ad clauum porrigant. Non inhærebo his diutiùs; ne, quod dici ſolet, in exiguo corpore ingens veſtibulum. Tu, quod primùm volui, affectum in hoc conatu meo vides; in Te, in LIPSIVM. quem vbi licuit, verbis ſuis ſtiti: quo magis teſtem hunc, & velut obſidem vtriuſque in Te animi æternum haberes. Ita voueo

Carolus Scribanius.

LECTORI MEO.

HABES *Lector, quod amicorum preces, & meus in magnum* LIPSIVM *affectus protruſit. Nec potui ordine, & velut preſſo pede, aduerſariorum ſcriptis inſiſtere. quid enim illi ordine dicunt? prima, media, vltima ita permiſta mutuò, ita paßim omnia, vt agreſtium ſpinarum inconditam texturam faciliùs ad principia ſua reuoces, quàm hæc commenta. Eadem repetita ſæpè: permiſta non vno loco, non miſcenda. Digeßi tamen in aliquem ordinem hanc ſiluam, tum ne eodem cum aduerſarijs luto inuoluerer, tum vt imbellem inimicorum manum certiùs videres in hoc retextu. Ad maledicta, quæ paßim plurima, paria non regeßi. Scio,* æquo animo audienda eſſe imperitorum conuitia; & ad honeſta vadenti contemnendum eſſe iſtum contemptum. *& vbi attingo, eluo potiùs hoc lutum, quàm vt reſpergam. quin, patior non ſemel aſpergi. Ariſtippus præit, qui conſputus à Dionyſio, cùm nihil moueretur, & quidam mirarentur;* Nempe piſcatores, *inquit*, vt gobium capiant, aquis patiuntur ſe aſpergi: & ego vt balenam, non patiar ſputo madidari? *Quid ſi ego hanc balenam in ſuo mari? & tibi demulceam, quem fuſte antè frangam, quàm pelliciam? Ita faciat æternus Deus. Erant alia permulta leuia,*

&

& quæ nec nomen mererentur magni LIPSI. *& verò tædium caperet recenſendi tam aſſiduas & vbique pares nugas. nam, vt Græci,* * πάντα μία κόνις. *Itaque refellenda hæc putaui contemptu ſolo. Sic ferè generoſior moloſſus, ſtolidè oblatrantem ignauum canem contentus obtriuiſſe, nullo dignatur dente.* * Omnia idē puluis.

Scriptionis huius occaſio.

NON *patior abire hunc ſcriptorem, inuolutum nube. rem aperio & retego vniuerſam, retectionis gratiam initurus. Fauete quicumque hæc legitis: & mecum credite, fecundo hoc ſomniorum ſæculo, reſerata eſſe omnia archiua ſomnialia. Quibuſdam terræ vorantur: inſulæ & ſomniatorem ſuum maria fraudant. Huic quercus laurúſque ferunt*

Cruda puerperia; & populos vmbroſa creabit
Fraxinus, & fœtâ viridis puer excidet orno.

Hîc cædes ambulant, & ſanguis nullus: Bacchus alibi, & vinum nuſquam. ibi euigorata concupiſcentijs iuuentus ſudat, & nō vno loco exancillatur Veneri; & tamen ſudatoria nulla, Venus nulla. Cælum debellant alij, & captiuum triumpho ſuo inuehunt, & ſtellas faciunt vectigales: neque vmquam tamen magis detriumphamur, quàm cùm in inerti ſomno altùm ſtertimus. ô ſomnia! Huic piſces volant & maria, natant rupes, ſaliunt arbores, pariunt fontes; & obſtetrix nuſquam. Hîc leo latus claudit, ibi ſimius aut lutulenta porca: iste per capillum odoratur, ille cibum nouit auribus: hic pedibus datatim ludit, ille manibus ambulat: alius ſuſpirat inter metalla, hilareſcit inter vina alius: & nuſquam pila, metalla, vina; nuſquam odor, cibus, accubatio. Siluas hic armatas, galeatas braſſicas, tympaniſtrica ſaxa, pſaltrica paſcua; ciuitatum & regnorum videt alter voragines tam crebras, vt tonſuram arbitretur ſilueſcentis nemoris, montéſque,

gentium examina eructantes; & cæcis hæc vident oculis. Denique cadunt huic lacrymæ, etiam veræ, riſus illi: hic Crœſus, & momento iacet Irus; nec multò, cælis adſcribitur auguſtum nomen, eademque nocte, non & horâ? decineratur ignibus, æſtuat ſolibus: & ſomnium omnia. At inter hos facundos ſomniatores, tres mihi ætatis noſtræ nobiles.

Primus, blandâ quadam quietis neceſſitate proſtratus pinguia ſomniat ſomnia, à Lyæo, à cyathis, à menſis recentia. ſignum hoc mihi venire hæc à primis noctibus, cùm in ſtomachali adipe ſuo natat etiam tum cerebrum.

Secundus, amicâ vi ſoporis eluſus ſomniat (vt aſſolet, qui in æmulis ſomno valetudinibus, phreneticâ & cardiacâ) enſes, ſclopos, tympana. eunt hæc ſomnia mediis noctibus, deſomniato iam humore illo natatorio, nec tamen ad plenum collato, aut diſpertito per cerebri habitacula, cùm adhuc in confuſâ vaporali congerie, caput vniuerſum occupat.

Tertius, colatiora ſomniat; qualia ſolemus ſub extimis noctibus, prodactâ iam per priora ſomnia ſomniali pinguiore turbatioreque materiâ; cùm exſuccius cerebrum, neque natat in liquore, neque furit in turbidâ miſtione: & tamen ſomnium omnia. At quis vetet, licet fruſtratoria plurimùm, vera ſomniari ſomnia? Sanè Stoici Deum volunt ſomnia indidiſſe nobis, peculiare ſolatium naturalis oraculi. ita Samonas propria ſomnialia oracula apud parentum monumenta captare, Celtas olim apud virorum fortium buſta eâdem de cauſsâ abnoctaſſe legimus. At ſomniator hic noſter in campis Elyſijs, aut vicino illis nemore, ſub neſcio cuius Sibyllæ lauro, aduerſariarum partium duces vidit:

Virgineas ne crede manus: hîc cruda virorum
Prœlia.

admouit oculos animumque curioſior. vidit, ceræ commiſit: & eadem nunc dat huic Orbi. Vultis ipſos duces? LIPSIVS *&* REDANIVS. *Ille, ſe ſuaque clypeo tuetur & haſtâ, hac notâ:* Veritas hac vinco. *hic iacula mittit, quibus inſcripſit:* Non venit à vili ſanguine

guine gloria. *& excuſſerat iam antè* LIPSIVS *eâdem parmâ, inimica non paucorum tela, trahebatque laſſam dexteram: vt nouum tamen aduerſarium inaudijt, diceres nouis animis, nouâ dexterâ bella reparare.*

Vt modò connubijs taurus ſaltuque recepto
Cùm poſuit pugnas, alio ſi fortè remugit
Bellatore nemus, quamquam ora & colla cruento
Imbre madent, nouus arma parat, campumque laceſſens
Diſſimulat gemitus, & vulnera puluere celat:

ita noſter. & ſeipſo etiam maior, noua bella parat. paranti aduerſarius haſtam

Expulit: illa volans, ceu vis permagna moretur
Obuia, vix ſonuit clypeo, retrò viſa reuerti.
— vt præceps cumulo ſalit vnda minantes
In ſcopulos, & fracta redit.

Riſit Athleta noſter: nec aduerſarium haſtâ dignatus, obuiam fortè ſudem per nemora perque aëra in incertum iaculatus, dexteram telumque dirigente Fortunâ, hoſtem ſtrauit, pœnasque ab inimico ſanguine ſumpſit. Erant alij iaculatores Numidæ, ſiluâ tecti; quibus omnis in pedibus gloria. at noſtrum

—— tædet fugientibus vti,
— nec facilem dignatur dextra cruorem.

quare nec calamo dignos habuit ſomniator noſter.

SYLLABVS CAPITVM.

CAP. I.
An LIPSIVS *inconſtans.*
CAP. II.
An LIPSIVS *à ſe diſſentiens.*
CAP. III.
An contrà, quàm ſentit, ſcribat.
CAP. IV.
An animum inclinarit cum Fortunâ.
CAP. V.
An ſenſus ſuos de Religione apud Battauos preſſerit.
CAP. VI.
An nomen Chriſtiani in Mariani mutet.
CAP. VII.
An ingenij dotes ſubmittat Idolo Hallenſi.
CAP. VIII.
An coactionem in Religione inducat.
CAP. IX.
An Vſtionis & Sectionis auctor.
CAP. X.
An LIPSIVS *de Fato gentilizet.*
CAP. XI.
An LIPSIVS *Stoïcæ ſectæ.*
CAP. XII.
An Oratio De duplici Concordiâ Ienæ à LIPSIO *habita.*

IVSTI

IVSTI LIPSI DEFENSIO POSTVMA.

Capvt I.

An Lipsivs *inconſtans.*

REdanivs. Magnus ille, apud quem verba factis conſonant. Quanta tu de Conſtantiâ, in omni vitâ inconſtantiæ exemplum? Adoleſcens decurris ad nos, deſeris ſenex, & aduerſarias partes amplecteris. calidum ibi, hîc frigidum efflas. hunc probas, pòſt improbas; noſtra ſecutus, damnas noſtra; & quæ antè tibi cata, ſtolida nunc ſunt, & ſolo riſu punienda.

Lipsivs. Nihil tam probum, quod non vellicare malignitas poſſit. tu es exemplo: qui res, qui verba, qui correctos cum ætate adoleſcentiæ lapſus rides; & illud iuuentutis lubricum in aurariâ pendis trutinâ. Quid vis? etiam in illâ ætate ſapientiam? & opinionum aut vitæ delectum in inueſti mento? & à quo numquam reflectas? Non eſt humani ingenij optima ſemper primis cogitationibus deligere: & ferè ſecunda in viro conſilia maturiora ſunt. Hinc vetus illud: Αἱ δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι. *Poſteriores cogitationes ſapientiores.* Solius alterum Dei eſt. quem, quia omniſcius, ideò expertem erroris habeo: hominum quidquid eſt, opinantur, vacillant, mutant, errant. *Nemo eſt mortalium, quem non aliqua pars ignorantiæ attingat. hanc cogitationem ex ipsâ mortalitate traximus. nam homo cùm errat, humanitas errat. Errorem autem in homine calumniari, eſt toti ipſi mortalitati conuitium facere.*

Nam vitiis nemo ſine naſcitur. optimus ille eſt,
Qui minimis vrgetur. ——

Pars etiam vitiis gaudet conſtanter, & vrget
Propoſitum: pars multa natat, modò recta capeſſens,
Interdum prauis obnoxia. ———

pars altera poſt lapſus ſurgit valentior, quaſi roboris fundamenta ſint lapſus: vt admireris hunc fortem, ſed non niſi à lapſu fortem. & antè quidem ſemper varium, nuſquam firmum; poſt lapſum, ſemper firmum, nuſquam varium. Optimus ille eſt, quem nulla dies vidit labantem: hunc talem, niſi à cælo, non reperies. alter à priore eſt, quem nulla dies vidit iacentem: cecidit oriente? non exſpectauit occaſum. tertius, qui deteriora ſecutus, meliora pòſt probauit. Quid damnas? in hoc numero me pono. vis prioribus inſidêre? erraui: vis errori inhærere? lapſus ſum: non vis exurgere? Vulnus accepiſti, euolas ad chirurgum: ægritudo moleſta eſt, medicum euocas: & ego, quem imprudentia luxauit, aut error delumbauit, aut ignorantia fregit, certiora nec cogitem nec ſequar? Muſto tempus damus vt deſpumet, & vltrò reſeramus vaſa, reiecticiis viam oſtendentes: & animo, vt iuuentutis & opinionum fæces eijciat, nihil damus? Febris præcordia poſſidet; quid exſpectamus, vt iugulum inhabitet? Imaginoſus quidam morbus animum perculit; quid hæremus? vis illum ægritudinem vniuerſam imbibere; adeóque hac tingi, vt nullâ pòſt arte decoloretur? Stomachus noxia hauſit, euomuit, ſperare de morbo incipio, nec antè ſperare quàm reiecerit: animus opinioſam ſuxit inſanitatem, vis in hoc ſucco æternùm indormire?

Et tamen videamus, quæ mea Inconſtantia. Scio quid velis. Reſpublica turbata eſt; & placidum illius mare, tótque annorum malacia, tempeſtatem paſſa, qualem nulla ante. ego eodem turbine eiectus in Battauiam veſtram, apud vos vixi, inimicus nemini, amicus quibus potui, familiaris paucis. Et erant rara ingenia, quæ pacem, quæ quietem amarent: hoc eſt, ingenij mei perpauci. nam ijs, *quibus quies in ſeditionibus, in pace turbæ ſunt,* aut qui *pro certis & olim partis, noua, ambigua, ancipitia malunt*, numquam hoc latus adiunxi. Vis aliqua compulit? aberat animus: & cùm illi aliquando multa de Republicâ, de Religione, feci quod Cleomenes Spartæ Rex, Græculo de fortitudine diſſerenti aures nõ prębuit, nec ego mentem. feci quod

Salluſt. Tacit.

Ariſto-

Ariſtoteles vni ex his olim, qui cùm multa nugatus eſſet, & abiens excuſaret, *Numquid moleſtus fui? Non mehercule*, inquit, *non enim attendi.* Nam quid ego attenderem ad ambitioſos aliquot? *qui priuatim degeneres, in publico exitioſi, nihil præter diſcordias habent: quique honores, quos quietâ Republicâ deſperant, perturbatâ conſequi ſe poſſe arbitrantur?* quid ad obæratos è re familiari perditâ? quibus ſcilicet *afflicta fides in pace*, quíque *rebus turbatis alacres, & per incerta tutiſſimi?* quid ad vanos quoſdam & ventoſos? *qui non tam præmiis periculorum, quàm ipſis læti periculis?* de quibus puta dictum:

Non ita Carpathiæ variant Aquilonibus vndæ,
Nec dubio nubes vertitur atra Noto.

Atque hi omnes & *tales variâ arte imperitos animos impellunt*, & trahunt leui momento leuiſſimum quemque, & futuri improuidum, aut ſpe vanâ tumentem, promiſſi magnitudine. qui ſi in virum incidant, maximè ab eruditione inſtructum, reſiliunt trepidi: contra enim hæc audaciæ ingenia, quæ nec in quiete quieta ſunt, ſilentio ille ſe tuetur. Feci hoc apud vos. in quo quid peccauerim, neſcio: niſi peccatum ſit diu ſiluiſſe. At mihi ille prudens, qui non in vanum ſpargit monita; qui, quæ ſcit non profutura, domi ſuæ tenet, laxaturus habenas, & toto oſtio emiſſurus, vbi melior ſpes affulſerit. Exſpectaui ego tempus, & non ſemel hæc vota mea: O quando! Vt vidi labi; etiam in deterius omnia; eripui me aliquando, & libertati reddidi; patriæ, amicis reddidi: tutiora elegi, & meliorem cauſſam; in quâ, ſi neceſſum, etiam immorerer.

At magna ſperabam, & deſertæ cauſſæ præmium. Hoc qui dicit, ex illis natatoribus eſt, qui nuſquam pedem figunt. Ego præmium? ô quàm vos ſemper alieni conſilij improbi diuinatores! ego ſperarem, qui vltronea & in reluctantem ſinum hunc munera non ſemel excuſſi? ego ambirem, & magnis ſæculi cogitationibus implerem pectus, pòſt purgandum ſæuiore pharmaco? ego qui Lunas, qui Albuquercios, Paciecos, Conſaluos, Corteſios, qui Cominæos noſſem, ætatis noſtræ, & fruſtratoriæ ſpei documenta magna? ego qui Styppiotas, qui Apelles, Aratos, qui Seianos, qui Plautianos ſcirem? Tot magna nomina fluxæ potentiæ, tot felicitatis inſignia ſubito turbi-

turbine quaſſata, & euerſa eodem, quo tollebantur, momento. Eadem ſperarem? aut ambirem dubij ſucceſſus & ferè ruituri præmia? quaſi deeſſent infidæ Magnorum amicitię exempla, Amani, Parmenionis, Cleandri, Ablauij, Eutropij, Stiliconis, Vineæ, Brocæ, Luxemburgij, Cabreræ, Caracioli. Et vnus Seneca non erat ad explendum hoc pectus? an opus alio doctore? Huius ego monita expreſſi, animum velim, & conor. cuius etiam exitus me docuit, & inſonuit auribus, quamdiu hæc vita ſtetit. Vis ex fide, quid de omni hac aulicâ ac potenti turbâ ſentiam? natant; nec vſquā pedem in ſolido figunt. Non ſum ex his æternùm natatoribus. momento ludunt, momento ſorbentur, & ſæpè eodem, quo ludunt. Nunc ſuperba oſtentant carbaſa, inſurgit malus, & puppis aureis veſtita bracteis, omníſq; prorſus carina floret polita citro: iam aulæa auro grauida, & ipſa latera illicibus circumſecus picturis variegata: nec longa mora; in illo ipſo ſui triumpho ſepelitur fluctibus, vt ouaſſe credas in ſepulturam. ô vana! Quanto feliciùs contentus paruo ſecuras videt noctes! Horatius verè:

Viuitur paruo benè. —— & alibi:

Beatus ille qui procul negotijs;
Forumque vitat, & ſuperba ciuium
Potentiorum limina.

& ex Ouidij monito:

Viue tibi, quantumque potes, prælustria vita.

cauſſam ſubiungit:

Sæuum præluſtri fulmen ab arce venit.

eamdam habes à Lyrico:

—— *celſæ grauiore caſu*
Decidunt turres.

Felix ergo ille, qui de ſuo; miſer, qui de alieno ſemper viuit. apud illum pacata omnia, vt qui nihil alienum ſperet, quare nec timeat, (ſequitur ſpem timor:) apud hunc nihil compoſitum, turbata omnia, quia incerta, quia intuta; qualia ſunt, quæ ab alienâ voluntate pendent. Alia omnino apud ſapientem vitæ ratio: qui quidquid extra animum ſuum, aut reipsâ, aut ſpe nudâ poſſidet, non habet pro ſuo; quare nec vitam ad hæc componit: ſoláque illa ſua arbitratur, quæ nulla tyrannis, nulla

nulla inimica manus poteſt eripere. Vis expreſſam huius imaginem? Ægyptum cogita. in quâ

Arida nec pluuio ſupplicat herba Joui.

& vt alter;

Terra ſuis contenta bonis, nihil indiga mercis,
Aut Jouis. in ſolo tanta eſt fiducia Nilo.

& Claudianus docto Epigrammate:

Ægyptus ſine nube ferax, imbréſque ſerenos
Sola tenet, ſecura poli, non indiga venti:
Gaudet aquis, quas ipſa vehit, Nilóque redundat.

Quæ illi de Ægypto, ego de prudentis pectore. ſuo viuit, ſucco ſuo, domi ſuæ nato: auerſatur externa; aut, ſi quæ neceſſitas, libat, nec vltrà. O magnum, qui aureo Principum flumini nihil debet, qui nec argenteos imbres, nec ſtillicidia huius aut illius roris auidus exſpectet: imò, cui ipſæ adeò opes gratias debent, ſi admittantur. Ex hoc numero ſi non ſum, animo tamen ſum: & ad hanc prudentiæ aram, priſcâ pietate & ritu vota nuncupo, vota ſoluo lubens. Subſidio mihi hîc natura, quæ me ad modeſtiam fecit, & quietem. neque enim mihi ingenium inclareſcendi per turbas, per togam ciuicam, per principum atria: mihi, Muſiſque ſi viuo meis, ſat magnum vitæ meæ fructum retuli. Quod reliquum, dicant qui volent benè, dicant malè. nemo efficiet, vt non ſim Lipſius, amiciſſimus & amicorum obſeruantiſſimus, hoſtibus etiam non aduerſus. claudo hoc caput, & finio amici præſago verſu:

Jam tibi quod viuo detraxerit inuida turba,
Poſt obitum duplici fœnore reddet honos.

CAP. II.

An LIPSIVS *à ſe diſſentiens.*

REDANIVS. Multa tu hîc more tuo: nec tamen negarè potes, partes te aliquando Ordineſque noſtros fouiſſe, collaudaſſe: nunc tibi aduerſæ partes Apollinis cortina: & quidquid Iber dixerit, fecerit, tantumnon ſanctum. Denique quidquid antè probaſti, damnas; quæ damnaſti, probas. Hæc viri, & viri docti ſunt?

LIPSIVS. Semper ego ſagittis tuis ſcopus. Iam dixi, & diu eſt, cùm pœnitentiam offenſæ apud vos contractæ, quanta eſt, egi; & publicè teſtatus ſum, nolle factum. idem nunc itero. Nollem olim dicta, olim quædam probata non probanda, imò & damnanda. An neſcis * ἴδιον τοῦ σοφοῦ μετανοεῖν; factū hoc à me.

Confiteor, teſtere licet, ſignate Quirites.

Non eſt hæc legitima ſatisfactio? addo, & offero

* Σπόγγον, ἀπεστορίλω πλαζομένης γραφίδος.

Sed meam ſortem! vnumquodque lanuginis primæ verbum meum tam validè examinari?

Nimiùm idem omnes fallimur, neque eſt quiſquam,
Quem non in aliquâ re videre Suffenum
Poſſis: ſuus cuique attributus eſt error.
Sed non videmus manticæ quod in tergo eſt.

Et tamen quid dixi, aut ſcripſi? conuitia tantùm amoueamus, quæ tu dolosè mihi adfingis; & ſponſione prouoco, niſi illa, quæ ſcripſi, refellant. Nam ſi alicubi è regiâ viâ receſſi, reducas potiùs quàm rideas; & à Phocylide, * χεῖρα πέσοντι δίδου, quàm conuitia iacias in errantem, in locorum ignarum. Conditionis tuæ & meæ, id eſt publicæ, memento. pauca adeò, non omnia, homines ſcire nati ſumus. Numquam à veritatis arcâ aberraſſe, neque humanum eſt, neque cadit in hanc vitam. imò,

——— *quid tam dextro pede concipis, vt te*
Conatus non pœniteat, votíque peracti?

& hîc ætas, alibi amici, ſed & lectio, & congreſſus doctorum aliud ſuggerit & meliora docet. Quamquā quę ſcripſi, aut omnia, aut propè, placitura prudentioribus auguror. de populo, vt & de infimâ litterariâ plebe, numquam laboraui: neq; ego illi placere volui. nam quæ ego ſcio, non probat populus; quæ populus probat, ego neſcio. Probet proinde improbétve, quæ dixi, quæ ſcripſi, nec manum mouero. quamquam improbare malim, vt longiſſimè ſim ab illius mente, hoc eſt, minimùm abſim à Sapientis pectore. Venio propiùs ad accuſationis iugulum. multa hîc poſſem, pauca dabo. Miraris, quî mors & vita in vno ore habitent; vt cui antè proba probatáq; omnia, nunc improba damnaticiáque omnia. Velles aliquid extortum è Phariſæorum ſcholâ: *Licet cenſum dare Cæſari an non?* &; *Hæc mulier*

* *Sapienti proprium pœnitere?*

* *Spongiā aberrantis quæ medicina ſtili eſt.*

* *Lapſo manum porrige.*

mulier modò deprehenſa eſt in adulterio. In lege autem Moyſes mandauit nobis huiuſmodi lapidare. Tu ergo quid dicis? Nihil agis ô bone. Summus ille Rex regum rogandus, vt hoc miſerabili æuo, errantium animos ſanet, aut pertinaciam tollat.

Verùm olim probaui. O quamdiu hæc ad popularem inuidiam! *Nunc autem ſublatos omnes velim.* Planiſſimè. à caluo ad caluum. Vbi hæc dixi, ſcripſi? ô pectus niueum! vbi? *Apud vos fui.* Fui: & bellicus me turbo in angulum illum compulit. *Veſtra probaui.* Nolebam. cogor aliquid reponere, & verum aliquando fateri. Mores, ſtudium, finem, media ad hunc veſtra numquam probaui: nec viuit mortalium quiſquam, qui hæc ab ore meo. Ciuile hoc bellum, ferrum, ſanguinem, ſemper improbaui: & naturâ alienior ſum ab hac Erinny. *Sed Iberos, & gentem illam totam.* Numquam vniuerſam gentem damnaui: & peccem in omnem prudentiam, qui totam damnem. Aliquos ex his minùs probaſſe non diffitebor: acres ſpiritus, & nuſquam niſi in periculis credulos: præferuidos, & ex ingenio ſuo reliquos metientes: alieni roboris & conſilij contemptores. hæc numquam probaui. At ſunt alia in eâ gente magna: patientia, quâ vnâ ferè regna tenent; fides, qualis in nullâ aliâ; ingenium ad ſummas ſcientias, Iuriſprudentiam, Philoſophiam, Theologiam: & debemus hanc ætate noſtrâ illis lauream. Finio: erit alibi latior campus.

CAP. III.

An contrà, quàm ſentit, ſcribat.

REDANIVS. Contra animi tui ſententiam ſcribis: & fallis ſciens, etiam inuitus. Quis te cogit? quis, niſi ille, qui non rectè eminere dicitur ſupra omnia humana & diuina, niſi, quidquid eſt vſpiam magnum excelſúmque, calcet pedibus; tum deinde tui Ieſuitæ?

LIPSIVS. De Pontifice quod dicis, vis credā à cortinâ dictum? ô nouū ſæculi noſtri Paridem! vacuâ dominaris in aulâ. Iactabat ille ſe olim, & laceſſebat ſtolidè; vt verò Menelaum vidit,

* Ἐν προμάχοισι φανέντα, κατεπλήγη φίλον ἦτορ.

Stantem in principibus, perculſus pectore caro eſt.

tibi non idem eueniat, ſi vel à decem paſſuum millibus Pontificem intuearis? quem cùm nec audias, nec videas, deſcendis ad calumniarum tuum campum. Et ſuper quæ diuina eminet Pontifex? tua? id eſt Caluiniana? Nam de humanis quid ſtomacharis? calcat ea Pontifex. planè. Quicumque cælum cogitat, & ſeriò cogitat, non quidquid hîc magnum calcat pedibus?

De Ieſuitis verò, quid? cogunt illi LIPSIVM contra animi ſui ſententiam ſcribere? Et quales tibi Ieſuitæ? *Hominum genus inſolens.* An ideò mel inſuaue, quia ægris ſic videtur? & illi inſolentes, quia vobis aliquot parùm ſanis? Et quid ſi aliquid hauſiſſem ab his fontibus? at aliud quàm tu mentiris. Aliter, mihi crede, catuli olent, aliter ſues. in illis nil niſi probum, doctum. plura hîc dicerem, vera dicerem, plura illorum vetat pudor. in vobis qualia ſint, Germania, Gallia, Belgium vniuerſum, nimis, heu, magna documẽta ſunt. quæ ego nec refero nec narro. O quouſque natamus in hoc ciuili ſanguine à ferro veſtro!

Iam ego qualis tibi videor? quid tam alienum à meis moribus, quàm aliud ſentire ac ſcribere? ne decreſcere quidem didici præter mentem: in laudem tamen, fatebor, ſemper pronior, in amicitiam facilis: probare pleraque, ſi abeſſet improbitas; etiam virtutem in hoſte admirari, laudare: etiam eruditionem in aduerſario ſequi. Hoc ſi aliud eſt ſentire ac ſcribere, habes fatentem reum; feci. tu de ingenio tuo iudica. Olim dictum:

Heu mihi difficile eſt imitari gaudia falſa,
Difficile eſt triſti fingere mente iocum.
Nec benè mendaci riſus componitur ore,
Nec benè ſollicitis ebria verba ſonant.

arbitreris de ingenio meo dictum. Non didici gaudia imitari falſa, non ore ridere, mente flere; non hilareſcere vultu, animò dolere. Hoc verò fati mei eſſe cenſeo, ab ijs morderi, qui cum religione verecundiam exuerunt. niſi fortè, ſicut qui ocymum ſerunt, feliciùs id naſci ad conuitia interiecta autumant, ita vos ſpargendis contumelijs fecundius mihi nomen paratis. Et ego tamen contra animi mei ſenſum ſcribam?

—— pultes
Coram alio dictem puero, ſed in aure placentas?

non eſt Stoïci, qualem me facis. aut inuitum me quiſquam cogat, & meliora ſcientem, in aliam à ſenſu meo ſcriptionem? non eſt Stoïci: non ſi tundar in mortario: & exertâ hac linguâ, loquentur oculi: hos ſi quis eruat, ſingula membra iam linguę erunt. aut quis hanc dexteram, refugâ mente, compellet in ſcriptionem? non ſi Mucius fiam, & ardeat illa in igne: nam quæ ſupererit, dextera mihi & ſiniſtra erit. Etiam hac viduabis LIPSIVM? totum exinde corpus dextera erit, totum ſcribet, & reteget quod claudebat pectus, Stoïcum, vti tu vis; vti ego, Chriſtianum.

— Phalaris licet imperet, vt ſim
Falſus, & admoto dictet periuria tauro,

non decedo à veteri maiorum inſtituto: nec fallo ſacramentum, quo baptiſmate obſtringor. At tu memento moniti:

Arcanum neque tu ſcrutaberis vllius vmquam;

minùs etiam, quæ ſomniata tibi. neque florem domi tuæ natum alieno adnectas capiti, tamquam capitis huius, non tui ſomnium; tamqua m horti non tui, ſed illius palmitem.

CAP. IV.

An animum inclinarit cum Fortunâ.

REDANIVS. Animum inclinaſti, quò propendere cernebas Fortunam: & maluiſti cum Dijs adhærere cauſſæ victrici, quàm cum Catone victæ.

LIPSIVS. Priſcus mos redijt, & conuitia ſpargimus è plauſtro. Audiſſes Iſocratem; * Τὸς ἄλλους λοιδορῆσαι, ὀ σημεῖον ἀρετῆς ἐστιν. & temperaſſes ab hac maledicẽtiâ. Verùm vtcumque ſe res habeat; ſi Dijs adhæſi, quid damnas? meliora ſequuntur. ſi nõ obſtinaui cauſſæ immori cũ Catone, quid ringeris? At tu ſatis habes, ſi hanc veterem de Cęſare & Catone gemmam in medium ſparſeris, quæ mihi algâ eſt vilior. Et quis tibi hîc è tripode ad arculas ſedet, vt ſuggerat & dictet ex exeſo quopiam codice victricem cauſſam, victámque? neque enim hęc tibi, vt pleraque reliqua, ſine Theſeo. Imò quid ſcabiem reuocas priſci tẽporis?

* *Non eſt indicium virtutis alios cõuitiis proſcindere.*

pruritus illi, publicè aut priuatim, quem non tenuerunt? Quid flammas iniicis publici incendij? non ſatis arſiſſe ſemel? ſcilicet non à radice periiſſemus, niſi nouo calami tui igne arderemus.

—— abruptis etiamnum flebile venis
Vulnus hiat, magnæque patet via lubrica plagæ:

& tu mihi partium ſtudia? Fateor; ſtetimus non ſemel tamquam in tenui luto: & obniti (ô homines!) conati, cælo terráque pugnantibus. nimirum niſi Pharſalica, niſi Actiaca redirent, ſalui eſſe nō poteramus. Sed quid ego plura de grandi hoc profundo? tentandum ſemper homini, numquam curioſiùs explorandum. neque enim hîc ſola humana manus: fuit diuina, quæ modò habenas ſtrinxit, modò laxauit partium fortunam. Perieratis non ſemel, nec ſalus ipſa ſaluare vos poterat: hoſtilia interim, in tam præcipiti fortunâ veſtrâ, imò in ipſo lapſu, conſilia labantes tenuerunt. Nec fuit hoc prudentiæ veſtræ, aut hoſtilis fatuitatis: altior aliqua mens ludebat; & pulſis aliorſum ventis, fluctus ponebat.

—— vice cuncta geruntur,
Alternisque premunt. ——

Quid facerem? etiam me Aquilo aliquis inuoluerat in partes (nihil nego) & ſalutem quęrebam, & quieta nemora, in quibus tutò, & ſine militari ſago, in pacatâ hac togâ, Muſis conuiuerem. quæſiui, vt qui ignem ſolent, cùm ſtrictum eſt frigus,

Et prata canis albicant pruinis;

nec reperi. imò denſiori, & pluſquam Norico frigori implexum me ſenſi. & dū terras fugio intutas, ab immiti abreptus Oceano, conuoluebar fluctibus. Quid ſperarem à cytharâ in hoc vorticoſo mari cædibus infami? flecterem irarum minas? aut nouus Muſicus cantus dulcedine, in admirationem, inde in auxiliarem manum, raperem tot monſtra, quot tegit illud mare? Delphinas habuiſſet, qui mulcentur Muſicâ, gaudent tibiarum cantibus, ac vbicumque ſymphonia eſt, gregibus aduentant; aliquis ex hoc numero inequitantem LIPSIVM reddidiſſet terris. At procul hinc Delphini, durum licet genus, ſed quod tamen aquilonio flatu celeriùs audiat humanas, amicas voces, & dorſo Muſicum ſuum vehat. Sæuiora portenta alit illud mare. ergo me eripui, & cum bono Deo, memet

mihi

mihi reddidi, patriæ reddidi: nec victricem, victámve partem, ſed cauſſæ æquitatem ſecutus; & apud quam ſecurè me retegerem, id eſt pectus recluderem, Catholicè, & vt preſſiùs etiam aliquid, Romanè à parentibus eductum. Satis, ac nimiùm etiam diu inter contumacia Battauiæ tuæ vada adhæſerat hæc ratis: impegerátque non ſemel ad rupem illam periclitaturæ ſalutis. non quòd quidquam illius altiùs inſediſſet menti; affricuerat tamen aliquid noxij ſui ſucci: vnde illa nata, liberioris opinationis, ſcriptionis. Vidit Deus, & quam ſemper colui, Dei mater, longiúſque à ſtatione errantem ſcapham diuiniore flatu ſuo ad tutiora compulit. Ita perpetim mitis & benigna Domina noſtra eſt, lapſos erigit, & ſeruatum it eos ipſos, qui ſe perdunt. Tu hîc obgannis: aſt ego & euentibus omnis æui & exemplo meo non vno doctus, credo, ab hac vnâ, poſt illum, omne bonum.

CAP. V.

An ſenſus ſuos de Religione apud Battauos preſſerit.

REDANIVS. Senſus de Religione tuos intimos, quoad vixiſti in Battauis, ſtudioſè pertinacitérq; preſſiſti; memor, & ſuperioris temporis exemplis doctus, quid tibi à feritate Hiſpanicâ, ſi quando ſuperior foret, immineret. Nunc nihil eſt in partibus illis tam vanum, ſuperſtitioſum, anile, abſurdum, quod non præ te feras, profitearis, laudes, propugnes.

LIPSIVS. Subſtringe aurem breuiter ac liberè dicturo: ſi quid non ad gratiam aut guſtum tuum erit, ſuſtine & tolera. Preſſi apud vos de Religione mẽtem meam. in quo ſi ſilentio peccaui, peccatum fateor. neque hoc ſilentiũ meum, teſtatione vnâ, vbi tempus fuit, leniui, ſed ſpongiâ deleui: imò pro timore meo vano, meliora maioráq; illi genti repoſui. Neque ego aliam perſonam nunc indui, veterem exui. Semper mihi (ô tu qui vides & ſcrutaris has fibras!) ſemper ſtetit infixa menti Religio vera, à maioribus tradita. quam & palàm loquimur & profitemur. ſemper hic ſenſus, antiquare in Religionẹ, &

cum maioribus ſapere: nec hunc calumnia aut vis vlla, non dicam exuet nobis, ſed exuret. Neque eo tamen inficias, non ſemper palàm profeſſum. quo bono, aut cui? Semper hoc videndum ciui bono, ne ſine emolumento Reipublicæ & ſuo; imò ne omnino res eat turbatum, intempeſtiuâ licentiâ, aut ardore in fumum abituro. Diſplicent in Republicâ non pauca, fors & pleraque omnia; videat an malo remedium reperiat. Non inuenit? ſed nec perimat ægrum corpus, & quod inualetudine ſuâ extrema minatur. Prudentis medici eſt, in deſperatâ valetudine, non adhibere deſperata medicamina, quæ plerumque tardè gradienti ægro, præcipitio conſulunt. ergo naturæ illum relinquit, & ſuggerit quædam in robur & leuamentum, ſi fors victrix natura mali, pulsâ quâ opprimebatur malignitate, reualeſcat: aut vt ægrum ſuum paullatim robuſtiori medicabulo paret, dum creſcunt vires, generoſiori medicamini reſpondentes.

At LIPSIVS *hìc tacebat*. Ita ſoleo: nec monita ſpargere non audienda. Ego qui ſum, qui aduerſo ferat æſtu & ventis? aut qui turbatum iam flumen, turbem etiam magis? heus bone, non ſoleo. Audire, & vbi res tempúſque ferunt monere; hoc ſoleo: ſi negant, ſi deeſt concio, tranſire, quaſi non mea, quaſi aliena, quaſi alterius foculi ahenum, alterius cellæ vinum. hoc ſoleo. hoc meum. hoc LIPSI eſt, eritque cum bono Deo, à quo hæc manant, ad quem & refero, cùm vni illi debeam.

Verùm ſilui: & repreſſi intimos ſenſus meos de Religione, quoad apud Battauos vixi. Factum. nam cui retegerem, aut quo bono? æuum & homines ignorare mihi videntur, qui aliud volunt à ſilentio. & rerum hic ſtatus, non viros quærit, qui audire norint & ſilere? an à ſcholâ & vmbrâ adoleſcentulos, quibus omnis prudentia in linguâ? Miſerum LIPSIVM, qui in hanc ætatem inciderit, in quâ nihil tam prouidè fieri poteſt, quod non vellicare malignitas conſueuit. Ego in eâ Republicâ prudenter de Religione verbum inijcerem, quæ variam in primis & miſcellam Religionem induxit, ſtabiliendo vt putabat ſceptro? ego meam interſpargerem, qui vnam, & vnam tantùm, in vnâ Republicâ ſemper probaui? qui riſi

Ægy-

Ægyptios Reges? O fatuos! Vnionis auctor Religio vna; eâ confusâ ſemper turbæ. ita ſenſi, nec quidquam muto. tu variam dilaudas, & quæ ex cuiuſque voto fabricata: quia libertatis hîc ſpecies. ego hanc à Republicâ repellendam iudico. Vter iuſtiùs?

Nam quod de libertate inclamas, vbi prudentia tua, ſi eam in cuiuſque delectu ponis? etiam criminum? etiam ſcelerum? etiam immanium flagitiorum? nam ſi in his libertatem tollis, & præſcindis hunc funem, quid reſpondebis? Liber homo natus eſt, & in manu iudicij ſui poſitus: tu quid negas, quod natura illi conceſſit? Bono illius negas? quid ſi ille nolit hoc bonum? imò, permitti ſibi quod vult velit, tamquam bonum; cùm ſibi perſuaſerit, omnis faſtigium boni, in quiduis agendi libertate conſiſtere? Quid reſpondebis inclamanti; Quid libertatem adimis, qui non conceſſiſti? naturæ munere hanc accepi: quid inuolas in illius dona? quid conceſſam violentas poteſtatem? Tu verò nihil his motus, improbam, & in Reipublicæ perniciem natam libertatem tollis, etiam propoſitis pœnis. quid ergo libertatem concèdis in delectu ſummi Dei? aut quod crimen maius, inuolare in alienas facultates, ſanguinem fundere, an de Idololatriâ cenſeri? alij Deo cadere, alij ſupplices manus tollere, alij litare? hoc volo, alium pro Numine, optimo, maximo habere; verum Numen negare? In Republicâ veſtrâ, ſi magiſtratus, ſi Imperatores bellicos publicè deſignatos, non admittat priuatus aliquis, aut è mente ſuâ alios deligat quibus pareat; non continuò crux & ignis? & in alterius Dei delectu, nemo vel crinem turbet? Iam quid aliud volunt, qui in fidei rebus, pro ſuo ſinguli arbitratu, aliud atque aliud ſtatuunt? nam ab vno Deo, non niſi doctrina eadem: hanc eademditatem quicumque tollit, & pro illâ variam mutuoque pugnantem ſtatuit; varios, neceſſum, mutuoque pugnantes, primos ſummoſque pugnantium rerum auctores ſtatuat. neque enim ab vno Deo, ſi Deus eſt, de vnâ eademque re, tot aduerſantia, inuicemque ſe interimentia pronuntiata enaſci poſſunt. Et Deus, ſi Deus eſt, verus eſt, adeoque ipſa veritas eſt. at hæc vna eſt, ſi veritas eſt; plura falſitas admittit. Verum quid-

quid eſt, non niſi vnum eſt. Quis ergo paullò prudentior probare illam Rempublicam poterit, quæ plures, id eſt falſos (nam id conſequitur) deos inſtituit, firmandi ſui cauſsâ? facit hoc, quicumque plures Religiones ſtatuit. Vnius enim Dei, cultus vnus, Religio vna, doctrina vna eſt. Non mihi ergo talis Reſpublica, ſed tyrannis. nam legitima illa ſalutem ſubditorum præcipuum habet, imò vnicum finem. In hoc ergo omnes miſcellæ Religionis Reſpublicas culpo, non modò vt impias, ſed etiam vt improuidas. nam quæ hæc ſecuritas ab alienâ turbâ? à diſſentientibus in ſummâ re animis? infirma. Neque ego Rempublicam vllam perennaturam putauerim, vbi in animorum diſſidijs aut odijs, ij qui regunt, qui reguntur. partes enim factionéſque erunt: & in te hi vel illi inſurgent, ſi tu pronior in hos vel illos. exemplo illud Ægyptij docuerunt. & quod regnum magis anceps, varium, imò & cruentum, quàm illud, fuit? hiſtoriæ legantur. Expecto quid tu reſpondeas, & quo acumine hæc expungas. Decurris ad Iulianum? non nego, exemplum eſt, veſtro ſimile. numquid probum? Ammianus ita narrat: *Vt diſpoſitorum roboraret effectum, diſſidentes Chriſtianorum Antiſtites cum plebe diſciſſâ in palatium intromiſſos monebat, vt ciuilibus diſcordijs conſopitis, ſuæ quiſque religionis ſeruiret intrepidus. quod agebat ideò obſtinatè, vt diſſenſiones augente licentiâ, non timeret vnanimantem poſteà plebem: nullas infeſtas hominibus beſtias, vt ſunt ſibi feralibus pleriſque Chriſtianorum, expertus.* Nota, nota. Duo ſpectauit. primùm, ſecuritatem ſuam ab hoc Chriſtianorum diſſidio: ſecundò, exitum ipſum Religionis, quam licentiâ hac ſecabat, & quaſi deducebat in varios doctrinarum riuos, vt ingens illud magni Veri flumẽ tolleret. Hęc Iuliani mens, quam Optatus Mileuitanus præuidit, & aperuit: *Eo modo putans Chriſtianorum nomen poſſe perire de terris, ſi vnitati Eccleſiæ, de quâ lapſus fuerat, inuideret, & ſacrilegas diſſenſiones liberas eſſe permitteret.* Tu hæc ſi probas, parùm Chriſtianus es; ſi improbas, parùm ſanus es, qui imitaris: vt quid enim hanc lunam in te trahis? Et fide bonâ, quid magis Rempublicam firmat, quàm eorum qui præſunt, qui ſubſunt, animus vnus? & in vnâ re, ſummâ re, firma colligatio? Quid verò magis animos colligat, quàm

quàm *vnus Deus, vna Fides, vnum Baptiſma?* Hic amor non à ſuperficie natus, qui quolibet vento deuertatur, ſed ab intimis fibris, quem nemo ſine fibris ipſis euellat. Atque hi tales *ſolliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis*. Contrà vbi hæc varia, non ipſi dicunt, qui pro te dicunt, Ægygyptij Reges & Iulianus? qui palàm fatentur, diſſentientes religiones induxiſſe, vt ſubditi diſſiderent? Tu ſi potes, aliud ex his euince, & doce pugnantes Religiones inducendas, vt ſubditi colligentur: nimirum per conciones & lectiones pugnantium doctrinarum: quæ quid ſunt niſi flabra atque incitamenta turbarum? doce non eſſe. doce non facilè diſſentire in externis, qui in ſenſu interno, & in ſalutis ipsâ ſummâ. Repeto. moue hanc omnis benè inſtitutæ Republicæ anchoram, & firma ſi potes nauem. neque enim fieri poteſt, vt in tantâ varietate adeò ex æquo librata ſit omnis Religio, vt non vna alteri præualeat. quæcumque talis eſt, non patitur æmulam? quæcumque ſubiacet, extra metum eſt? Silet fortè hæc oppreſſa. reſumptura animos, ſi creuerit. ſi par priori, aut ſuperior, an tacebit? exempla docent. Heu meum Belgium! orbi ludibrium debes. O Regnorum ille flos, vt emarcuit ab hoc vario imbre!

De ſuperſtitione quid dicam? Cicero tibi lumen præfert, ne quid libero nimis pede vageris: *Religioni parendum eſt, nec patrius mos contumaciter repudiandus eſt*. Et mihi quidem ſedet, pio maiorum ſenſu, omnem hunc, qui apud nos eſt, cultum è ſalutis noſtræ principibus defluxiſſe; etiam actiones, & quæ circa eas, tempora dico, modos, ornatum, ſplendorem forinſecus, aut in ipſis adytis. Tolle hæc, quæ tu vno Superſtitionis nomine, refluet omnis exterior cultus; & cum hoc quidquid eſt internæ venerationis. Hinc Deus ab omni æuo prouidentiſſimâ curâ prouidit externum ritum: ne remoto hoc flabello, omnis cæleſtis ignis innatus animo, abiret in fauillas. Neque in vnâ Religione hoc tantùm: in omni politico corpore eadem videbis. Seca quidquid externum, momento interna ruunt; & iam Regna nulla, Imperia nulla.

Verùm aliud olim dixi. O quoties eadem! Auguſtinus, antè Manichæus quàm noſter; Ambroſius antè deorum cultor

cum Conſtantino: & Gallia ante Dionyſium qualis fuit? illius Reges ante Remigium quales? quales ante Seruatium & Maternum Belgæ, ante Willebrordum Battaui? *Dixi tamen aliud.* Dixerim; & fors etiam ſcriptis aliud exciderit. non pœnitentiam olim talium ago? atque hæc non ſatis eſt ad dicta ſcriptáque illa omnia vnâ ſpongiâ eluenda? nec nouum in iuuentutis calore, calida quædam, & tamquam à muſto ſpumea euaporari, quæ maturior ætas purget ab omni fæculentiâ. Et quis veſtrûm, cuius non aliquod dictum factúmque iuuentutis primæ, quod pœnitentia pòſt correxerit, quod factum dictúmve nollet? Ac neſcio, an humanum ſit numquam labi. Audi eloquentiæ flumen: Οὐκ ἔστιν ἄνθρωπον ὄντα, χωρὶς ἐλαττώματός τινος εἶναι. *Hominum nemo vitio caret.* Audi Suidam: Μηδὲν ἁμαρτεῖν, ἐστὶ θεῶν, καὶ πάντα κατορθοῦν. *Deorum eſt, non peccare, & cuncta rectè facere.* Neſcio denique an humanum, primæ illius ætatis,

Dum roſeis venit vmbra genis, vultuſque recedunt,

ceſpitationes obiectare viro. Hac enim ratione, & iuuentutis ignorantiam, infantiæ inſcitiam, cunarum balbutiem, faſciæ ſordes obiectabis viro. quod quâ prudentiâ, tu iudica.

Quamquam ſi procul calumnia, & adnatus magnis liuor; vel me tacente, libri docent, quid in mediâ Battauiâ de Religione, & vnâ Religione ſenſerim, nullius purpuram, nullius ferrum veritus. nec erubuit calamus palàm teſtari, quod ab vberibus altiùs imbiberam, quàm ciuilibus his nimbis exhauriri poſſet. Lege quiſquis verum amas: nullius iudicium reformido, tantùm inuidia & odia ſemoueantur.

CAP. VI.

An nomen Chriſtiani in Mariani mutet.

REDANIVS. Nomen in Baptiſmo datum tranſcribe Matri, & auctoribus ducibúſque Ieſuitis, da te in Sodalitium Hallenſe: vt ijſdem ſacris initiatus, dehinc pro Chriſtiano

ſtiano dicaris mitiore vocabulo Marianus; aut, ſi vis breuiùs veriúſque,

Vnum de medio tollere iota potes.

LIPSIVS.

Bacchum in remotis carmina rupibus
Vidi docentem (credite poſteri)
Nymphaſque diſcentes, & aureis
Capripedum Satyrorum acutas.

Hos inter auritos Satyros, noſter hic feſtiuus poëta. At tu quicumque hunc vides;

Fenum habet in cornu, longè fuge: dummodò riſum
Excutiat ſibi, non hic cuiquam parcet amico.

& mihi fucum hæc faciant? Alijs ſcurrilitates tuæ, alijs. ego illas credo ab audaci aliquo & malè ſagaci ingenio, à temulento deructatas pectore: quas à compotoribus propinatas, tam malè ſtomacho mandaueras, vt neceſſum fuit regerere. & dum hæc ſpargis, feſtiuus admodum tibi videris: at nos riſimus camelum ſaltantem. O bone. *Omnes videmur nobis ſaperdæ, feſtiui, belli, cùm ſimus copreæ.* An me, an quemquam, cui cerebrum in capite, pudeat aſſcribi in ſodalitium Dei matris? an pudeat vocari Marianum? Qui matris, filij eſt: qui Marianus, Chriſtianus eſt. Et quod tibi nomen ſanctius, Lutheri, Caluini, an Dei matris MARIAE? quod ſodalitium, huius an illorum? Æole non eſt hîc locus tuis flabris: alias terras & maria cogita. Speraueras riſum theatro: feſtiuiùs de compitis ſcurra, aut de piſcario ſcammate effrons muliercula. *Lipſius pro Chriſtiano Marianus, aut Maranus.*

Euge tuum bellè: ſed bellè hoc excute totum:

quídnam intus habet? Pulmentum pueri huic graculo. ego quid dabo? dictum vetus:

Qui captat riſus hominum, famamque dicacis,
Fingere qui non viſa poteſt, ——
—— hic niger eſt, hunc tu Romane caueto.

cuius ego ſi mores, ſi vitam ſpectandam dedero;

Quàm timeo, victus ne pœnas exigat Aiax,
Vt malè defenſus.

 Nolo

Nolo conuitium conuitio, ſordes ſordibus eluere: at ne falſis quidem vera reponere. Equidem

Vt ſis tu ſimilis Cæli Byrrhique latronum,
Non ego ſim Capri neque Sulci: cur metuas me;

cur hæc in nil merentem conijcias probra. Et vis tamen in omni hoc riſu tuo mentem meam? vis verbo? Dei ſum. Dei matris ſum. imò quia matris ſum, Dei ſum: neque enim matris eſſe poteſt, qui non eſt filij; nec filij, qui non ſit matris.

Huius ero viuus, mortuus huius ero.
Sed tibi, crede mihi, cornua rurſus erunt.

Poſt omnem hunc cachinnum, aperi te tantùm, noménque tuum. quid erubuiſti? aperi. fors in illo reperiemus cachinnabiliora. aures albas, bifidos pedes, cornua, & barbulam. retege altum à ſanguine nomen Arcadiæ matris. Achilles an eius frater es? Hercules an Cacus? Quid refugis? palles. ita ſolent qui furti tenentur. Amicus es? quid amicum vereris monitorum auritiſſimum? Hoſtis es? quin palàm congrederis, ſi vir es? imò ſi eſſes, iam frontem oſtentaſſes: nec à decem paſſuum millibus, ſed cominus, cominus inclamaſſes:

——Ego hanc machæram mihi conſolari volo,
Ne lamentetur, néve animum deſpondeat,
Quia ſe iam pridem feriatam geſtitem,
Quæ miſera geſtit fartum facere ex hoſtibus.

Aude pedem pedi. en me. Quid quæris oculos, quorum præſtringas acies? en me, tantùm aude. egredere. O virum

Fortem, atque fortunatum, & formâ regiâ
Tum bellatorem,

qui nomen tam enixè tegit ſuum! nam ego poſthac dicam

Pyrgopolinicem te vnum in terrâ viuere
Virtute, & formâ, & factis inuictiſſimis.

qui numquam hoſtem videris. Interim, ego tibi, quicumque hæc leges, edico fide optimâ:

Periuriorem hoc homine ſi quis viderit,
Aut gloriarum pleniorem, quàm illic eſt;
Me ſibi habeto: ego me illi mancupio dabo.

CAP.

CAP. VII.

An ingenij dotes ſubmittat Idolo Hallenſi.

REDANIVS. Largiſſimas ingenij animíque dotes, largiſſimâ Dei manu in te collatas, veluti faſces ſupremi in litteris honoris atque imperij ſubmittis Idolo Hallenſi; & talenti tui diuinum munus defodis ad eius aram.

LIPSIVS. Hîc feris, ibi palpas. nimirum: * Ἐκ τοῦ αὐτοῦ ϛόματος βρύει τὸ γλυκὺ καὶ τὸ πικρόν. O te Ioabum, Abnerum Lipſium! Sed hîc cùm tibicinem ad oſtium Lipſij canere iuſſiſti, ad Diuam deflectis, in quam deſæuias. & quid tibi cum iſto axe? quid culici cum elephanto? quid hîc fauos ſpargis & fella miſces? quid roſas, & ingenij mei mulſa, quid litterarios faſces ſubſternis Idolo? At ego id facio, qui ſubmitto Idolo Hallenſi. Cornua tibi eſſe putabam; nunc mugis, vacca es. Tam ſtolida à te? imò tam fatua ab homine? Nullum mihi Hallis idolum. neque hoc diceres, ſi ab Apoſtolo idolum didiciſſes. Imago ibi Diuæ meæ, Dominæ meæ, cui poſt Deum, Dei matri, SALVTIS & CLEMENTIAE non vnam aram debeo. Ringere: & ſi voles, cum Iſchariotâ diſrumpere. Ego illi, quidquid in hoc pectore eruditionis, macto victimam; felix, ſi admittat. Ego illius pedibus, quidquid hîc ingenij, ſubſterno arenam; beatus, ſi calcauerit. Ego hæc talenta, diuinum munus, defodio ad illius aram, quæ etiam ſeruatum it eos ipſos qui ſe perdunt. Ego eruditionis (fas ſit ita loqui) ſtellas omnes ſpargam & defigam in hoc ſecundo cæli vertice. Sed & huius Diuæ, Dei Matris, quæ Hallis eſt, effigiem venerabor. Factum hoc Imperatoribus, quorum imagines in ſignis, & effigies etiam in caſtris: atque ad eas exteri ducebantur; & in obſequij ſignum venerabantur, ac tamquam præſentem adorabant. Tacitus Annal. XV. *Medio tribunal, & tribunal effigiem Neronis ſuſtinebat. ad quam progreſſus Teridates, cæſis de more victimis, ſublatum capite diadema imagini ſubie-*

** Ex eodem ore dulce & amarum manat.*

ſubiecit. & ego verebor, Diuæ noſtræ, Dei Matri, imagines aráſque ponere? venerari? non ſi te tuóſque omnes rediuiuos patiar Achitofelos:

Quales nec ſtatuas imagineſque,
Aere aut marmoribus, coloribuſque,
Mentor, Praxiteles, Scopas dederunt:
Quantas nec Polycletus ipſe finxit,
Nec fit Phidiaco figura cælo,

tantas, maioréſque etiam dabo; ſi non ære, aut perituro marmore, calamo hoc, & LIPSIANO (abi inuidia) calamo æternùm cum bono Deo perennaturo. Sed neque res mihi magna vlla, ſine hoc ſidere, Dei matre: addo, nec Chriſtianorum vlli. Vt enim Architectis opus nullum rectè proceſſerit ſine libellâ ac lineâ: non item mortalibus nobis, ſine normâ hac directrice.

CAP. VIII.

An coactionem in Religione inducat.

REDANIVS. Libertatem apud nos (nec aliud in ore tuo) eóque nomine Ordines huius aſſertores probare & laudare tibi ſolenne. homines nos eſſe, ratione non ferro ducendos; liberos nos, ac proinde liberam Religionem, liberum de Deo ſenſum. nunc ad vnam aliquam arbitraris cogendos. Hanc mentem ſi repreſſiſſes, veniâ dignus eras; nunc cùm ad eamdem, tamquam face, Principes accendas, quis perferat niſi ſeruus natus?

LIPSIVS. Hic vnguis in tuo vlcere. Quid inclamas?

Da ſpatium tenuemque moram, malè cuncta miniſtrat
Impetus.

tecum habita. te, teipſum in concilium aduoca, damnabis hunc damnatitium tuum æſtum. Et quod tibi tuíſque aſſiduè in ore, Auguſtinus refellit: *Fruſtrà dicis, Relinquar libero arbitrio. cur enim non in homicidijs, & ſtupris, & quibuſcumque alijs faci-*

Contra Creſcent. cap. 51.

facinoribus & flagitijs, libero te arbitrio dimittendum eſſe proclamas? quæ tamen omnia iuſtis legibus comprimi, vtiliſſimum eſt. Dedit quidem Deus homini liberam voluntatem: ſed nec bonam infructuoſam, nec malam voluit eſſe impunitam. Quid ſi exempla etiam huius coactionis? Non Deus ipſe Iudæos coëgit ſacra & cærimonias ſuas agnoſcere? non igne, ſerpente, ferro reluctantes coërcuit? & quiſquam hîc mihi Deum damnabit? mulcentem volet, non minitantem, non cogentem? Quid? vos ipſi quoties hoſtes iudicaſtis, qui ſacra veſtra aut non ſuſceperunt, aut alia delegerunt? quoties capite conſtantiam luerunt, qui maiorum placitis fortiùs inſtitiſſent? Notum illud apud vos, *Libertas.* at quis veſtrûm eam conſecutus, Catholicis, id eſt nobis, verè Chriſtianis, verè Romanis, verè Apoſtolicis, libertatem aut permiſit, aut cùm poſſet non ademit? aut demum leui verborum compulſione contentus, intra minas ſe tenuit? Quoties ignes ſenſimus, & Decianis ſæuiora flagra? Dionyſianis truculentiores gemitus? Neronianis immaniores proſcriptiones? Leuiáne hæc à Libertate mala? Verùm tu hæc ne attingis quidem: & ſi quando à nobis auditis, nugas & nebulas verborum offunditis, & dimiſsâ vbique accuſatione noſtrâ, bellorum ciuilium fortunam opponitis. Et ego nolo nunc hæc triſtia; audiamus de re ipſâ Ambroſium: *De negotijs ciuilibus ſi quid ſtatuitur, nemo putat eſſe violandum; & præceptum de Religione calcabitur?* Quid, quòd pœna in ciuilium denuntiationum tranſgreſſores: & nulla erit in Fidei imperia temerantes? maximè cùm nulla res æquè ciuilem ac politicum ſtatum immutet, ac Religionis innouatio: neque ab aliâ re maius periculum imperijs ac ſceptris, quàm ab innouatâ religione: magis etiam ab effusâ quiduis credendi & docendi libertate. Hinc apud omnes gentes coërciti ac puniti religionis nouatores. Nihil hîc de Athenienſibus, Romanis, reliquis, dico: Iudæi, qui proximi ad ſacra noſtra, quàm hîc duri? nec cohabitationem admittunt cuiuſquam à patriâ religione diſſidentis. Quid in Eccleſiâ Chiſtianâ veteri? Licentia effuſa numquam fuit, poſtquam illa Principes habuit Chriſtianos; imò correctio ſemper in nouatores

 fuit,

fuit, aliàs alia, pro tempore ſcilicet aſtricta magis aut remiſ-
ſa, próque innouatione lenis aut ſeuera. Exempla dabo. no-
ta vetera: & recentia tangunt propiùs; nec vlla magis, quàm
quæ domi noſtræ nata. Quare cùm nulli vobis propinquiores
Anno ſint, quàm maiores veſtri vobis, vos vobis dabo. Ioannes Mat-
1532. thiæ Harlemenſis, nouus orbi Enoch, quantas Amſterodami
Anno turbas dedit? Haud diſſimiles Ioannes van Gheel in eâdem ci-
1535. uitate: arcem in eâ, & regni ſui ſedem habiturus, ni fortiter
obuiàm itum eſſet: & ſtetit hic religionis prætextus ciuibus
Anno magno ſanguine. Iam Ioannes Leidenſis ſartor, quàm ſcele-
1534. ſtè Weſtphalis impoſuit, cùm ſe Iſraëlis iactaret Regem, ve-
teribus promiſſum, vt eriperet ſuos è diutinâ ſeruitute? at ni-
ſi potenti exercitu Imperij Principes, Monaſterium noui Im-
perij ſedem obſediſſent, recepiſſent, ipſúmque & aſſeclas di-
gnis ſupplicijs affeciſſent, magnas Europâ totâ flammas ſpar-
Anno ſiſſet, non vno ſæculo delendas. Et Dauid Georgius Delfen-
1544. ſis, officio vitrarius, vibex & macula ſuæ gentis, qui ſe Spiri-
tum ſanctum cælo miſſum, & à Filio antè promiſſum pro-
clamabat, non res ſemel mouit tam fatuo commento? Nec
diſſimilis fraudis impoſtor alius Hermannus ſutor, qui ſe
apud Friſios cæleſtem Patrem palàm aſſereret, & Cornelius
Int-kerckhof, qui ſe tanti patris cælo natum filium impuden-
tiùs an ſtolidiùs iactaret, non Rempublicam mouiſſent, ni
Anno occurſum tempori foret? Quid Theodorus ſartor? auſus eſt,
1535. inauditâ ſæculis impudentiâ, ſe, ſocios, mulieréſque comites,
palàm oſtentare nudos, quòd veritatem negaret tegendam;
nudam illam eſſe, aſpernari abſcondi. nec defuiſſent qui cre-
derent, niſi Magiſtratus prudentiâ extinctus hic minita-
** Illud ve-* bundus ignis fuiſſet. Hæc ſtolida hoc æuo. * Τοῦτο γ' ἐστὶν ὑπερ-
rò eſt om- βολὴ μανίας. ô noctes prudentiores hoc monſtro! erubeſcant
nis culmen vel emortuæ lucernæ ad tam fœdam caninam proluuiem
inſaniæ. Henrici Nicolai. non ſuffunditur homo, non nupta, non vir-
go, ad alienos amplexus: nihil hîc intactum, nil ſanctum,
non thorus, non ſanguis, non pater, mater, ſoror; prout ſors
dederit, & impudentes tenebræ. Plura vetat pudor. & hic ta-
men quàm non ſemel vniuerſam propè Reipublicæ ancho-
ram mouit, ni occurſum impudentiſſimæ libidini foret? At-
que

que hi omnes, ſub purioris Euangelij, & à fæce ſuâ ſecreti, nomine. ita plerumque ſub honeſto hoc velamine, latent ſpurcitiæ, impietatis, ſcelerúmque ingentia maria: tegitúrque hoc quaſi mantello improbitas omnis. retege: nec iam de religione bella vlla. & Paullus Æmilius in Phil. 11. pro me retegit. *Nihil in ſacris bellis perinde obfuit, atque mos iam exortus, vt honeſtá præſcriptione ſuas quiſque reſpiciat res. In ore omnium ſanctum piumque verſetur: conſilio, conatu, animo, ſecùs afficiantur. Si de Religione tantùm agatur, ſi obliuio noxæ ſanciatur, ſi ſanatis mentibus fortunis hominum abſtineatur, omnes idem ſentiant.* Credas vatem fuiſſe, & ſcripſiſſe in hoc æuum: debebatur nimirum hæc peſtis ætati noſtræ, vt tot portentorum mater, ignara antè monſtrorum, fieret Battauia, armarétque in ſua viſcera filios: & armorum honeſtæ aquilæ, Euangelium; & lapſæ iam ac cum ætate ſeneſcentis, aut emortuæ fidei, iuuenatio. O quando ſerenior nos cælo aura reſpiciet, & diffiabit, quibuſcum luctamur, fluctus! neque enim tam acria, tam diuturna bella pugnata legimus pro Religione. Iuuenalis pro monſtro habuit, duo oppida in Ægypto concurriſſe inter ſe ob hanc cauſſam, & id dignum Satyrâ cenſuit: quid nunc ſcriberet vbi Europa pænè tota?

——Pariter ſtabulare bimembres
Centauros, vnáque ferunt Cyclopes in Ætnâ
Compoſitos; ſunt & rabidis iura inſita monſtris
Iusque ſuum.

& nos, infelix Belgium, vnius Religionis obtentu, tamquam militari exciti teſſerâ, euolamus auidi in amica olim viſcera, in ſocium ſanguinem, in vnius vteri nexum, orbi fabula & luſus. O mea Battauia, vbi candor, morúmque ſimplex ſuauitas? Decurrimus ad arma; &, audeo dicere, armorum cauſſas neſcimus. Obtenditur *Libertas* & *Religio*. Nomina ſunt & ſparſæ in medium nuces, irritamenta puerilium diſſenſionum. Et quis, amabo te, vos impulit ad innouandam Religionem? neſcis à nullâ re maius periculum imperijs & ſceptris? Exempla domeſtica dedi: at tu, vt video, externa expectas. Dabo. Ægyptius, ſub Claudio, non triginta hominum millia ſibi adiunxerat, Ieroſolymam regiam habiturus,

turus, ni à Floro Præſide fortiter obuiàm itum eſſet? Haud diſſimile Marici illius factum ſub Vitellio in Galliâ; Emmanuelis Abrahami dicti in Africâ, quo etiam Marocenſium Regem regno & vitâ ſpoliauit. Apud Turcas, nónne aliquoties res motæ hoc prætextu? Schacoculis & Calender Zebelis, pluréſque in illo imperio, non ſat magna innouatæ Religionis documenta? Quid Germania noſtra? Zuinglio ductore, quot ſuorum funera vidit religionis obtentu? centum millia ſi dixero, nihil dixero: ita paſſim deſæuijt hæc peſtis. Quot Sueuia, & circumiacentes prouinciæ, Thomâ Muncero duce? Iam Miſnia, Morauia, Luſatia, Auſtria, Sileſia, Hungaria, Polonia, Suecia, Dania, Bohemiæ ante omnia regnum, Ziſkâ & Procopijs ductoribus (quaſi deeſſet cælum quo rigaretur, quo tamquam vbere lactaretur) quàm triſte oſtentauit ſolum ſanguine ſuorum fecundatum, vnius religionis prætextu? Cùm ſæuirent Orebitæ, Thaboritæ, Orphani; cùm tot ſexus omnis myriades terram propè integerent, & ſanguinum quædam maria protruderent; non ſatis hæc ad omnem poſteritatem erudiendam, & nouitatis auctores acrioribus etiam pœnis coërcendos? Vt iure hîc concludam Liuiano dicto: *Nihil in ſpeciem fallacius, quàm praua religio, vbi deorum numen prætenditur ſceleribus.*

Anno 1525.

De Libertate; quid dicam? Qualis illa, quæ momento omni pendet ab armatâ militis dexterâ? adſit modò dux, non deerunt qui ſequentur. Vnus aliquis candelam præferat, aderunt extemplò faces & ignes, quibus Reſpublica, palea & aridum ſeditionum lignum, ardeat vniuerſa. Quæ ergo libertas, in alienâ manu, militis manu, & externi militis manu; quem nec ſanguis patrius, nec patria pietas, reuocet ab excidio?

Sed iam tibi, ô æterna Sapientia, *lætus, lubens, laudes ago, grates gratiasque habeo*, quòd duce te euaſi ex illis ſalebris, & loca deueni, per quæ facilior mihi tutiórque ad te curſus. Hîc viuo, Deo, patriæ, amicis, mihi; apud veteres Grudios, veteres amicos, ac propè ciues. In hoc ſcientiarum nemore, mecum & cum Muſis in gratiam redij: & eminus ſpecto nubes iam iam ruituras. Auerte, qui potes, Deus.

Verùm

Verùm ad calumniam. Ego in Religione libertatem aut illius aſſertores probare ſolitus? quouſque odia? cuius hæc verba, VRE, SECA? potui fortiùs? ego religionum pro cuiuſque arbitrio delectum? in re medicâ, & politicâ gubernatione non interitus ab hoc libero arbitratu & delectu? & in Religione ſalus ſtabit cum hac arbitrariâ prodigioſâ ſequelâ? aut tantarum religionum inuicem pugnãtium auctor Deus vnus? aut ad vnum mutuò ſe interimentia placita?

CAP. IX.

An Vſtionis & Sectionis auctor.

REDANIVS. Homo mitis, qui lenitatem paſſim profiteris, ac ipſo vultu Stoïcam quamdam lentitudinem, vſtiones nobis ac ſectiones inclamas, Iberici conſilij teſſeram.

LIPSIVS. *Πρὶν ἐσφάχθαι, δέρεις. Legiſti mea? ſi non, næ tu inſigniter impudens es, qui non lecta carpis: ſi legiſti, malitia tua immanis eſt, appingere quæ nec cogitata ſunt. & tamen hîc, ſi vſpiam, triumphas, & inueheris albis equis. Ego quid? teneor, nec orci me galea teget. nimirum: *Jn Religionis negotio, in quo libertas cuique ex voto, ille ſemper clemens, & modeſtus, cultros & ignes admouet.* Quid dicam? aut quæ verborum moderatio effrenes tuos impetus cohibeat? Vt calx aquâ accenditur, ita tu efferaris temperanti omni ſermone; neque tamen ſilentio hîc tueri me debeo. Quid? ego tibi ſum ille Cyclops, Phalaris, cui ludo & ioco ſanguis humanus? tu homo in hac luce temporum, audes hæc ſic palàm mentiri? quaſi nemo eſſet, qui mea legiſſet, aut legeret. Admoue cucurbitas, aut periſti: neque enim tibi hîc ſinciput ſanum eſt. intereà hæc à me habe: Quicumque ſedatè mea legerit, nec ſæuitiam nec lenitudinem increpabit: & fatebitur viam præſcriptam, quam bono generis humani iniuerint hodie qui regnant. Fatebor

*Priuſquã occideris, excorias.

tamen,

tamen, in lenitudinem ſemper pronior. adeò, ſi peccandum, in hac parte malim, quàm in aliâ.

Et tamen, *Vre* & *Seca*. Num ferrum ſtatim in omnes & ignem? O bone, non. ſed pro modo delicti coërceri volo & puniri; patrum in primis exemplo; quando à vanâ Religione turbæ & diſſidiorum faces accenſæ. In Lucretio non legiſti,

—— quòd ſæpiùs olim
Relligio peperit ſceleroſa atque impia facta?

Hæc vbi denata, an non ſecandum cenſes? vis parci? vis ſemper? etiam cum Reipublicæ interitu? Leidæ, Lewardi, Amſterodami, Monaſterij, annis 1533. 1534. 1535. voluiſſes parci, voluiſſes omnibus? Non tunc plerique rogati quid in viſcera ſua ſæuirent Battaui, reſponderunt, non fortiùs quàm prudentiùs,

Neglectis vrenda filix innaſcitur agris?

& tu (aude) damnas Reſpublicas, quæ has peſtes ſuſtulerunt? Voluiſſes ſeruaſſe? quæ hæc clementia eſt, paucos ſeruare, vt plurimi pereant? Vera veriùs clementia eſt, paucos tollere, vt ſerues plurimos; paucos reprimere in nequitiæ ſuæ curſu, ne ad alios malum ſerpat. Monet Seneca: *Si cogitaueris tecum, remedij cauſſâ quibuſdam radi oſſa & legi, & extrahi venas, & quædam amputari membra, quæ ſine totius perniciе corporis hærere non poterant*; hoc quoque patieris probari, nullam eſſe ſæuitiam, vt *qui viui noluerunt prodeſſe*, morte certè eorum *Reſpublica vtatur*. & alibi: *Quædam haſtilia detorta, vt corrigamus, adurimus; & adactis cuneis, non vt frangamus, ſed vt explicemus, elidimus: ſic ingenia vitio praua dolore corporis animíque corrigimus*: eóque magis, quò ingenij grauius malum eſt.

Antè tamen quàm ad hæc extrema, verbis, monitis, præmijs, minis etiam emendatio tentetur; nouiſſimè ad pœnas, Seneca. & quidem lento gradu: exemplo medici, qui, vbi *fruſtrà molliora ceſſerunt, ferit venam; membrísque ſi adhærentia nocent, & morbum diffundunt, manus affert: nec vlla dura videtur curatio, cuius ſalutaris effectus eſt*. Dura tamen hæc ſectio. Reſponde In Scorpiac. Tertullianus: *Horrorem operis fructus excuſat. Vlulans denique ille & gemens & mugiens inter manus medici, poſtmodum eaſ-*

dem

dem mercede cumulabit, & artifices optimas prædicabit, & ſæuas iam negabit. idem faciet Reſpublica, valetudini, id eſt tranquillitati reſtituta. Graue tamen illi qui patitur. A Tertulliano lenimentum capiat: *Medicinæ præſidium plures refugiunt, plures ſtulti, plures timidi, & malè verecundi. Et eſt planè quaſi ſæuitia medicina de ſcalpello, deque cauterio, de ſinapis incendio; non tamen ſecari, inuri, & extendi, morderique idcircò malum, quia dolores tibi adfert. nec quia tantummodò contriſtat recuſabitur, ſed quia neceſſariò contriſtat adhibebitur*. Quid quòd ſæuior etiam correctio magis pro illis ipſis? Auguſtinus in hac re: *Magis pro eis ſunt leges iſtæ, quæ illis videntur aduerſæ, quoniam multi per illas correcti ſunt*. iterúmque: *Moleſtus eſt medicus furenti phrenetico, & pater indiſciplinato filio; ille ligando, hic cædendo, ſed ambo diligendo. Si autem illos negligant, & perire permittant, iſta potiùs manſuetudo falſa, crudelitas eſt*. Hos tales, quicumque in Republicâ es, audi potiùs, quàm illos de viâ clamoſos, quibus omne cerebrum in linguâ eſt.

Verùm, *Vre, Seca*. O verba! perijſſent illa & calami. & tamen, ratione ſi dijudicamus, quid peccant? A veteris medicinæ ritu ſumptus ſermo, qui in vlcere aut vulnere ſecabant, & deinde ſiſtendo ſanguini vrebant. Quis vetet eadem in animi vlcere? imò cur non magis in hoc? eóque acriùs, quò huius ſanies & malignitas ad plures ſpectat? Caluinus in Serueto præit exemplo; & vos, antè dixi, non ſemel. quò miror magis vos de ancillulâ Bruxellę defoſsâ debacchari; nec vnum propè librum prodire ſine hoc ceſpite. Erat è diſciplinatu Nicolai Storck, Thomæ Munceri, propiùs etiam ex Henrici Nicolai; quem virum vos omnibus digniſſimum flammis non ſemel iudicaſtis. *Sed mulier hæc*. Non erant mulieres, quas Amſterodami morte coërcendas Senatus iudicarat? *Sed illa* Anno
turbas nullas dederat. Reſpondebit pro me Seneca: *Multo-* 1534.
rum, quia imbecilli ſunt, latent vitia; non minùs auſura, cùm illis vires ſuæ placuerint, quàm illa, quæ iam felicitas aperuit. Inſtrumenta illis explicandæ nequitiæ deſunt. Sic tutò ſerpens etiam peſtifera tractatur, dum riget frigore. non deſunt tunc illi venena, ſed torpent. Multorum crudelitas & ambitio, & luxuria, ne paria peſſimis audeat, fortunæ fauore deficitur. Eadem

velle

velle eos cognoſces, da poſſe quantum volunt. An expectandum putas, quoad venena ſerpens fuderit? Et quem tu in Republicâ magnum virum arbitraris? qui ſeditionem in ſemine ſuſtulit; an qui cùm poſſet, neglexit, nec antè aggreſſus quàm virili robore ſuo plenam? Ille ſine Reipublicæ periculo, & in ſolo noxio ſanguine ſcelus piauit; hic non raró etiam cum Reipublicæ interitu. Neque ille peritiſſimus nauclerus eſt, qui nauem cùm conieciſſet in breuia, ſaluam tamen deduxit in portum; ſed qui vitauit. Ille ſi deducit, laceram plurimùm, & fatiſcentem, ſuóque iam oneri ſuccumbentem, non ſine vectorum merciúmque metu deducit; hic etiam ſine damni metu. Sed neque ille diligendus eſt medicus, qui ægrum ad extrema deducit, vt pòſt medeatur; ſed qui antè prouidâ cautione minitantem morbum necat.

CAP. X.

An LIPSIVS *de Fato gentilizet.*

REDANIVS. O mutationem non excelſi! Ille qui nunc in Hallenſi, qui in Sichemenſi Diuis, ad ſuperſtitionem omnia, qui ſupplex ſtatuæ, qui Idolo; olim ſine Deo, in Fati verba iurat: cuius imperio, ſe, ſua, orbem ſubſternit.

LIPSIVS. Benè ſperare de tuo morbo incipio, euomuiſti. Verùm quid hîc lancinas? Fati nomen? Non diffitebor, familiare mihi librîſque meis. verùm quid hîc diſplicet? Age, excute omnia mea ſcripta, an Fatum inuenies à me, alio quàm probiſſimo ſenſu? neſcio. ſi erit, iam nunc reſcribo, & deleo. Quid ergo ſuper hoc diſplicet? niſi quòd nil tibi placet, quod alijs placet. at eò mihi placet magis, quò tibi tuiſque placet minùs.

At fatalis illa neceſſitas, non Gentilitia eſt? Semper tui ſimilis es, incogitans; intentus & paratus inferre tantùm ictum, non

non vitare. Hîc ego antequam altum illud ingredior, præfabor lubens, me labi & errare poſſe. Res Theologa eſt; quare Theologis haud inuitus ſubijcio, qui potiores me iſthæc cernere & arbitrari. Ad horum ſubſellia appello, ad quæ ſola veniunt hæ cauſſæ: tu ſi audes, ſiſte te huic tribunali. Ecce quid ſentiam. Numquam ego Fatum volui, immotas quaſdam gentilitias cauſſas, quas declinare nemo poſſet, ob inexpugnabilem quamdam inter ſe innexionem. quis enim tam infans, non rideat aut illam occantem, aut hanc nentem, aut neſcio quam ſecantem? nimirum in cæleſtibus nuceta naſci? Quid ergo Fatum? niſi quod Deus præprouidâ cognitione, de quacumque re, in illâ immenſitatis ſuæ prænotione effatus eſt? hoc mihi Fatum, & verè Fatum, magni Dei effatum, qui ex altitudinis ſuæ ſpeculâ ventura diſpiciens, liberarúmque etiam cauſſarum propenſiones, delectúſque liberos, non potuit ſæculorum ignorare euentus. Hæc ſcientia Fatum mihi, nec aliud. Scire enim Dei quid aliud, quàm quoddam effari eſt? niſi malis effatum, ſcientiam ſequi; ſcientiam verò, futurorum euentum. neque enim ſciri poteſt, niſi præeat aliquid quod ſciri poſſit, ac quaſi præiaceat intellectus operationi. Nam in quod intellectus fertur, & viſualitatis ſuæ radios mittit, aut re ipsâ iam eſſe, aut eſſe poſſe neceſſum eſt. Neque hæc aut ſcientia aut effatum, natas iam aut naſcituras res violentat: non magis, quàm viſio mea ſeſſionem tuam, ſcriptionem tuam. nec magis neceſſitatem adnectit rebus, quàm aſtrologi cognitio, ſecuturæ pluuiæ. Ita ſentio. tu ſi quid hîc habes, extra conuitia, extra calumnias & mendacia, quibus me oneras, expedi. Videam aliquando à te veri vmbram. nam illa, quibus ad popularem inuidiam omnia reflectis & torques, & ego, & quotquot mecum doctiores, rident. Pro quibus quid reponam? veterem pœnam Rhemniæ legis, frontem inuri K. litterâ, Kalumniarum indice. Vis plura de hoc profundo? nec haræ roſas, nec ſtabulis lilia ſpargo. & ſi altiùs pedem figo, in tenebris micare me fateor. O mi Sol magne, & ſalus, ſequor ductorem! tu mihi Phœbus in hac nocte. Et iam video, nec aperio tamen

men tibi laſciuo & ſtolido prouocatori. nam quæ ratio aut argutia te vincet, qui cerebrum non in capite, ſed in crepidâ circumferre mihi videris; è quâ aliquid humanæ lucis mutueris, ſi quæ neceſſitas pupugerit? An tui ſimilis reponam verba, vt ſit quod dicitur Thuſcum iurgium? Non ſoleo. & ſi illa voles, alium quære; non deerunt è tuâ Battauiâ, aut è vicinâ Germaniâ. Quamquam cordatis hîc eruditioribúſque ſat multa: tibi numquam ſatis. nam, vt ille, fruſtrà hanc ſalpam contundo, numquam exiliet perdix. & plura de grandi hoc abdito

Scire nefas homini: nos tamen *prauum & debile vulgus*
Scrutamur penitus Superos. Hinc pallor & iræ,
Hinc ſcelus, inſidiæque, & nulla modeſtia voti.

Lyricus benè monuit:

—— quid æternis minorem
Conſilijs animum fatigas?
Permitte diuis cetera: qui ſimul
Strauêre ventos æquore feruido
Deprælianteis, nec cupreſſi
Nec veteres agitantur orni.
Quid ſit futurum cras, fuge quærere: &
Quem fors dierum cumque dabit, lucro
Appone.

CAP. XI.

An LIPSIVS *Stoïcæ ſectæ.*

REDANIVS. Quòd ſi planè de tuâ fide & opinione, quam concepiſti de Deo, coniecturam facere ex ſcriptis & vitâ velimus, propior ſim exiſtimanti, Numen te ſtatuere quidem, & Deum vniuerſi conditorem; eumdémque æternum Rectorem cum tuis Stoïcis credere: ceterùm de Christo haud valdè plus quàm illos ſollicitum eſſe. & hoc quoque à Stoïcis habere, vt accommodes te loci cuiuſque legibus.

LIPSIVS

Lipsivs. Tu ex coniecturis de mente meâ? O vatem! neſcis hanc mentem mare magnum eſſe, quod ſcaphulâ tuâ numquam enauigabis? De ſcriptis, de vitâ meâ, quid arguis? Peccaui alibi? erraui? in viam reducito. At tu verberas, nec culpam indicas, quaſi ad culpam ſatis ſit verberaſſe. Obſecro te, hæc modeſti hominis ſunt, impietatis me arguere, quaſi ſim in gentilium ſectâ? Miror magis hanc ſcribendi rationem, quàm indignor. Lipſius tibi philoſophatur, & adeò Stoïciſſat? nec iam Chriſtianus? Quamquam ſi peccandum eſt, indulgentiùs fors peccauerit, qui Stoïcus audiet, quàm qui Lutheranus, Caluiniſta, Mennoniſta. Et verò non auerſabor Stoïci nomen, ſed Stoïci Chriſtiani. Tibi lubens conuitiatoris, linguæ tuæ calumniatricis nomen conceſſero. De me verò, quia dicendum eſt, Deum teſtor & homines, poſt calumniam natam, apertiore ac mendaciore calumniâ neminem petitum. Ego Stoïcas in omnibus opiniones ſequor? quin diſertis clarîſque verbis, non infima illorum damno & deteſtor: in quibus tamen cum Chriſtianis conteſſerant, ſequor, & lubens ſequor. In quo quid peccaui? Numquam putaui te tam matulam. Intelligis quæ ſcripſi? an vt praua quæque ingenia, in meis verbis nihil intellexiſti, niſi quod ante lectionem animo tuo parum ſano tacitus tecum formaueras:

——procul hinc, procul ite nocentes;
Si cui corde nefas tantum.

An quia tu cum Luthero aut Caluino tuo Chriſtum aut ignoras, aut mendacio adeò diminuis, vt non iam Chriſtus, id eſt non Deus, ſed ſceleratorum maximus, eoque nomine exquiſitiſſimis inferni tormentis addictus; tu eadem, aut deteriora, ſi tamen deteriora fingi poſſint, animo affingas meo? Quiſquis tam improbæ linguæ eſt, non Iudæ

Marſyæque timet manum & rudentem?

nam quæ mitiora ſperet?

De Legibus deinde quædam ſubiungis, quibus me pro conditione loci accommodem. Quid vis? in ſingulis prouincijs damnare me quæcumque non probo? non ſoleo.

probare ſingula? neque illud ſoleo; nec factum à me vllo tempore. Vis ad quamcumque aduerſantem animo meo legem, ad arma decurram? non eſt inſtituti mei. Vis verbo ſaltem teſter diſplicere? ſi emendatio ſperatur, benè mones, & ex mente meâ: ſin grauius timetur malum, non tranſeo in partes tuas. quod qui faciunt, quid aliud ſunt quàm diſſenſionum publicæ tubæ? quàm ciuilis, quo ardemus, ignis ſarmenta & fomes? In quam te quoque flammam aliquid occulti ligni ſuggeſſiſſe vt credam, facit tua hæc ad ſeditionem nata malignitas.

CAP. XII.

An Oratio De duplici Concordiâ Ienæ à LIPSIO *habita.*

REDANIVS. Quid reſpondebis ad Orationem Ienæ à te habitam, De duplici concordiâ, Litterariâ & Religionis?

LIPSIVS. Non pudet palàm mentiri? Si ſatis ad veritatem eſt, dixiſſe; ſatis ſit ad calumniam interimendam, negaſſe. Et quis innocens iam erit, ſi dixiſſe ſufficiat? quis non aliquid meum aut alienum adumbrare poteſt, & protrudere? hoc ſi valet, latiſſimus hic ad calumniam limes: & in quo liberis quadrigis illa inuehatur & exultet. Verùm ad rem ipſam. Ego Orationis illius parens? Ab alio Ioue venit hic Vulcanus; & cui cerebrum pituita ſic obruit, vt vel inſpectâ illâ, me & ſtilum meum non requirat? Pleraque ſine Charite & Venere, languida, inſulſa, ſordentia, abſona, quæ norma & Grammatica reſpuat Latialis: & horum ego ſum auctor? Age, ex ipſo ſcripto quid ſi palàm elicio & efficio me ſcriptorem non eſſe? Dictam Ienæ, XXIIX. Iulij anno CIϽ. IϽ. LXXIV. vult auctor. Portentum! quod nullus explicet ab Etruriâ aruſpex. Ego tunc Ienæ? Quattuor antè menſibus non fui: quomodo ergo Ienæ dixi? niſi

niſi cum Plautiniano Soſiâ, *Egomet me illic reliqui, & ſi fortè oblitus fui.* Quid ſi ipſum Amphitruonem prodo, huius Alcmenæ virum? huius Palæſtræ è Plautinâ Rudente Dæmonem; & ipſius adeò confeſſione, huius filiæ patrem? Quid lates? imò quin prodis? quin te certum auctorem tenemus? Teneo te ab amicâ manu: & palàm edico omnibus: Orationis Ienæ habitæ parens *Melchior Haiminsfeldius Goldaſtus.* Hic ille Pſeudolus calumniarum inſtructor ſcenæ. hic ille Pandorus, qui maleuolentiæ mantello tectus, ſagittas ſpargit, & vulneri in LIPSIO locum quærit. Plura de hoc homine non dicam, dicent alij. qui tamen, ſi me audient, nihil dicent, nec dignum iudicabunt, in quem nudent dentes. qui cùm laudem ſibi quæſiſſet, tamquam à manu meâ; & vanitatem oſtentauit ſuam, & à me, dictionis ſuæ infantiâ, notam omnem auertit. Quis enim, ne ſi conetur, tantas ineptias in tantillam congerat orationem, tot Therſites in vnum corpus? O ſemper æmula probis malignitas! quid meam ſcriptionem, vinum meum, & vinum (liceat iudicium de me aliorum) Falernum, vinum Maſſicum, inſcitiæ, imò & malitiæ tuæ diluis aquâ? Ferrem, ſi puram miſcuiſſes: hanc verò purulentam & in fæce ſuâ natantem, quis ferat? Iam quæ hæc religio eſt, nomen parare nomine meo? imò nomen turpare meum luto tuo? ſcilicet

Vt pueris placeas, & declamatio fias.

O quàm

—— miſerum eſt alienæ incumbere famæ,
Ne collapſa ruant ſubductis tecta columnis!

Factum. ſubduco nomen meum, dictionis tuæ columnam: quid niſi ruant tecta, mentitis inædificata columnis? Nec tam miror Goldaſtum famam captantem, quàm hunc neſcio quem de mendaci vaginâ ferrum ſtringentem.

—— Quo nemore vmquam
Expirauit aper maioris dentibus apri?
Indica tygris agit rabidâ cum tygride pacem
Perpetuam: ſæuis inter ſe conuenit vrſis:
Aſt homini ferrum letale incude nefandâ
Produxiſſe parum eſt;

armantur de conuitio linguæ, non vno vulnere iugulaturæ; de mendacio calami, non vno ſanguine ſitim expleturi; de veneno dexteræ, non vno toxico pempturæ; & toties per-empturæ, quoties hæc noui lectoris oculos ſubitura, Mæotide ſæuior ara.

—— quippe illa nefandi Taurica ſacri
Jnuentrix, homines tantùm immolat; vlterius nil
Aut grauius cultro timet hoſtia.

at hîc dentes, linguas, calamos, dexteras videbis, toties in mortem repetitas, quoties lectoris noui (ah nimiùm in fidem faciles!) pauerit oculos.

APPROBATIO.

Hæc Poſtuma IVSTI LIPSI *defenſio vtiliter typis mandabitur. Datum Bruxellæ, die* XII. *Auguſti, anno* M. DC. VIII.

Petrus Vinck, S. Theol. Licentiatus,
Cenſor ordinarius.

IVSTVS LIPSIVS CATHOLICVS,

SIVE

DE VERA IVSTI LIPSI RELIGIONE CATHOLICA

DIALOGVS

Arnoldi à Boecop Vſipiopolitani.

DOCTRINA, VIRTVTE, PIETATE

VIRIS ADMODVM REVERENDIS,

GERARDO LIPPIO, IOANNI HASIO, NICOLAO STEIN,

COLLEGII SOCIETATIS IESV

APVD MENAPIOS

THEOLOGIS EXIMIIS.

NON diu, nec ancipiti conſilij lance deliberandum mihi fuit, R^{DI} PATRES, cui opellam hanc inſcriberem; vobis deferendam putaui, vobis deberi: ſacram paginam, viris DEO ſacratis; rem Religionis, Patribus religioſis; imò gemmis ſplendentibus, melius aliquod aurum. LIPSIVS eſt, quem vobis ſiſto, quem protego;

Non tam certandi ſtudio, quàm propter amorem.

Illum impietatis & impuritatis inſimulatũ purgaui: non luſtralibus aquis aut Oceani fluctibus, ſed puris putis vndis ab ipſo fonte, id eſt Auctore, deſumptis. Scutum & defenſionem ſuſcepi, vt priſtinæ innocentiæ reſtituam; probis, & ſi fieri poteſt, etiam aliis

approbem. ſin minùs,iſtos contemnam. Satis triumphat Veritas,ſi apud paucos bonóſque accepta;nec indoles eius eſt placere multis. * Τυφλὸν ἔχει ἦτορ ὅμιλος ἀνδρῶν ὁ πλεῖστος, ait Pindarus. magis autem αἱρετικῶν. Quos cum Pharaone obduratos in malitiâ & Caucaſo abruptiores hodierna docet experientia. Quis innocentior & ſine labe purior, Virtute & Modeſtiâ præclarior inter ſæculares hoc ęuo vixit,quàm hic noſter? Appello vos Patres, qui interiora eius nouiſtis,contra fidem Catholicam

** cæcum cor habet pleraque hominum turba.*

Quid dixit? aut quid tacuit? ô rebus bonis
Non infideles arbitri!

Sed vita & ſcripta etiam clamant, & dilucidè ſatis oſtendunt. Vt omnibus notum & perſpicuum eſſe liceat, niſi aures obturauerint, & lolio fors victitauerint, vt oculi fallant in adſpectu. Et tamen quis non illum culpat aut damnat ex iſtis? In ludis olim & arenâ obſeruatum fuit, tauros purpurâ & rubore maximè concitari, qui tamen pulcherrimi ſunt colorum: ſimile in hæreticis licet dicamus, quorum virus prouocat ipſa Virtus. Exemplo eſt SOCIETAS veſtra, & ſinguli è toto corpore Patres; in quos velut de compacto omnes incurrunt, tamquam

——*Epicuri de grege porci.*

Et

Et qui de humano genere meliùs hoc æuo meruerunt? Teſtatur hic & alter Orbis, maiora hominibus commoda poſt homines natos ex nullo ferè Ordine promanaſſe. Alios ad frugem præitis aut deducitis, alios à vitiis retrahitis, aut illa appetentes retardatis; nihil gratiæ, nihil metui datis, omnia ad iuſti normam dirigitis. In Indiis autem quot millia hominum ab idolorum cultu in viam ſalutis, feruore & labore cum moleſtiis manu duxiſtis! morte & martyrio de nouo per CHRISTVM mercati eſtis! Sicut Solem illum, cùm ortus eſt, videmus

Conueſtire ſuâ perfundentem omnia luce,

conueſtire, ſed & demulcere: idem hîc dixerim, fulgorem veſtrarum Virtutum honeſtiores quaſque animas peruadere & perſuadere, degeneres ſanare. Hæc publicè; quid priuatim? Puram & immaculatam vitam agitis, & cæleſtem in terris; ſuper humana vitia & animorum turbines, in Pietatis, amoris Dei ac proximi, Virtutumque arce ſublimes,

——velut altus Olympi
Vertex, qui ſpatio ventos nubeſque reliquit.

Vt non immeritò multi, quibus altius aliquod ingenium, vobis accenſeri ambiant; omnes boni benè velint, & veſtras

——VIRTVTES *in æuum*
Per TITVLOS, *memoreſq;* FASTOS
Aeternent.

Sed ego laudare deſiſtam: quia, vt Poëta cecinit,

Fucati ſermonis opem mens conſcia laudis
Abnuit.

Vna ac veriſſima hæc SOCIETATIS laus eſt, ex vero non poſſe laudari: altera, non velle. Ad me & munus meum redeo: quorum vtrumque vobis conſecro. iſtud tale, quale bonorum fauor & amor fecerit: me, candidatum melioris & veſtri amantiſſimum. Vſipiopoli IV. Idus Iunias Anni à partu Virginis ſalutifero CIↃ. IↃC. X.

Arnoldus à Boecop.

A COELO PROBANDVS.

LECTO-

LECTORIBVS SALVS.

ADESTE & fauete, Vos fautores & amici LIPSI: abite & dolete maleuoli & carptores inuidi; nihil ego vos moror, quia iniqui. Si tamen poſito adfectu non carpere aut capere, ſed ſapere aduenistis, ſpectate & conſiderate, vt æquos & veros Lectores decet. Lis olim mota LIPSIO; illi, qui ſic lites odit, vt nemo homo Orci portas; non de re leui, non de plumâ aut lanâ, villâ aut villulâ, ſed de Fide & fibris. Pectoris penetralia Amazone audaciores penetrant, & quod Momo non licuit, mentem introſpiciunt, atque in vnius DEI limites tranſcendunt. Heſiodus ait:

*Κρύψαντες γὰρ ἔχουσι θεοὶ νόον ἀνθρώποισι·

illi tamen huc eunt. Impuri Alaſtores! non ferunt radios irradiantis illius Solis; & cùm Famæ, quæ per Orbem diffuſa, tenebras inducere & nebulas obijcere non poſſunt, aut oſtendere

* Mentem celarunt mortalibus immortales.

Dilapſam in cineres facem,

inſultant FIDEM. Et vt ſtriges ac nocturnæ volucres oſſa circumuolitant, & infauſto morſu cadauera inuadunt; ſic proteruuli illi Nouatores & à Modeſtiâ deuij, admordere & arrodere conantur Modeſtiſſimi hominis veram Religionem, ſeueram Pietatem. Et talem eſſe volunt, qualem nemo bonus approbare poteſt, aut quales ipſi infelici naufragio ab Eccleſiâ Catholicâ in propriam & aliorum ruinam enatarunt:

Tanta mali tamquam moles in pectore conſtat.

Ægrè ſcilicet illis eſt in re hac ſeriâ diſſentire, & militem agere in veteris militiæ ſacræ caſtris; quæ hi terræ filij, ſalutis ſuæ prodigi, aut apertâ vi demoliri, aut occultis cuniculis euertere ſatagunt. Sed fruſtrà. Vt enim ſtirpi arbores, fundamento ædes, ſic illa Chriſto Seruatori nixa & ſuperſtructa. Quid ais tu Tympanotriba Batave, non nauci homo? Num tandem aliquando malitiam tuam confitebere, & fuſci an atri alicuius ſpiritus inſtinctu marginalia illa * ἐξ ἁμάξης eblateraſſe? Tu Idolomaſtix nefarie,

* è plauſtro

—qui perfuris acri
Cum fremitu, ſæuiſque minaci murmure,

num quando vinci te patieris, malè LIPSIVM, *impiè* DIVAM *à te petitam? petitam dico, non læſam. Sagittæ tuæ in aëre hæſerunt, ad deſtinatum ſcopum non peruenêre. Miſerum* LIPSIVM *ſi talibus configi neceſſum habeat, quoties vos Maſſagetæ aut Scythæ iaculamini! Et numquam etiam tu Britanne Aulice* VERITATEM *à te ſubdolè ſuppreſſam agnoſces, & tartareum genium te inebriaſſe, & auctorem fuiſſe vt ſpurcis & fœtidis tuis fruſtis chartas impleres, atq. in* DIVAE MATRIS & μακαρίτου *illius noſtri ſinum heſternam crapulam per os redderes, & vinum olidum vomitu remetireris? Dic autem quid fati aut vitij te preſſerit:*

*Atque hoc mihi effer veraciter.

*Καί μοι τοῦτ' ἀγόρευσον ἐτήτυμον.

Sed vt dixi, ſic ſentio;

*Læſit te dæmon malus & mala copia vini.

*Ἆσέ τε δαίμονος αἶσα κακὴ, καὶ ἀθέσφατος οἶνος.

Tu autem è Galliâ nouus Poëta, quis te irritauit, aut

* —malo quo dæmone es vſus?

——*τίς τοι κακὸς ἔχραε δαίμων;

Vt tam petulanter in pium affectum viri pij arietares,

Flammato verſans inopinum corde venenum?
Quid iſte fert tumultus? aut quid omnium
Vultus in vnum illum truces?

O ſæculum! Eius igitur naturæ hodierna iſtæc malitia, & hæretica peſtis eſt, quam libidinoſus Monachus neſcio an Liliatus exul ex ſaucij pectoris impuro gurguſtio auditoribus inhalarunt, vt omnes vel leuiter infecti non ſatis habeant priuatim inſanire, niſi & publicè graſſentur etiam, & laqueos aut foueas aliis ſtruant? O

Inſanientis gens ſapientiæ,
Addicta mentem erroribus impiis!

quæ magno emerit omnem famam bonos decoxiſſe, & Catholicos viros inter obliterata aut damnata nomina eſſe!

Quò, quò ſceleſti ruitis?

Quàm vellem vos reuerti! Reſpicite amabò & reſipiſcite. Videte Dominum IESVM, *qui tam pretiosè vos redemit: cui dolorem quaſi renouatis veſtrâ nouellâ iſtac paraturâ. Ecce à manè vſque ad veſperam vos expectat & expetit, & ſuauiſonâ voce ad rauim vſque clamat vt reſpiretis. Quid iniurioſi eſtis ei, qui tam beniuolè inuitat? Expandit alas, qui vos alit, & renuitis congregari? O fiat aliter! huc deferte onus, apud hunc requiem quærite, qui vos reficere vult & poteſt. Purgate animum, ſequimini* DEVM &

Spon-

Sponſam eius Eccleſiam; in quâ ſunt, vt cum Poëtâ dicam,

Fundamenta, quibus nixatur vita ſaluſque.

Syrtes in terrâ Africâ eſſe dicuntur, in quibus homines obruantur æſtu reciprocantium arenarum, vt qui ſemel ingreſſus, cùm poterit exit, non cùm volet: hîc aliter. Licet reuerti in Sion, licet in integrum reſtitui, bonis & Orthodoxis iterùm accenſeri. Ecce mutæ quædam animæ & irrationales, medicinas diuinitus ſibi attributas in tempore agnoſcunt. Ceruus ſagittâ transfixus, vt ferrum & irreuocabiles eius moras de vulnere expellat, ſcit ſibi dictamno medendum: hirundo ſi excæcauerit pullos, oculare rurſus de ſuâ chelidoniâ. Et vos ad imaginem Creatoris facti, ſalutem non corporis, ſed animæ etiam negligitis? Quoſdam eo ingenio, ſiue vitio oculorum eſſe ferunt, vt de die cæcutiant, in tenebris cernant: fortean vos iis ſimiles: &, quod deterius, in animo alitis, quod illi corporis impedimentum habent. Verùm enimuerò ſi omnino —— rupiſtis fræna pudoris, *& detractatis redire; ſi cum Ceritis furere libido eſt, vobis mali eſtote, nec aliis calumnias inurere aut ſcelera intentare præſumite. Nulli enim homines celeriùs incidere debent in malam fortunam, quàm qui aliis illam concupiſcunt. Imò*

* Οἷ αὐτῷ κακὰ τεύχει ἀνὴρ, ἄλλῳ κακὰ τεύχων.

* Qui mala cumque alij fabricat, ſibi fabricat ipſi.

Videte, obſecro, & seriò ſemel legite (ſi non omnino vos mala factio excæcarit) hæc paucula, quæ pro LIPSIO *ex* LIPSIO *congeſſi, & vni quaſi oculorum ictui ſubieci, & ſine præiudicio veraciter de illo ſentite, ac pedibus in illam partem ite, quæ iuſtior & æquior eſſe videbitur. Et ſcitote* DEVM *in cælis arbitrum eſſe, ſatis idoneum patientiæ ſequeſtrum:* * ὃς οὐδαμῇ οὐδαμῶς ἄδικος, ἀλλ' ὡς οἷόν τε δικαιότατος, *vt Plato ait. Imò,*

—— * ὅς τε καὶ ἄλλους
Ἀνθρώπους ἐφορᾷ, καὶ τίνυται ὅστις ἁμάρτῃ.

* Qui nuſquã & numquam iniurius, ſed quantum poteſt iuſtiſſimus.

* —qui mortalia facta Mortaleſque videt, delinquentes quoque punit.

Deinde & ipſum heroa conſiderate, viuum virtutis & pietatis exemplar. Poſtquam enim fretum adoleſcentiæ, æſtum & feruorem ingenij ſuperauit; poſtquam curæ alienæ non fuit; cùm ſolidæ mentis ſtetit in ſolido; nullibi vacillauit, ſed conſtans in Religione Catholicâ perſeuerauit. vt Vita ſufficere poſſet, ſi ſcripta non eſſent, aut dicta. Et rectè. Sicut enim arborum illæ optimæ, quæ non florem ſolùm ſed fructum ferunt: ſic hominum, quibus præter ornamenta doctrinæ & ſententiarum, vita etiam eſt ad frugem. Piè ſcripſit, & pro fide ſuâ Catholicâ

tholicâ adſtruendâ Catholicè. Parum tamen illud ſi mores diſcrepaſſent. ſed illud certum eſt, & milleni etiam oculati teſtes, quibus liquidò iurare liceat, in hac parte ſuperaſſe. Negant tamen aliqui & aliter interpretantur. Sed hac ipſâ notâ non boni. Sit libertas huius iudicij: experimēto didici, qui virtutem ipſam & canam veritatem non amant aut æſtimant, vix iſtum. Et hercules quòd nos amamus, & quòd producimus; eſt ob iſtam. Sed libemus è multis pauca; & primum ſit, quòd in SODALITATEM *B. Mariæ Virginis nomen dedit. quod ſummæ pietatis indicium & initium eſſe, illi ſciunt, qui eidem ſe manciparunt. Deinde ab eodem affectu* Hallas *& Sichemium adſpirauit, iuit, preces fudit, pronus aræ vtrobique aduolutus; pennam dedicauit & ſuſpendit, Miracula euulgauit. nec quicquam in vitâ prætermiſit quod ad* DEI *aut Sanctorum cultum & honorem. Iam in morte non Stoïcorum ſcitis contra vim morbi animum firmauit, ſed pro* vanis *habuit:* Chriſtum crucifixum veram patientiam *aſſeruit, digito in imaginem propè adſtantem intento, cum ſubiectâ precatiunculâ:* Domine IESV da mihi patientiam Chriſtianam. *Quid etiam? quàm primùm ſe oſtium ſpectare ſentiebat & foras prominere, Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, & Extremæ Vnctionis ſacris myſteriis animā purgauit, muniuit, fouit. In precibus & pietatis actu perſeuerauit,* DEVM *& Sanctos cælites adiit voce, ſuſpiriis, oculis; & cùm de Dei Matre quiſpiam ex adſtantibus dixiſſet:* Ecce nunc illa Patrona clientem exſpectat ſuum, & obuiis expanſiſque occurſabit vlnis, *animo manibuſque in altum ſublatis, ſic deuotè precatus eſt:* O MATER DEI, adſis famulo tuo, cum totâ æternitate decertanti, & non me deſeras in hac horâ, à quâ pendet æterna ſalus animæ meæ. *Vbi etiam incruentum ſacrificium Corporis Chriſti pro ſe oblatum ex Reu. quodam Sacerdote Societatis* IESV *Theologo intellexiſſet:* Faxit DEVS, *reſpondit*, Pater mi, vt ſanguis ille pretioſus in me abundè deriuetur, qui in illâ paſſione effuſus eſt. *& paullò pòſt in hæc D. Stephani verba*, DOMINE IESV ACCIPE SPIRITVM MEVM, *piè & feliciter exceſſit, & cæleſte regnum ſubiit. Vbi nunc triumphat, & lauream capite & manu tenet, non à liuore aut calumniâ eripiendam. Quid nunc oggannis* Thomſone? *etiam Catholicum negas? etiam ſimulatorem & Stoicum aſſeris? fictâ hæc facta, coactas orationes, ſuſpiria, lacrymas? etiam in horâ mortis? in vltimâ vitæ lineâ? ante tribunal ſupremi Iudicis?*

O mul-

O multa fleturum caput!

*—— ἦ νύ τοι ἄυτως

Οὔατ' ἀκηκέμεν ἐςὶ, νόος δ' ἀπόλωλε ϗ αἰδώς.

Sed & illa animæ cura poſt exceſſum, nónne Orthodoxum indigetat? In Epitaphio, quod ipſe ſibi compoſuit, in hunc modum Lectorem & ſpectatorem alloquitur:

Extremum hoc te alloquor:

Æternùm vt gaudeam, tu apprecare.

Pateram etiam duplicem inauratam, Conſtantiam dictam, templo Patrum Societatis *legauit*, vt pro ſe orent. *Teſtamento condiſe mandauit in æde ſacrâ* Franciſcanorum *Sodalium*, *ante* Virginis Deiparæ *aram, ad quam preces quotidie fundere conſueuerat Togam optimam pellibus ſuffultam* B. VIRGINI *ad eius aram Louanij, in baſilicâ B. Petri Apoſtolorum Principis, cultu miraculiſque celebrem offerri & poni per vxorem voluit. Et hæc non ſunt clara indicia adſtruendæ priſcæ fidei? Non adferam alia, niſi fors illud quis exigat, quòd in ſcriniis inter ſcripta*, Miracula D. Virginis Louanienſis *reperta ſint, eodem adfectu quo priora conſcripta. itemque* binæ panegyricæ *orationes eidem dictæ. Sed hæc approbanda bonis, imò admiranda, damnare nouelli noſtri malunt quàm diſcere: &* veteres auias, *vt ait ille, diſplicet* à pulmone reuelli. *O mala beſtia hæreſis! ſpecie pulchra es, & arrides aut blandiris, caudâ vibras. O indomitum orbis monſtrum! mixtum, portentoſumque, & ex diuerſis animalium congruentibus membris! quod nullis aptiùs quàm illis Virgilianis verſibus deſcribam:*

Prima hominis facies, & pulchro pectore virgo
Pube tenus, poſtrema immani corpore piſtrix,
Delphinum caudas vtero commiſſa luporum.

Quis non obſtupeſcat? ô fœdam conglutinationem! horribile monſtrum!

*Τὸ δ' ἐκδιδάσκει ϗ παραλλάσσει φρένας
Χρηςὰς πρὸς αἰσχρὰ πράγματ' ἴςαϑς βροτῶν,
Πανεργίας δ' ἔδειξεν ἀνθρώπες ἔχειν,
Καὶ παντὸς ἔργε δυσσέβειαν εἰδέναι.

Sed ego cum hoc vitio non luctor ampliùs, ne inquiner vel contactu. & omnes illos qui hoc alunt dimitto: *κεράσβολοι *enim ſunt, & rationibus vix inducuntur. Æquos lectores & bonos compello, de quibus*

*-certè aures ſunt tibi tantùm,
Queîs audire queas, periit mens ipſa pudorque.

* Hoc illud eſt, quod mutat & mentes docet
Ad fœda rerum & praua ſe côuertere:
Fraudes doloſque ſuggerit mortalibus,
Et improbos, ſimulque & impios, facit.

*præfracti

bus demerendis non anxia mihi cura eſt, nec multùm laborabo. Vt boni enim bonis fauent, ſic in re bonâ benè ſentiunt, & gaudent ſi quid boni eueniat bonis. quod in hac ſermocinatione videbunt, non enim calumniari ſed purgare animus fuit, candorem non liuorem præferens. Sed hoc etiam ſciri conuenit, plura & præclara multa adferre & adnectere me potuiſſe in rem, ſed non licuit. extra oleas diuagari non debui & limites; & tranſiliiſſem ſi quidquam non ex Lipſio. *Quædam tamen addidi aut interiunxi, ſed omnia ferè ſub perſonâ Auditoris. Quem & ſcire vos velim in quibuſdam interdum conniuere, approbare, ſed vt eliciat veritatem. Sed ſatis diu vos detinui, audite nunc* Lipſium, *& moleſtum ſatis Auditorem, vt Doctorem ſuum in arenam prouocet; ac valete.*

IVSTVS

IVSTVS LIPSIVS CATHOLICVS,

SIVE

DE VERA IVSTI LIPSI RELIGIONE CATHOLICA DIALOGVS.

IVSTVS LIPSIVS. Quid igitur moleſtus es & ſemper inſonas de reſcriptione; ac velut claſſico me excitas ad pugnandum? Nollem te hoc facere. Nam cùm naturam meam, cùm rem ipſam, cùm finem fructumque video, inclino ad ſilentium magis. Natura ſanè mea mitis & tranquilla eſt, & vehementiori omni adfectui aliena; & ab ingenio meo deſerar, ſi iraſci velim aut litigare. & ſi me non noſti, ſcito non eſſe pacatius ingenium in Belgio. AVDITOR. Non es pugnax, ipſa pacis proles: & ſcio, nihil minùs libenter te facere, quàm repugnare, etiam læſum, etiam in facili & iuſtâ cauſsâ; ſed vbi æui gratiâ aliquid dicendum, tam virum oſtendes, quàm duobus aut tribus illis olim aut nuper, qui non lætantur te prouocaſſe. Palmam de te vſque adhuc quis tulit? Iactare lubet, quia noui te & alios: & in bonâ hac vtique cauſsâ, veniant cum Hectore Achilles, non ſubduces. Age, repone aliquid,

Lipſius variâ & à diuerſis adhortatur ad reſpodendum calumniatoribus ſuis:

ſed ille negat, quietis & pacis amans, nec auidus reſcribere.

quamuis iam anteà fecerit & omnes cum gloriâ vicerit.

—— *pœnaſque inimico à ſanguine ſume.*

Nónne vides, multos fauere contra te dicentibus, & ſine examine pedibus in partes illas ire? Retrahendi ſunt, & vel inuitis oculis fulgor veritatis inſerendus. LIPSIVS. Reſpondi quibuſdam, fateor; ſed comiter, non acerbè, & commiſſionem & ludum magis dicas, quàm pugnam. non enim

 tantùm

tantùm ſine plagâ, ſed etiam ſine ſuggillatione & morſu: ſicut decet veræ pietatis alumnum. Non eſt meum Thyeſtæo more, quod hodie obtinet, furere aut ſæuire. Æuum hoc noui, in quo bonis modeſtiſque multa ferenda ſunt, *ſtomacho Ciceronis*, non *animo Catonis*. Quàm multis non reſpondimus? quos vt infantes vagientes habui, & riſu non ſcripto componendos. Veſpaſianus Demetrium Cynicum in itinere ſibi obuium poſt damnationem, ac neque aſſurgere neque ſalutare ſe dignantem, oblatrantem etiam neſcio quid, ſatis habuit *Canem* appellare; offenſæ iniuriæque minimè memor executórve. Grande patientiæ exemplum quídni imiter? Non probo iſtos, qui ad ſingulos inſultus ſe parant & exſerunt, & in gladiatorem pugnant. Philoſophi ſumus? tranſeamus. Chriſtiani? patiamur, alieni ab exceterâ illâ delictorum omnium ſuperbiâ & vindictâ. Alacres & erecti per medium calumniantium agmen incedamus, aduerſus linguarum omnium tela ſcuto tecti *Veritatis & Candoris*. Illi ringantur & liueant: nos Epinicia læti canemus, & auertentia ſacra faciemus *Inuidiæ* & *Pallori*. Et apud illos vincar aut vincam, parum eſt: cum Ariſtippo, *Ego victus abibo, iucundiùs, quàm illi victores, dormiturus.* Etſi non poteſt hoc bonis arbitris: quem te cenſeo. AVD. Sed ſi vincere hîc inglorium, atteri etiam ſordidum arbitrare. Obiiciunt enim ea, quæ *Famam* tuam tangunt. Et quid rerum humanarum carius famâ? quæ iure eſt bonis ante bona omnia & ipſam vitam. Nam hæc vtraque caduca & fluxa ſunt: & opes quidem ante nos ſæpè, vita nobiſcum ſemper abit: nomen autem & fama æternant; eaque ſola, cùm non erimus, hîc erunt. LIPS. De me ne labora, ſi quidam inuident aut carpunt. An ego eximius ſum inter homines, qui ſunt, qui fuêre? Omnes qui excellere aliquâ in re conantur (non enim dicam excellunt) ſtatim adflauit & aduſſit maleuolentiæ iſta aura. Cita veteres, reperies. Circumſpice hodie noſtros: idem. Quid miraris ſi *Marculus* aliquis hoc in me faciat aut *Lacon*? Mihi ſententia de me non niſi apud me fertur: nec quis ſim, alium rogo. Interno iſto iudice ſi probus audiam, quid addent aut dement mihi

Mauult eos contemnere exemplo bonorum; & quia

Chriſtianus Philoſophus eſt, ac

Veritas vinci non poteſt.

Famam oppugnant, quã omnes boni meritò amant;

ſed commune illud omnibus magnis viris, vt inuideantur,

antiquo & nouo æuo;

non autem læduntur.

Tranquil. cap. 13.

Saluſtius Catil.

mihi iſtæc ſcripta? Calumniarum conuiciorumque plena ſunt: & corniculas citiùs in Africâ, quàm res rationeſque ſolidas reppererim in iſtis. Vetus ille verſus hîc valet:

Λόγους μὲν Ἑρμόδωρος ἐμπορεύεται.

Sunt Hermodori, verba, mercimonium.

& digna, vt quicumque

Deferat in vicum vendentum tus, & odores,
Et piper, & quidquid chartis amicitur ineptis.

Nec famam tamen ſperno aut neglego: ſed hoc te moneo, non eſſe eam noſtræ poteſtatis. ideò inter externa habendam, & in momentum nullum ad beatam tranquillamque vitam. Quis ſim, in me ſitum eſt: qualis audiam, in vano iſto vulgo. Qui in publicâ aliquâ famâ ſumus, aut vtramque excipere debemus, aut nullam: & ſatis ſi melior præponderet. Et mihi ſi qui hoſtes ſunt, vitio ſuo non meo merito tales habeo. Lubet fidenter loqui:

Fama non eſt noſtra poteſtatis, & ideò inter externa habenda eſt,

& vtraque excipienda doctis.

—— mens altum ſpirat honorem
Conſcia factorum.

Avd. Quid igitur? Socratem te, aut Diogenem dicam? & ſemper in illius veſtibulo ridebis pluuias, aut non ſenties te cum iſto ludi? cùm etiam tonent Xanthippæ, turbæ ſubſannent? Lips. Faciant; nos contemnimus, & cum Demoſthene decretum habemus, *τὰς τῶν διαβαλλόντων βλασφημίας ἔργῳ ἀπολύεσθαι: Calumniantium maledicta bonis factis diluere.* Illi qui ſe opponunt, aut ſiſtere conantur benigniorem famæ meæ curſum, nihil agunt: ſeſe edunt aut atterunt, me aut mea non delibant. nec ſentio illa tela volatica; nec lædar ſi ſentiam. O quietem in hac parte noſtram & ſecuritatem! Audacter dicam, linguam aut ſtilum non maculo, talium vel contactu. Abite in veſtras tenebras, quibus ſolum nomen *Lipſij* præſcriptum leuiter vos extrahit, grauiùs mox deprimendos. Ego autem ſto, & fulgeo. atque vt ignis paleam exurit, aurum nitidiùs reddit: ſic iſtæ Calumniæ vanum aut vacuum aliquem abſumant, verâ virtute grauem illuſtrant. Nos ij ſumus, cum Deo dicimus: & quidquid obiiciant, bona Famæ aura hunc cygnum leuabit, & à morte canentem etiam audient. Vetus verſus eſt,

Lipſio benè viuere propoſitum, & malos contemnere;

qui mox deprimentur.

Generoſus eius animus, & confidentia.

Non eſt beatus, eſſe qui ſe non putat.

atque etiam verus, fateor: quia ſapienti de ſuâ beatitudine conſtat; nec ſcientiam ſolùm, ſed fiduciam eius habet. Vides *μεγαλείως καὶ γενναίως, magnificè & generosè* me loqui?

Ξὺν τῷ δικαίῳ καὶ μέγ' ἔξεστι φρονεῖν·

Jn iure & æquo magnitudo animi decet.

Avd. Vix tamen his temporibus, *quibus ſiniſtra erga eminentes interpretatio, nec minus periculum ex magnâ famâ, quàm ex malâ.* Apud veteres fiducia potiùs morum, quàm arrogantia interpretabatur. *adeò virtutes iiſdem temporibus optimè æſtimantur, quibus facillimè gignuntur.* Sed, mi Doctor, ſi hæc te non mouent, Religionem ne contemne. Nam nec illam immunem habent improbi ſui dentis. Tacitus Agricolâ. Ibidem.

Religionem maliuoli elenant,

Prima mihi debes animi bona: Sanctus haberi.

omnium virtutũ arcem;

Ex quo ſequitur, vt

—ſupremo
Dilectus penitus Ioui,

Horat. 1. Car. Od. 21.

& virtutes etiam habeas. Nulla enim res magis animos & mores componit, quàm Religio: & illa vbi in pectus demiſſa, virtutum agmen ſequitur. Lips. Proh ſumme Deus! nec tibi ergo parcunt, & tuo cælo? In rebus enim diuinis & Religione inueniunt iam quod exagitent; & per quod nos, imò te lædant. Tua enim illa vox decretumque eſt, tua ſanctio, *Abdita mentium cæleſti menti reſeruanda*; nec pectoris huius fibras pulſandas cuiquam aut reſerandas, niſi qui eas fecit. At calumniatores aliter & paſſim iam (ô labem noſtri æui!) oculos linguamque illuc coniiciunt, & adyta interioris huius templi ſcrutantur & calcant. Socratis præceptum vetus erat:

atque id ſubdolè, ſcilicet

malè ſentiendo de mente interiori, quæ vni Deo perſpicua & cognita: contra

Socratis præceptum.

Ὅττι τοι ἐν μεγάροισι κακόν τ' ἀγαθόν τε τέτυκται·

Ædibus in propriis, quid rectum aliudque geratur.

Hodie contrà fit, & emiſſitios oculos omnes habent. O non interpretes meæ mentis, ſed diuinos! qui non dicta mihi, non ſcripta, fortaſſe nec cogitata, tamen ſciunt. Tiberium Imperatorem eâ oculorum acie fuiſſe ferunt, vt noctu pariter atque interdiu cerneret: de his appoſitè dixerim, qui etiam ea, quæ in tenebris & ſolitudine geruntur, explorant.

Non dicta, dicta volunt; & nec facta ſciunt, imò

Tranquillus Cap. 68. & Plinius.

Domum

Domum meam claudo? penetrant. Linguam contineo? pectus inſpiciunt. Homines fugio? ipſi me inueniunt. & vt muſcas, atque eiuſmodi minuta animalia, nullâ curâ ſubmoueo: non item vllâ cautione iſtos. Hæc Curionum illa gens, quam Poëta Comicus ſcitè depinxit:

aliena omnia ſcrutantur, vt inſecta & minuta illa animalia;

quod Plautus etiã præuidit, aut cõqueſtus eſt de ſui æui Curionibus.

Qui res alienas curant opere maximo:
Qui omnia ſe ſimulant ſcire, nec quidquam ſciunt:
Quod quiſque in animo habet, aut habiturus eſt, ſciunt:
Idque quod in aurem Rex Reginæ dixerit
Sciunt. quod Iuno fabulata eſt cum Ioue,
Quæ neque futura, neque facta ſunt, tamen iĳ ſciunt.

O Maſſagetas aut Scythas! Cur non ſic appellem? imò omnibus barbaris immaniores ſunt, qui nos modeſtè, grauiter, piè, & ſine cuiuſquam iniuriâ viuentes aut ſcribentes inuadunt, & laceſſunt. AVD.

O barbaros calumniatores!

Nihil eſt profectò ſtultius, neque ſtolidius,
Neque mendaciloquius, neque argutum magis,
Neque confidentiloquius, neque periurius,

ô mendaces & impios hæreticos! qui

quàm iſti. Atqui nunc etiam iniuriam putant in Religione diſſentire. & illa cauſſa ſiniſtræ de te ſuſpicionis. LIPSIVS. Multa ſtolida & vana in hoc æuo audiui:

diſſentire in Religione pro crimine habent.

Τȣ̃τό γ᾽ ἐςὶν ὑπερβολὴ μανίας·
Iſtud verò eſt culmen omnis inſaniæ.

Itáne? & eò ventum? & Nerones iterùm ſunt, qui vetant? Illi noui nouitĳ, & nuper nati (nec ipſi negent) regnum capient, & veteranos poſſeſſione iuſtiſſimâ pellent? Noua ſua ferri volunt, & armis id pugnant: nobis non licet vetera aſſerere, & æui ſuffragiis atque orbis approbata? O *Libertas*, quam preſcribunt, & pro quâ armantur! Indignor hæc fieri, & mecum boni: ſed mederi aliorum eſt, & à reſponſione noſtrâ fruſtrà id ſperes. Ille in bono & recto firmus

Vah, nouitĳ illi hoc audent? &

hæc illa ingeminata libertas?

Indignatur Lipſius, & proponit tamen non reſpondere,

—— per obſtantes catervas
Explicuit ſua victor arma.

AVD. Sed quis meliùs mederi poterit quàm tu?

quamuis vnicè aptus, ob ineffabiles ingenĳ dotes.

Τȣ̃ δὴ νῦν γε μέγιςον ὑπερϖάνιον κλέος ἐςί·
Cuius certè nunc maxima ad cælum gloria:

cuius pectus madet omni genere elegantioris doctrinæ &

ſapien-

ſapientiæ: cui diuinum ingenium, in admirationem æui, vix in exemplum (quis enim imitetur, vel auſit?) à Deo datum.

Vno ore quem plurimæ conſentiunt — Ennius.
Gentes eſſe virum populi primarium:
Vnde populi & reges omnes conſilium expetant,
Suarum rerum incerti.

Stili elegantiam, & qui in ſtilo latinitate, perſpicuitate, elegantiâ, ordine viciſti omnes, qui fuerunt, qui erunt: & palmam habes, non magis quàm Herculi clauam (omnes omnia faciant) extorquendam. *ſummam eloquentiam.* Præter iam dictas, etiam duas illas in eloquentiâ virtutes habes, quòd copioſus ſis in Breuitate, vehemens in Facilitate: & ſolus vt mihi videare aſſecutus, quod contra rerum naturam eſt, Breuitas vt obſcura non ſit; quod vel maximè in laudibus tuis exiſtimare potes. Oſtende te igitur & deſcende in arenam: ſcio enim,

Καί τοι δοῦρατά ἐστι, καὶ ἀσπίδες ὀμφαλόεσσαι· — Homerus
Et tibi ſunt haſtæ, ſunt & tibi ſcuta rotunda:

Et ſolus coercere & reprimere poteſt. coërce in mendaciis vagabundos, redige in veros timóres,

— *accipiter velut*
Molles columbas, aut leporem citus — Horatius
Venator in campis niualis
Æmoniæ.

Inſtant ergo boni omnes, Lips. Ego faciam? apage, honeſtior ſum, non violo edictum Auguſti. Avd. Peto & oro. & nónne tibi amicorum preces iuſſa ſunt? *orant,* *Inter amicos petitionum debet eſſe conditio,* ait Symmachus, *vt præſtantibus prona videantur, quæ ſunt magna petentibus.* (Lib 7. epiſtol. 26.) ** Non enim aut leui mercede emit, qui precatur; aut paruum pretium accipit, qui rogatur.* (* Apuleius lib. 3. Flo.) Lips. Malus es. Avd. Quid ita? Lips. Quia verè captatorem agis, & blandiris, ſed vt in retia tua compellas.

—— γέρων δ' ἀλώπηξ (ait verbum) οὐχ ἁλίσκεται·
—— *Vulpecula haud capitur ſenex.*

Exorant. Avd. Imò patiare te capi vel meâ hac cupidine, quam amare & laudare in adoleſcentiâ noſtrâ ſoles. Lips. Quid ergo me vis facere? ora iis claudere? non poſſum. Irritabimus. *Quamuis irritari calũmatores potius poſſint, quam* ſicut ignem qui gladio fodit, ſcintillas in ſe plures & ſtri-

ſtricturas elicit: tale in iſtis; cæde & diſſipa, acriùs inſurgunt. Eſt hoc ingenium contumaciæ, ſubiici poſſe non domari. Alexiaco Hercule opus eſt ad Hutæos iſtos exſtinguendos: qui deiecti, vbi terram, cuius ſuboles ſunt, tetigerunt, non robur pro victoriâ, ſed pertinaciam reſumunt pro factione. Sed iſti mei quid efficiunt? vt liberè dicam

domari,

Lipſius autem non lædi: &

Horat. *Multa Dircæum leuat aura cygnum*;

atque illi tela non peruentura, adeò non læſura ſpargunt. AVD. Sed quomodo dimitteris à conceptâ ſuſpicione.

plebs ſit quæ malè de eo ſuſpicetur;

Tacitus. LIPS. *Vulgus pronum ad ſuſpiciones:* nam probi & boni eas non allectant aut fouent. AVD. Sed interim etiam

Plautus. —— *omnes probos bonosque accurare addecet,*
Suſpicionem & culpam vt ab ſe ſegregent.

LIPS. *Non poteſt vtrumque fieri.* AVD. *Quapropter?* LIPS. *Rogas?*

quod cauere nemo poſſit;

Ne admittam culpam ego meo ſum promus pectori,
Suſpicio eſt in pectore alieno ſita.

Sed parum cauti aut probi ſunt, vt rem dicam, qui adtendunt: & occultè cupiunt, aut eſſe tale aliquid (nouimus ingenia) aut ſimulant ambigere, vt in arenam me proliciant, & voluptati eorum pugnem. An & tu quoque de fide meâ opinari cœptas ſequiùs?

Si ſatis affirmaſſe fuit, ſatis eſto negaſſe:
Eſt illis potiùs, quàm mihi, certa fides?

& à verâ fide alieni.

Nam ego certò ſcio non niſi ab iis morderi & calumniari me, qui cum Religione verecundiam exuerunt. Sed ſicut ocymum qui ſerunt, feliciùs id naſci ad conuitia interiecta autumant; ita illi ſpargendis contumeliis fecundius mihi nomen parant. Et caprificum etiam aiunt, cùm ipſa maturas ficus non gignat, inſecta tamen quædam producere, quæ veras ficus maturent, ſcalpendo, morſicando: ſic auitæ fidei illi decoctores, probos bonoſq. calumniando & mentiendo. AVD. Frequens ergo hæc mea poſtulatio nō poterit expugnare tuum propoſitum? LIPS. Flectere. non vt fatear

SERMONIS PARTES QVATVOR. ſuſcipi à me defenſionem, ſed vt negare & rogari deſinam, feſſus iam clamore & expoſtulatione continuâ. Et dicam

Qualis erit. ſemel ex profeſſo, *Qualis olim fuerim, Qualis nunc in re* RELI-

ORDO ſermonis & finis, cum

GIONIS *ſim*; & *Quam probem*, aut *Damnem*. Nec pigebit memoriam prioris vitæ, ac teſtimonium præſentis æui eloqui. Hic interim ſermo honori Orthodoxæ fidei deſtinatus, profeſſione pietatis, aut laudatus erit aut excuſatus. AVD. II. Quali ſit. III. Quid probet. IV. Quid damnet.

Quàm orationem hanc aures dulcem deuorant! Pœnulo.

precatiuncula ad Deum, & LIPS. Tu Deus, à Deo genite, Homo ex homine genite, hominibus genite, da in memoriam fugitiuam redire, da quod actum à me, memoriæ prodere; tibi in honorem, bonis in fructum, prauè ſentientibus in reſipiſcentiam. Ordinem iam dixi, & quia digna hæc materies, pleraque non diſtinctè ſolùm ſed diffusè dicam: nec diſplicebit accuratio illa, cui Vna, Vera, & Catholica Religio placebit. De reliquis & exteris non laboro: non enim ego illis placere volui. nam quam ego laudo, non probant illi; quam illi probant, ego reiicio. Probent proinde, improbéntve, quam ego doceo, nec manum vertero. AVD. *excuſatione quadam diffuſionis, ac contemptu improborum.*

Æquum eſt ab æquis te par impetraſſere; Lipſius.
Ab iniquis porrò, haud æquum eſt æqua poſtules.
Valeant iniqui, & mali habeant magnum malum.
LIPS. *Æquum eſſe putas, non reputas laboris quid ſit.* Amphit.
AVD. *Tu primus ſentis, nos tamen prænoſcimus,* Aſinaria.
Et quaſi per nebulam ſcimus atque audimus: Pſeudolo.
Fateor eos eſſe importunos atque incommodos.
Sed quæſo, quod ſum percontatus, ne id te pigeat proloqui.
LIPS. ——— *Iurato mihi*
Igitur neceſſe eſt eloqui, quidquid roges? I. Sermonis pars. QVALIS OLIM FVERIT.
Ita me obſtinatè aggreſſus es. non audeo
Profectò, percontanti quin promam omnia,
Proinde actutum iſtud quid ſit, quod ſcire expetis,
Eloquar; ——— *nec dicam dolo:* Ad Lectorem Epiſt. Quæſt.
Si quiſquam eſt, qui probari ſe cupiat PROBIS,
ORATIONE, VITA, SCRIPTIS *denique:*
In his audacter nomen profiteor meum.
A PVERO eductus, doctus, liberaliter *A puero igitur Catholicus fuit, &*
MORES MAIORVM *ſimul &* DOCTRINAM *inſtiti;*
Nec ego iſtos mores nôui ſæculi noui:

[a] quo Religionum, vt ſic dicam, thyrſo percuſſę, bacchantur ac a. Elect. lib. 1. cap. 18

ᵃCent. ad Germ. & Gal. epiſt. 92. ᶜCent. ad Germ. & Gal. epiſt. 18. 19.

ac gallantur multorum mentes. [b]Nouitia igitur (nam & proſâ dicam, quod dixi verſu) parum ad meum palatum, *mores & Viros antiquos* amabam:[c] omniaq́ue ad ritum priſcum colebam: nec *Pietatem* aut *Doctrinam* aliam æſtimabam, quàm quæ erat talis. paſſurus etiam pro eâ, vbi opus, voces, calumnias, damna.

cum Maioribus ſapuit, quamuis cum damno & calumniis, quia

Lucanus.

AVD. —*fortiſſimus ille eſt,*
Qui promptus metuenda pati ſi cominus inſtent,
Et differre poteſt.

Scribanius Amphith.

Incurrunt mala? fluent fortè lacrymæ: ſed quàs Virtus & bibat & ſiccet, ne honeſti limites tranſiliant. Milites videmus prædæ cupidine aduerſa tolerare; quídni & nos leue aliquod dictum aut damnum contemnimus, præ melioris vitæ ſpe & promiſſione? Vouimus Catholici nec proſperis nec aduerſis de gradu dimoueri, in veritate & antiquitate firmi & erecti. LIPS. Rectè putas. & ego ſi aliter ſenſiſſem, fefelliſſem Sacramẽtum, quo baptiſmate obſtringebar. Sed quod magis, cùm Coloniæ Vbiorum à *Patribus Societatis* IESV inſtituebar, pietas pectus meum tangebat, & Patribus ipſis volebam accenſeri. Parentes ſciuerunt, abduxerunt, & annos iam ſexdecim natum Louanium amandarunt.

Sacramento baptiſmatis obſtrictus.

Cent. 3. Miſcell. epiſt. 87.

Societatis Patribus accenſeri cupit, nolunt Parẽtes ac retrahunt.

Quæſt. epiſt.

Poſtinde cùm iam flos ætatis ſurgeret,
Et ſpatia extremæ ingrederer adoleſcentiæ:
Magis magiſque impendiosè litteras
Amare occæpi, aſſiduus legere, ſcribere.
Cùm intereà, vterque demoritur parens, loci;
Ego hanc occaſionem ad ſtudium Muſicum
Eſſe ratus, concepi iter ad oras Italas,
Germaniamque in terram, & terram Galliam
Quaſi ad mercatum litterarum pergere.
Concepi perfecique. Deo eſto gratia,
Lætitiam peperit, parietque, hic mihi labos.

Peregrinatur per diuerſas terras; vt litteras diſcat,

AVD. Quippini? pulchrum, imò & fructuoſum eſt, mores gentium, regionum ſitus, opportunitates locorum, & diuerſam aquarum cælique temperiem cognoſcere cum Vlyſſe, —ὃς μάλα πολλὰ Πλάγχθη,—
Πολλῶν δ' ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα, καὶ νόον ἔγνω·

Homerus.

& prudentiam, idq́; Vlyſſis exemplo.

—*qui*

—— qui per ſola multa
Iactatus, ———
Multorumque hominum mores atque oppida nouit.

Louanium reuertitur, & ſtudiis inuigilare pergit, poſt

Lips. Et cùm iam iterùm in patriam reuerſus, aliquamdiu Louanij egeram modeſtè,& ſtudiis vacans,

—— nocturnoque exſomnis oliuo Caſſius Parmenſis.
Immoriens;

acriores belli procellæ & venti exſurgunt,quibus nihil propiùs factum, quàm vt mergeretur Belgicæ nauis.

—— Nam terras cruor Seneca Hippolyto.
Infecit omnes fuſus, & rubuit mare,
Et ſcelera dempto fine per cunctas domos
Iere. nullum caruit exemplo nefas.

belli tumultu in Batauiam eijcitur, &

Fluctu tunc aliquo grandiore cum pluribus eiicior, & circumagor Numidæ in morem. aliquamdiu diſcurro ſine lare, ſine ſedibus, quas tamen poſui in Batauis: ſed temporaneas, non perpetuas, & vt ſtationem ibi haberem non portum; ſaltem dum conſileſcerent turbæ, atque iræ lenirent. Et commodè etiam egimus, niſi quòd inter eos, quibus rerum bonarum non magnus ſenſus. Fui tamen

aliquamdiu cōmodè egit. — Cēt. 1. Miſcell. epiſt. 67.

Amico amicus, beniuolenti beniuolus,
Ingenuæ frontis, oris & cordis probi.

Malos ibidē auerſabatur,

Sed erant ibi rara ingenia, quæ pacem, quæ quietem amarent; hoc eſt, ingenij mei perpauci: & iis, quos iuuabat

—— clamor, galeæque leues, Horat.
Acer & Mauri peditis cruentum
Vultus in hoſtem;
—— & lituo tubæ
Permiſtus ſonitus, bellaque matribus
Deteſtata.

& fugiebat.

quibus compoſitis rebus nulla ſpes, & omne in turbido conſilium, numquam hoc latus adiunxi; nec cum iis amicitiæ fœdus colui. De me teſtabar publicè, Pacis mihi ingenium eſſe, & cum Heſiodo,

Μηδὲ κακῶν ἕταρον, μηδ' ἐσθλῶν νεικεστῆρα. Heſiodus.
Nec prauis ſocium, obtrectatorémve bonorum.

ſed non ſine periculo, cùm

Avd. O bellè! ô pulchrè! ſed & feliciter; nam inter illos

illos viuere,& in publicâ aliquâ famâ vigêre,

Periculoſæ plenum opus aleæ.

Et ſi quis conatur,aut blandientibus auſcultat,

——— *incedit per ignes*

Suppoſitos cineri doloſo.

Quotuſquiſque non ſeductus & corruptus conſuetudine facilè allubeſcenti illius gentis, *facilè cum Cretis Cretizamus, &*

Βεβαρβαρωθείς τε παροικῶν ἐν βαρβάροις;

Factuſque barbarus habitans cum barbaris?

Id ego fabuloſâ illâ mutatione Cadmi ſignificari exiſtimē, qui relictis Thebis in Illyriam abijt, mox transformandus in Draconem: non quidem reipſâ,ſed moribus & vitâ.pro Græcis enim & manſuetis barbaros & feros aſſumpſit ,& vitam inſtituit ex cōſuetudine populi feram & à priore degenerem . Sicut terra interiectâ lunâ lumen à ſole amittit; ſic animus obnubilatur interuentu alicuius dignitatis aut honoris,apud degeneres illos Chriſtianos,& tandem irretitur. Sed tu aliter, & vt aranearum caſſes animalia fortiora perrumpunt, ſic iſtos ab inſidiantibus laqueis conſtanti & robuſtâ mente contriuiſti, *à pice inquinamur; quãuis* *Lipſius aliter & prudenter euaſerit;*

uripides. ——— οὐκ ἀπειθήσας θεῷ·

——— *non inobediens Deo.*

Et vt Iuno illa Homerica, in concilium Deorum veniens, à nemine poculum niſi à Themide accepit; ſic tu ab antiquis monita. Lips. Quidam tamen improbi, nec excuſo, fefellere me:nec latentia illa vitia adoleſcens prorſus intueri potui, iudicij acie adhuc infirmâ. Avd. Phocylidæum illud apud Clementem Alexandrinum legi: *d Lect. riticorū.*

Stromat. Πολλὰ πλανηθῆναι διζήμενον ἔμμεναι ἐσθλόν·

Qui cupit eſſe bonus,fallatur ſæpè neceſſe eſt.

Lips. Sed ignotis ſaltem adhæſi : notos fugi, nec placuit quiſquam,cui non Pietas & vera Virtus. Avd. *piis & probis ſe adiunxit;*

——— *Virtus rebus omnibus*

Anteit profectò. non peribit,cùm perit,

Quem penes eſt virtus. Virtus'ſt immortalitas.

Lips. Cautè interdum egi, & vitam humanâ & communi viâ inſtitui. Scenæ ſeruiendum putabam,quamdiu ego *apud alios communem viam interdum inſtituit,*

 in

in iſthoc theatro. Vidéſne vt nautæ vela ſinuent & obliquent,& teneant nihilominùs ſuum portum? Imitabar. nec fregi maiores & decumanos fluctus,ſed vitaui aut declinaui; & in externis perſonam interdum ſumpſi aut poſui,pro re aut pro æuo. In dictis aut factis, in communi Europæ motu,interdum titubaui. Et reuerà in alienâ religione, in æſtu adoleſcentiæ, inter blandientes aut terrentes, facilè fuit in ſpeciem culpæ venire,ſi non in culpam. Ad prudentiorem aliquem appello. AVD. Res clara eſt. nam illis placere non poteris, niſi ſimilem te aliquo modo facias, aut diſſimules. Et eras ibi apud Cent. 5. Miſcell. epiſt. LX.

Suſpicioſos,fraudulentos,duplices;
Qui fronte hilaro,corde triſti obambulant;
Qui gaudent, ſi quid alteri euênit mali;
Qui mœrent,ſi quid alteri euênit boni.
Quos placitum eſt,laudant; quos placitum eſt, vituperãt:
Verône an falsò,cicum non interduint.

opiniones non admiſit. LIPS. Opinionum tamen aura peſtilens, quæ oram illam infecit,me non afflauit: & inter ægros multos & cauſarios, ſanus ambulaui,in hac quidem parte. Alpheus mare Siculum ſubterlabi dicitur, ſine mixtione vndarum, ad ſuam Arethuſam; ego per improbos & impios ad veram pietatem. & vt Athletæ in ſtadio oculos ad metam & brauium intendunt; ſic mea mens ſemper ad Cælum & æternam illam palmam intenta erat. Pietas mihi interna & vera erat propoſita,Modeſtia & Virtus. Eram enim ex iis,quibus illa in corde magis,quàm in ore: quique factis exerceri eam acriter malebam, quàm verbis. Fama tantùm longa bonis ſtudiis artibuſque parari poteſt: vita æterna,bonâ hîc vitâ. AVD. Rectè. *quod ſumus profeſſione* (verba D. Ambroſij ſunt) *actione potiùs quàm nomine demonſtremus: vt nomen congruat actioni, actio reſpondeat nomini, ne ſit nomen inane & crimen immane.* Vt poma,in Iudæâ,non poma naſcuntur, quæ contacta in fumum abeunt & vaporem: talis verboſa illa pietas,ſine vitali operum ſucco. Sede finibuſque in Batauo littore, mente animoq. nobiſcum egiſti, cetera ſimilis bonis. Vt radij Solis in ſordes & caligantia loca coniecti, illuſtrant, Cent. ad Italos & Hiſp. ep. 18 *Virtutes colebat cum pietate, ſed priuatim;* Præſcript. pro Conſt. D. Ambroſius.

ſtrant, non inquinantur: ſic tu inter feros ſquallentéſque animos reſplenduiſti verâ virtutis tuæ luce. Sed de Pietate: illam animo gerebas incluſam, nec proferebas aut præferebas clarè in ſcriptis? LIPS. Si veram cauſſam vis, factum à me parciùs in iſto ancipite ſtatu rerum & varietate iudiciorum, metu offenſionum. Ecce non ſententia ſed verbum aliquod à calente calamo anceps fugerat, calumniarum ſubitus & magnus ignis. Quæ cauſſa in meis ſcriptis abſtinuit me, fateor, ab altiori initu in ſacrarum illud rerum mare: quò materies alioqui & ingenij ventus vocabant: ſed repreſſit hic metus & adnauigare iuſſit littus.

nec iſtă ſemper proferebat in ſcriptis, ne offenderet,

Cēt. I. Miſcell. Epiſt. 97.

AVD. Talis locus erat, in quo oportebat,

Phocylid.

Καιρῷ λατρεύειν, μὴτ' ἀντιπνέειν ἀνέμοισι·

Temporibus ſeruire, nec aduerſarier auſtris.

Nónne etiam Sapientiæ pars eſt, leuiter deſipere, & paullùm extra viam rectam ire, ad vitandum violentum aliquem occurſum? Germani olim in *prælio cedere loco, dummodo rurſus inſtes, conſilij quàm formidinis arbitrabantur.* quídni tibi idem licuerit in vndoſo iſtoc & opinionum turbido mari? Cur vela feciſſes aduerſis ventis? Vt fluuij quidam, qui erepti oculis & ſub terram reconditi, feruntur nihilominùs ad ſuum mare: ita latent inter impios ſæpè pij, & tacitè ad ſcopum deſtinatum perueniunt. Silentio tuti ſumus, quando ratione non licet. LIPS. Cum tempore pugnare nolebam, etſi haud ſeruiliter ſeruire. Apud me & interiorem animum liber eram, recti iudicij & ſenſus: in ſermone interdum temperabam, nec offendebam qui poterant offendere. Sapientia vera, firma eſt, non tamen elata: nō timet pericula, ſed nec prouocat aut laceſſit. Aſcanij illius apud Poëtam iuuenilis nimis ardor eſt, qui

Tacitus.

ſilentio tectus & taciturnitate,

& re magis quàm ore bonus.

Virgilius.

Optat aprum, aut fuluum deſcendere monte leonem.

Non ita ego. qui abundè fortis eram, ſi excipiebam non etiam incurrebam in diſcrimen. AVD. Raró alliſa nauis eſt, quæ modico velo legit littus.

Interfuſa nitentes
Vitans æquora Cycladas.

Eminentia feriunt procellæ. LIPS. Talis mihi mens, qui

nauim

nec improuiſè non profutura proferebat.

nauim ſemper auertebam ab illis ſalebris, velificationem omnem dirigens ad vnum tranquillæ mētis portum. Quo enim, aut cui bono aliter feciſſem? Semper hoc videndum cui bono, ne ſine emolumento Reipublicæ & ſuo; imò ne omnino res eat turbatum, intempeſtiuâ licentiâ, aut ardore in fumum abituro. Diſplicent in Repub. non pauca, in Religione fors omnia? videat an malo remedium reperiat. Non inuenit? ſed nec perimat ægrum corpus, & quod inualetudine ſuâ extrema minatur. Prudentis medici eſt, in deſperatâ valetudine, non adhibere deſperata medicamina; quia plerumque tardè gradienti ægro, præcipitio conſulunt: ergo naturæ illum relinquit, & ſuggerit quædam in robur & leuamentum, ſi fors victrix natura mali, pulsâ, quâ opprimebatur, malignitate, reualeſcat: aut vt ægrum ſuum paullatim robuſtiori medicabulo paret, dum creſcunt vires generoſiori medicamini reſpondentes. Igitur tacebam, nec monita ſpargebam non audienda. AVD. Probare te aut tua ijs volebas, qui nō probabant? fruſtrà. & hoc fuiſſet quaſi cibum aliquem conciliare iſtis, qui abhorrent. Ille mihi prudens eſt, qui non in vanum ſpargit monita; qui quæ ſcit non profutura, domi ſuæ tenet, laxaturus habenas, & toto oſtio emiſſurus, vbi melior ſpes affulſerit. LIPS. Feci hoc apud Battauos, in quo quid peccauerim, neſcio: niſi peccatum ſit diu ſiluiſſe. AVD.

Sed nimis timidè fortaſſè, &

Tacere optumum eſt: plus ſcire ſatius eſt, Epidico.
Quàm loqui.

LIPS.

Παῦρα μὲν, ἀλλὰ μάλα λιγέως·
Pauca quidem, verùm argutè.

Meliùs olim Pacuuius: Pacuuius.

Ego odi homines ignauâ operâ, philoſophâ ſententiâ

debuiſſet planius & plenius,

Attamen ſilentium illud meum nōn teſtatione vnâ, vbi tempus fuit, poſteà leniui, ſed ſpongiâ deleui: imò pro timore meo vano meliora maioráque illi genti repoſui. In ſcriptis enim meis iaciēda fuiſſent ſalutaria etiam monita & pietatis ſemina, etſi non ſtatim profutura. idque vel ab

agricolæ exemplo,

agricolæ exemplo. Ille, ſi hoc alteróque anno ſpes deſtituit,

tuit,tamen arat, occat, ſerit: & Bonus Euentus ſeriùs, ſed vberiùs,ſæpè reſpondet. Et vt ſenex ille in Synephebis,

Serit arbores quæ alteri proſint ſæculo;

ſic ego monita admiſcere potuiſſem, quorum fructus ad multos redundaſſent. Senecam audio: *Quare verbis*, inquit,*parcam? gratuita ſunt. Non poſſum ſcire, an ei profuturus ſim, quem admoneo: illud ſcio, alicui me profuturum, ſi multos admonuero. Spargenda eſt manus. non poteſt fieri, vt non aliquando ſuccedant multa tentanti*. Et pulchra etiam illa ratio. quòd ſicut gemmæ,etſi in lutum aut ſordes abiectæ,ſplendorem non amittunt, ſed dies poſteà reuelat & attollit: ſic in iſtis quæ benè, honeſtè, piè dicuntur. AVD. Plura tu etiam volebas? Audi Euripidem:

Epiſt.29. — *ex dicto Senecæ,* — *& alio ſimili.*

Euripides.

—— οὐ γὰρ οὐδ' ἀζήμιον

Γνώμην μὲν εἶναι τοῖς σοφοῖς λίαν σοφόν·

—— *non vel hoc noxâ vacat,*

Si mens ineſt ſapientibus ſapiens nimis.

vide cùm pauca & timidè quædam de religione dixiſſes, quàm vndique incurrebant,pænè dixerim

Ἀγροτέροισι σύεσσιν ἐοικότες·——

Agreſtibus ſuibus ſimiles.

quid futurum fuiſſet, ſi magis te diffudiſſes? Robur & æs triplex circa pectus induendum fuiſſet, vt ibi erant homines, tempora, mores. Nihil enim tam probè dici poteſt, quod non vellicare malignitas velit. Et tu in eâ Republicâ prudenter de religione quędam diſſeruiſſes,quę variam in primis & miſcellam induxit, ſtabiliendo ſceptro? tu tuam interſperſiſſes, qui vnam, & vnam tantùm, in vnâ Rep. ſemper probaſti? qui riſiſti Ægyptios reges & Iulianum Imperatorem? LIPS. Sed ego ſcio,non eſſe humani ingenij, optima quęque primis cogitationibus deligere: & ferè ſecunda in viro conſilia maturiora eſſe. Vetus illud verum eſt,

Sed nemo non errat.

Euripid.

Αἱ δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι·

Poſteriores cogitationes ſapientiores.

In Religione tamen, vt dixi, nihil mutaui: in ſede illorum non in ſenſu fui: & vt in peregrinatione,corporis non ani-

Reiectiúc. Sannionis, & Cent. ad Germ. & Gall. ep. 68. — *In Religione ſaltem conſtans fuit & vnus,*

mi requiem illîc elegi. In tempore, vt meum ingenium eſt, quietè modeſtéque me habui: non in ſacra aut ritus eorum tranſiui. Vis aliqua compulit? aberat animus: & cùm illi aliquando multa de Repub. de Religione, riſi. Cleo-

Nec Suada

menes Spartæ rex, Græculo cuidam multa de fortitudine diſſerenti, aures non præbuit, & auertit. Illo mirante, Quia enim, inquit, ſi hirundo hæc diceret, idem quod nunc facerem, atque affatim riderem: ſin autem aquila, darem ei libenter mentem & aures. Simile mihi in illis erat. quos ſeriò & cum affectu de vtraque diſſerentes riſi, qui ſciebam quomodo in vtramque erant affecti. Sicut Vlyſſes ille blandientes, ſed inſidiantes ſcopulos, ſurdâ aure prætervexit, oculos tantùm habuit apertos; ſic multa obiter videbam tantùm, nō in aures, minùs in animum admittebam. Semper enim mihi (ô tu qui vides & ſcrutaris has fibras!)

Maiorum ſc[i]ta è mente dimouere potuit,

ſemper ſtetit infixa menti Religio vera, & à maioribus tradita; quam nunc palàm loquimur & profitemur: ſemper ille noſter ſenſus, antiquare & cum maioribus ſapere; *vetera nouis, & quieta turbidis antehabere:* nec hunc calumnia aut vis vlla, non dicam exuit, ſed nec exuſſit: ab illo Tacit. 1. Ann.

aut vis vlla;

> *Me nec Chimæræ ſpiritus ignea*
> *Diuulſit vmquam:*

nec alia fraus aut argutiola. Non credunt? eſto. hilum non ego deterior, ſed nec triſtior: qui ſto apud Iudicem, cui nemo mentitur. Vt radij ſolis per terram ſparſi, à cælo & in cælo tamen ſunt: ſic noſter animus Romano cælo ſemper adhæſit, etſi Batauo cœno illuxit. Pietas, inquā, mihi ſalua erat: & ex animo teſtor aut reſpondeo, non aliam me viam ſalutis nouiſſe, quàm hanc, quæ per vnum illum & directum limitem duceret. Et quiſquis eâ caret, aut negligit, quid veri, non dicam Chriſtiani hominis, ſed hominis habet? Ad eam nati omnes, nos quoque peculiari Dei gratiâ inſtituti ſumus: teneamus & amplectamur, vnicam quietis hîc anchoram, vnicum ad perpetuam ſalutem viaticum & viam. Pietas enim caput virtutum, imò omnis virtus eſt.

Pietas non imminui,

per quam cæleſte regnum ſubimus

vt certam & vnicā viam.

AVD.

Arbiter. AVD. ——*ô maxima rerum*

Et meritò Pietas homini tutiſſima virtus!

Cuius ſtudium

Æquè pauperibus prodeſt, locupletibus æquè:

Æquè neglectum pueris ſenibusque nocebit.

Triſmegiſtus. Pulchrè ille Ter-maximus apud Lactantium, Inſt. lib. 2. cap. 16. Μία φυλακὴ εὐσέβεια. εὐσεβοῦς γὰρ ἀνθρώπου οὔτε δαίμων κακὸς, οὔτε εἱμαρμένη κρατεῖ. Θεὸς γὰρ ῥύεται τὸν εὐσεβῆ ἐκ παντὸς κακοῦ. *Vna cuſtodia Pietas. Pium enim virum non malus Genius, non Fatum ipſum deuincit. Deus enim eum liberat eripitque ex omni malo.* LIPS. Verè dictum, ipſe expertus ſum: & eripuit me Deus ex malis illis & parum pijs hominibus, & libertati reddidit; patriæ & amicis reddidit. O æterna ſapientia, ô lux ſine ortu aut occaſu, *lætus, lubens, laudes ago, grates gratiaſque habeo*; quòd duce te euaſi ex illis ſalebris, & loca deueni, per quæ facilior mihi & tutior ad te curſus. Nam niſi tu dux auctorque noſtri conſilij fuiſſes, niſi mirabiliter & præter ſpem robur dediſſes, quomodo per tot diſcrimina & moleſtias, è quibus illa depuliſti & has mitigaſti, tot viarum ambages, in adflictâ meâ tunc valetudine, veniſſem ad propoſitam metam? Sed tibi gratia eſto, iam illîc ſumus, vt non vltrà reuiſamus ambiguos & bonis parum gratos locos, quæ ipſa cauſſa deſerendi. Vt enim aliarum animantium quæque aggregant ſe ad ſuum genus; ſic inter homines meritò decet, quibus eſt ſimilitudo & paritas puræ priſcæ mentis. AVD. Sed & Ienæ fuiſſe te, aiunt, & ibi docuiſſe. LIPS. Quid mirum? publicè dudum ſum profeſſus. AVD. Et Orationes habuiſſe. LIPS. Vel vicenas, non nego. AVD. Tales illas improbas & impias? LIPS. Hoc nego, hoc pernego: & palàm editâ Epiſtolâ oſtendi falſimonias iſtas meras eſſe. AVD. Tamen iterùm aiunt. LIPS. Et ſępiùs mentiuntur. Si ſatis ad veritatem eſt, dixiſſe; ſatis ſit ad calumniam interimendă, negaſſe. Nam hîc finis non ſit, & oriantur *Tuſca iurgia*, quod vetus verbum dixit. Nemo innocens erit, ſi dixiſſe ſufficiat. Quis non aliquid meum aut alienum adumbrare poteſt, & protrudere? hoc ſi valet, latiſſimus hic ad calumniam limes; & in quo

Et ob hanc Deus Lipſiũ ab impiis liberauit & ſuis reddidit,

Plaut.

idq; mirabiliter.

Obiter de falſis illis & ſuppoſititiis Orationibus,

liberis quadrigis illa inuehatur & exultet. Sed parentem ipſum & nugatorem probæ huius prolis, nónne *Carolus Scribanius Societatis* IESV Theologus eximius ac multâ eruditione clarus, qui & partes meas probè tuendas ſuſcepit: nónne, inquam, ille quem amo ἕνα τῶν ἀληθινῶν φίλων, *vnum ex veris amicis*, ipſum Amphitruonem prodidit huius Alcmenæ virum? huius Palæſtræ è Plautinâ Rudente Dæmonem; & ipſius adeò impoſtoris confeſſione, huius filiæ patrem? AVD. Sed quis igitur ille, à quo, ſi Deo placet, aureus ille partus? LIPS. *Melchior Haiminsfeldius Goldaſtus.* Hic ille Pſeudolus calumniarum inſtructor ſcenæ. hic ille Pandorus, qui maleuolentiæ mantello tectus, ſagittas ſparſit, vulnus intentauit, non tetigit. AVD. Scilicet nemo noſtrûm inter oletum iſtud dijudicet & Lipſianam myrrham? Vah, tam frigidum, ſolutum, ineptum, & verbo dicam, impium! Et ille tenebrio tam ſtultus vt ſperaret ſe poſſe imponere nobis falsâ tuâ perſonâ? Bardi Typographi, qui tam ambitiosè hæc diu ulgant. Sed credo in noſtrum riſum & ſuum quæſtum. LIPS. O improbæ nimis & impiæ ſpei Orationes! Hæ ſcilicet illæ ſunt quibus alienum me ab Orthodoxâ fide fuiſſe contendant, quibus me ſimulatæ vitæ inſimulent; ſed Deo gratia eſto, fulcrum hoc collapſum eſt, & ſtructorem proſtrauit, me innocentem reddidit. AVD. Apud Batauos igitur & alios, ſemper manſiſti in viâ rectâ quam ab adoleſcentiâ inſtitueras. LIPS. Semper. ſed vacillaui, imò cecidi interdum. attamen ſurrexi, & citâ celeritate correxi, quod temporis ereptũ lapſu. Viden' vt miles quoq; ſi cecidit, ſurgat alacrior, & animos iráſq; ſumat à caſu? Idem mihi factum, & quod in freto illo adoleſcentiæ, in illo inquam æſtu ac feruore ingenij fortaſſe inconſideratius à me dictum aut factum, conſtanter emendaui. AVD. Præſtat antè viam ſiſtere, & temerè aut calidè aliquid dixiſſe, quàm feciſſe. Deferueſcunt enim animi paullatim, & affectum veritas ac ratio vincunt. Sicut autem muſto tempus damus, vt deſpumet, ſic animo vt iuuentutis & opinionum fæces eijciat.

Ἥβη καὶ νεότης ἐπικουφίζει νόον ἀνδρός·

quorum auctorem Carolus Scribanius è tenebris produxit, &

Melchiorem Heimunsfeldium Goldaſtum eſſe docuit,

Lipſium innocentem reddidit.

Ita igitur apud Batauos vixit, & interdum vacillauit,

ſed conſtanter correxit.

Et quis ab errore tutus?

Vanam

Vanam homini mentem reddit cum pube iuuentus:
ait poëta ille ſapiens. Nec culpare te quiſquam idcircò poteſt, aut probare à verâ fide abijſſe. Vinum, vinum eſſe non deſinit, ſi aquâ leuiter temperatum; nec vera Religio, religio, ſi guttæ in eâ externæ labis. Et quis ille qui ſe labi & errare poſſe neget? Verſus ille Phœbææ veritatis eſt;

Ἁμαρτάνει δὲ καὶ σοφοῦ σοφώτερος·

Erratque ſapientiſſimus ſapientium.

Audi Romani nominis & Sapientiæ magnum Solem; au-
Seneca. di tuum Doctorem: *Pro quocumque*, inquit, *illud reſpondeamus nobis, ſapientiſſimos quoque viros multa delinquere: neminem eſſe tam circumſpectum, cuius non diligentia aliquando ſibi ipſi excidat: neminem tam maturum, cuius non grauitatem in aliquod feruidius factum caſus impingat: neminem tam timidum offenſarum, qui non in illas, dum vitat, incidat.* Nónne ita eſt? Solum ego Deum omniſcium & expertem erroris habeo: *Solus Deus.* hominum quidquid eſt, opinâtur, vacillant, errant. Num- *Homo errat.* quam à Veritatis areâ aberraſſe, neque humanum eſt, neque cadit in hanc vitam: imò

Iuuenalis. —— *quid tam dextro pede concipis, vt te*
Conatus non pœniteat, votique peracti?

An neſcis ἴδιον τοῦ σοφοῦ μετανοεῖν; *Sapienti proprium pœnitere?* *Homo pœnitet, nec probri eſt.*
LIPS. Scio, & ego ſi quid peccatum eſt, pœnitere malui
Tertullianus. quàm defendere. *Non ſuffundor errore* (ait Tertullianus) *quo*
Cét. 5. Miſcell. ep. 79. *caruiſſe delector*. Et pœnitentiæ portus ex facili hanc cymbam admiſit, quæ Reges, Principes, Eccleſiæ ipſos apices
II SERMONIS PARS, QVALIS NVNC SIT. non excluſit. Et ego cum gaudio meliorem me recognoui. En meam vitam à tot annis. vbi vacillat aut fluctuat? Neque neſcio quorundam hodie prauam ſapientiam, frigus præferre, medios agere: vt de ijs Homericum illud iure efferas: *Sed ſunt fluctuatores hodie & ambigui in Religione;*

Τυδείδην δ' οὐκ ἂν γνοίης ποτέροισι μετείη·

Tydidem haud noſſes, vtris in partibus eſſet.

Salluſtius. vt *Syrtium Leptitanarum facies ſimul cum ventis mutatur*; ita multi vulpiones hodie, toties aliter ſentiunt, quoties in diuerſa opinantes incidunt: aut ſemper in ſuſpenſo, incli-

naturi ad partes valentiores,

——— *Ioue non probante.*

Scitè nuper à Politiano dictum, *meliorem honeſtioremque leonis faciem eſſe quàm ſimiæ, etſi iſta ad hominem propiùs accedit.* Politianus.

AVD. Graphicè hos in vno omnes Claudianus depinxit: Claudianus.

Librauit geminas euentu iudice vires
Ad rerum momenta cliens, ſeſeque daturus
Victori.

non ex iis Lipſius; LIPS. Mihi diſplicet; imò malus & impius ille

——— *qui ſemper & omni* Iuuenalis.
Nocte dieque poteſt alienum ſumere vultum.

Ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς Ἀΐδαο πύλῃσιν, Homerus.
Ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρεσίν, ἄλλο δὲ βάζει.

odit potiùs & contemnit, *Haud minùs ille mihi exoſus quàm ianua Ditis,*
Mens aliud cui tecta tegit, quàm lingua loquatur.

Mileſiarum Scriptores magiſtros probo, qui aiunt, *hominem liberum & magnificum debere, ſi queat, in primori fronte animum geſtare.* Apuleius.

——— τιμῶντες δ' ἀρετὰς
Ἐς φανερὰν ὁδὸν ἔρχονται·

——— *qui virtutes colunt,*
Apertâ incedunt viâ.

& apertâ viâ incedit, omnibus conſpicuus; Nónne hoc claro fortíque exemplo docuimus, auulſi à locis in quibus iſti erant; & *ſimul auiditate imperandi, ipſa vitia pro virtutibus interpretabantur?* Tacitus. Ad bonos venimus, etſi iacentes & exhauſtos: quia finis mihi nō ditiori ſed meliori eſſe. Tranquillo animo hîc viuo, Deo & ſtudijs me conſecrans. atque alios bono exemplo præit. quod variè docetur. AVD. Gratia tibi, Magne Deus; tuum hoc munus. Satis ac nimiùm etiam diu inter contumacia Batauiæ vada adhæſerat tua ratis, Lipſi: impegerátque interdum ad rupem illam periclitaturæ ſalutis. non quòd quidquam illius altiùs inſederit menti (nam bonus, καὶ φρένας ἔμπεδος, *mente immotus*, cum Homero, ſemper vixiſti;) affricuerat tamen aliquid noxij ſui ſucci: vnde illa nata liberioris opinationis, ſcriptionis. Sed quanto cum fructu aliorum tam conſtanter reuerſus es? Sententiæ & decreta vtilia ac ſalutaria, vt valida & efficacia ſint, vſum & exempla requirūt: tu

tu quæ monuiſti ſæpiùs & docuiſti, ipſe exemplo approbaſti. Sicut herbas qui ſeuit, oportunè eas irrigat atque alit vt adoleſcant: ſic tu ſententiarum tuarum velut frutices foues & attollis, vel ſole vel pluuiâ, vt ſic dicam, conſtantis illius exempli. Vtrumuis enim præſtitiſti. illuſtrabas, dum in rem velut præſentem ducebas, & factũ oſtendebas, quod faciendum ſuadetur; foues etiam dum animum erexiſti, & re doces non noua non ardua proponi. Sed & viam præiuiſti, in quâ veſtigia tutò & alij ponant. Sicut qui gubernandi parum peritus eſt, vbi plures naues, curſum temperat & ſequitur priores. ita vada & ſcopulos vitat, & ſine magnâ ſuâ arte portum cum prioribus petit, & tenet. Vidi qui ad ſpeculum ſe comunt, faciem & cultum rectè diſponere; prorſus hîc idem: tua vita & facta ſpeculum ſunt, & imago, in quâ alij ſe videant, & ad eam decorè componant. *Spectate iuuenes, imitamini; in ea tempora nati eſtis, quibus firmare animum expedit conſtantibus exemplis.* Habemus fortaſſe vetera, ſed recentia tangũt propiùs; nec vlla magis, quàm quæ domi noſtræ nata, (xvi Annalium.)

(Manilius.) *Exemplo monſtrantque viam.*

LIPS.

(Publ. Syrus.) *Diſcipulus eſt prioris poſterior dies*;

ait ille. Sed & diu anteà votum habueram inter bonos viuere, tunc etiam Deo auxiliante ſucceſſum. AVD.

(Horatius.)
——— te tabulâ ſacer
Votiuâ paries indicat vuida
Suſpendiſſe potenti
Veſtimenta maris Deo.

Sed maleuolorum quàm hîc ſint, vt cum Moſcho dicam, (*Iterùm Calumniatores, qui*)
(Moſchus.) ὄμματα δριμύλα καὶ φλογόεντα, *oculi acres & flammantes*, noſti? & qualem tibi inurant calumniam? LIPS. Hoc æuo calumnia & inuidia paſſim ſuccreuerunt vberrimè, & hominum malè feriatorum, carptorũ, zoilorum, plus eſt ferè (Ery. Puteanus.)

Quàm olim muſcarum eſt, cùm caletur maximè.
(Silius.) *O dirum exitium mortalibus! ô nihil vmquam*
Creſcere, nec magnas patiens exſurgere laudes
Inuidia!

Quid

Quid tamen eſt quod emiſſitijs illis oculis vident? aut quid inurunt? AVD.

Liuore nemo iudice ſit nocens, Scribanius.
Quem priua Virtus non peragat reum:
Sed gloriæ parcens iacenti,
Inuidia eſt inimica ſummis.

LIPS. Rectè ergo Liuius, *Inuidia velut ignis, alta petit.* AVD. Liuius.
Numquam aliter;

Æquare palmam ſcilicet impotens
Clareſcit vmbrâ,
——ἀλαζὼν ἄδικα βιβλία ψύχων· Timon Phliaſius.
——*inſolens iniquos libros effutiens.*
Teque honor, & laudes, & læto gloria vultu, Silius.
Et decus, & niueis victoria concolor alis,
Te cinctus lauro perducit ad aſtra triumphus.

dicunt Lipſium ſpe purpura deſeruiſſe Batauos, Et aiunt Patriam te antehabuiſſe, non ſine Religionis ſed ambitionis, & vt ad potētiam ac purpuram viam tibi munires, haberéſque deſertæ cauſſæ præmium. LIPS.

An vmquam cuiquam contumelioſiùs Plautus.
Audiſti factam iniuriam, quàm hæc eſt mihi?

AVD. Ride ſi ſapis, mi Doctor, ride;

——ἐμὸν δ' ἐγέλασσε φίλον κῆρ· Homerus.
——*meum verò riſit charum cor.*

quod ne in ſomnio quidem cogitarat. LIPS. O quam rem tetigerunt! ô acre & ardens meum illud votum! Non ſic Empedocles amore immortalitatis in Ætnâ, vt ego in hoc igne. Quis autem audiet iſta ſine riſu? quis ſine iracundiâ, qui me vel extremis lineis norit? *Modeſtia illi ſēper placuit,* Modeſtia, modeſtia eſt, quam appeto, quam præfero: & quæ ſæpè iam efferendum retinuit & repreſſit. multa

——*ſcripſi, ſcripta diuolgata ſunt:*

illa * legant & ſciant in his nos non fallere. O boni, lubrica veſtra vita & via eſt, qui in Aulâ verſamini: in quâ, vt verè vir ſanctus dixit; *Per pericula peruenitur ad grandius periculum.* Itaque acri circumſpectione & cuſtodiâ vobis opus contra lapſus. *Nihil rerum mortalium*, ait prudentiſſimus Annalium ſcriptor, *tam inſtabile & fluxum eſt, quàm potentia non ſuâ vi nixa.* Parua omnino interualla temporis, ait

Aulica vita diſplicuit, in continuo periculo — *præcipuè epiſtol. 61. Cent. 5. Miſcel. — Auguſtinus. — Tacitus. — *alienâ vi ſubnixa.*

Polybius. appoſitè Polybius, omnes homines attollunt, rurſúmque deijciunt; maximè verò eos, qui in Aulis verſantur. Reuerà enim iſti aſſimiles ſunt abacorum calculis: qui, vt ſecundùm voluntatem calculatoris, modò obulum æreum, modò talentum valent; ita Aulici, ad nutum Principis, modò beati, modò miſeri fiunt. Et quæ ſæcula id non docent? vetera, media, noſtra. Inter veteres *Joab*, ille vir acer, callidus, militiæ *Dauidis* & conſiliorum arcanorum arbiter, cùm à viuo rege non auertitur, miſſus eſt cædi à ſucceſſore. Quid *Apelles* inter Græcos? Ille à Philippo rege proximus, eo iam gradu & opibus, vt ab ipſo timeretur, momento horæ deijcitur, deſertus ab ijs, qui anteà ſtipabant & colebant. At hoc in Apelle exemplum: quàm geminum Romæ in *Seiano?* qui diu *Tiberij* Auguſti potens, & adinſtar eius ſtatuis, honoribus, cultus; tandem vnâ epiſtolâ ſubuerſus eſt, & *caput* illud *toto orbe ſecundum*, vt cum Poëtâ dicam, laqueo præbuit, & cadauer ſuum opprobrijs, lacerationi, vnco. *Quo die illum Senatus deduxerat, populus in fruſta diuiſit: in quem, quidquid congeri poterat, dij hominesque contulerant, ex eo nihil ſuperfuit quod carnifex traheret.* Et ſimilis potentia atque exitus *Plautiani* ſub Antonio, quę in Dione Caſſio lege. Iam in æuo poſteriore, *Alfonſus Albuquerſius* pleraque Indiæ Orientalis Luſitano Regi ſuo ſubiecit: at idem accuſatus maioris ſpei, & ſuſpectus denique, reuocatus in patriam eſt, & morte oportunâ fortaſſe ignominijs ereptus. Simile in *Duarte Pacieco*, qui poſt magna merita, in cuſtodiam & vincula coniectus etiam fuit, & in clarâ innocentiâ liberatus tandem, ſed vt in paupertate ſeneſceret. *Conſaluum Magnum*, & *Ferdinandum Corteſium*, nec ipſos parem gratiam meritis retuliſſe, aliquis arbitretur & dicat. Apud Hiſpanos quàm nobile documentum fluxæ potentiæ *Aluarus Luna* eſt? Amabat & euehebat eum Ioannes Rex Caſtellæ, ſuper omnes homines & amicos. Opibus, titulis, præfecturis, cottidiè augebatur; atque ita regem ſuum fecerat, vt vel bellum eius cauſsâ gereret cum vicinis regibus & cognatis. Nulla res in maiore famâ & inuidiâ, quàm iſte amor: atque is ſatis diuturnus.

Marginalia (left): Fla. Ioſephus. — Polybius. — Dio Caſſius. — Seneca. — Dio.

Marginalia (right): *Quod docet exemplis aui veteris, in Ioab & Apelle; medij, in Seiano, & Plautiano; poſterioris, in Alfonſo Albuquerſio, Duarte Pacieco, Conſaluo, Ferdinando Corteſio, & Aluaro Lunâ.*

Salomon. Sed quis exitus? *Sicut diuiſiones aquarum, ſic cor Regis*, ait Hebræus Sapiens. Occultè abduxit ſe ab Aluaro, odit quantum amauerat; denique paucis conſcijs, in oppido Burgenſi, ſagaciter hominem in vincla conijcit, damnari per ſententiam iubet, caput abſcindi, & in forum per triduum oſtendi. O cæca mortalitas! tu ille ſuperbus paullò antè & inſolens, vbi es? quid es? deſijſti eſſe, & tot annorum cumulata felicitas ſubito turbine quaſſata & euerſa eſt. Verè tu prædixeras Aluare, non ſine mali præſagio, admirantibus alijs fortunam tuam, & apud te prædicantibus: *Jmprouidi, ne ædificium ante finem operis laudaueritis*. Sed mihi finis non ſit, ſi exempla cumulem, obuia, vt verè dixi, in omni æuo. AVD. Libet cum Lucilio clamare:

Vita aulica, vita lubrica, &

Verè omne iter hoc eſt laboſum atque lutoſum. Lucilius.

Certè in lubrico illo culmine & faſtigio Aulæ cum Laberio licet dicere:

Summum ad gradum cùm claritatis veneris, Laberius.
Conſiſtes ægrè, & quàm deſcendas, decides.
Cecidi ego, cadet qui ſequitur.

familiaritas cum Principe periculoſa

Et Claudianus Sidonij verbis appoſitis: *Periculoſam regum familiaritatem eſſe. quorum conſuetudinem ſpectatiſſimus quiſque flammarum naturæ benè comparat, quæ ſicut paullùm à ſe remota illuminant, ita ſatis admota ſibi comburunt.* Claud. Mam. LIPS. Ille pleno pectore in rem meam ſapit. Et mihi tam certum & firmum, hoc ſtatu rerum res extremo digito non tangere, quàm ad extrema rerum aliquando ire. *Marius Celſus*, & *Suetonius Paullinus* ſim: de quibus ſcio quid Tacitus ſcribat:

pro mente Lipſij: & prorſus ab ipſo declinata.

Stet quicumque volet potens Seneca.
Aulæ culmine lubrico,
Me dulcis ſaturet quies.
Obſcuro poſitus loco
Leni perfruar otio.

In magnâ Rep. pulchrũ illi fuit agere, vel in exemplum, procul à Ioue & fulmine,

Magna Reſpublica, tu me tene, communis Patria, Dei hominúmque ciuitas: ô pulchrum, in eâ locum ordinemque habere, & inter illos claſſicos cenſeri! Sit aliquis vel in exemplũ, qui quietem, Muſas, ſe amet, & Numen colat: vana aut vulgata ſeponat, aut (ſi ſuperbum non eſt) ſpernat.

AVD.

Plinius Iunior. AVD. *Ægyptus*, ait Plinius Panegyrico, *alendis augendiſque ſeminibus ita gloriata eſt, vt nihil imbribus cæloque debeat*; &, Seneca Phil. vt Seneca ait, *nemo aratorum adſpiciat cælum*:

Claudianus. *—— ſine nube ferax, imbreſque ſerenos*
Sola tenens, ſecura poli, non indiga venti:

& vt alter,

—— nihil indiga mercis,
Aut Iouis:

ſiquidem proprio ſemper amne perfuſa, nec alio genere aquarum ſolita pingueſcere, quàm

—— quas ipſa vehit Niloque redundat,

tantis ſegetibus induitur, vt cum feraciſſimis terris quaſi numquam ceſſura certet. Ita tu tuo lare contentus,

Horat. *Forumque vitans,*
Valerius. *Et triſtis curis & ſolitudinibus aulæ*
Potentioris limina;

procul à Ioue & fulmine, tibi Muſiſque viuis, abundans ſapientiâ, prudentiâ, virtutibus omnibus, & alijs communicans largéque inſtillans. LIPS. Quid verba facio? ad ſe redeant illi calumniatores, & affectum omittant: videbunt & intelligent me ita ſentire, & vno Religionis fine ad meos remeaſſe. Si quid de amicis. paucos è veteri claſſe repperi; paucos veterum morum. Duellij in meâ patriâ & Trebellij regnum poſſidebant,

non igitur ſpe præmij patriam antehabuit, ſed Religionis zelo;

Cent. 1. ad Belg. ep. 12.

Εἰδότες ἐν σταδίῃ δηΐῳ μέλπεσθαι Ἄρηϊ·
In pugnam ſtabili bellum bellare periti.

quorum amicitiam ego ſemper aſpernatus ſum. Sed iſtæc fruſtrà. An non [a] à nouitatibus abhorrere me faſſus ſum, ſi mortalium quemquam, præſertim in re ſeriâ, quæ mores & vitam ſpectat: & publicè teſtatus ſum [b] me alienum ab omni nouitiâ opinione aut errore, firmum in veterum ſcitis? [c] candidum & Fide & Amore & More maiorum? Argumentum dabit *De vna Religione* tractatus, & [d] libelli noſtri de *Cruce*, quos vel hac cauſsâ ſcripſi, vt præcones teſtéſque eſſent, non doctrinæ meæ, ſed auitæ pietatis; quæ mihi in oculis fateor cùm illa congeſſi, & quæ me ad ſcriptionem duxit. illa ipſa Pietas, quæ Senatui Populoque

quod de vnâ Religione tractatus, & libri de Cruce docebunt.

[a] Poliorcet. lib. 1. c. 2.
[b] Cẽt. 3. Miſcell. ep. 5. Cent. ad Ital. & Hiſpan. ep. 62.
[c] Cent. 3. ad Belg. ep. 86
[d] Cent. ad Ital. & Hiſpan. ep. 18. Cent. ad Germ. & Gall. ep. 22 Cent. 3. ad Belg. ep. 8.

loque Antuerpienſi in oculis, cùm ſalutare hoc ſignum in vrbe mediâ erigebant, trophæum in illius hoſtes.[a] En manum meam, en adfirmationem. non fallimus in his talibus, in quibus ſe primum fallit, quiſquis alios conatur. O miſer qui aliam hîc linguam habet & mentem![b] Sed & in reliquis meis operibus eodem animo ambigua correxi, aut certè illuſtraui.[c] Non enim ſatis ne ipſe errem: ſed ne alteri ſim erroris cauſſa.[d] Nec volui tantùm pia, recta, vetera, ſequi: ſed adſerere etiam pro ingenij aut ſtili viribus, quas Deus dedit.[e] Vt Luna quod luminis à Sole accepit, infero huic mundo refundit: ſic ego ſapientiam & dona, quæ à magno illo Deo.[f] De me fateor:

& emendationes in operibus apud Batauos conſcriptis. *Alios docet ac dirigit,*

[a] Cent. ad Ital. & Hiſpan. ep. 18. [b] Cent. 3. Miſcell. ep. 5. [c] Cent. 1. Miſcell. ep. 97. [d] Cent 5. Miſcell. ep. 59. [e] Cent. 1. Miſcell. ep. 88. [f] Polit. l. 4. c. 13.

* *Ego ille ſum, qui ſcelera committi vetem:*
Ego ſum magiſter iuris ac moris probi;

* Auctor Thebai.

* οὐκ ἄπειρος τῶν κατὰ τὸν βίον πράξεων· *non ignarus rerum quæ eueniunt in hac vitâ.*[g] Sum iuuenum, ſum virorum, ſum generis humani voce & ſtilo director & doctor. AVD. O ſalutaria mihi tua monita, quà verbis, quà ſcriptis! ô eximium doctorem!

* Ariſtot. 1. Ethic. c. 3. [g] Epiſt. ad Balth. Moretum, quæ diſpunctioni Cod. Mirand. ſubiungitur.

Qui, quid ſit pulchrum, quid turpe; quid vtile, quid non,
Plenius ac melius Chryſippo & Crantore dicis. Horat.

Bellè ſapiens Seneca: *Habet vbi ſe, etiam in priuato lare, explicet magnus animus: nec vt leonum animaliumque impetus caueis coërcetur, ſic hominum; quorum maximè in ſeductu actiones ſunt.* Senec. Negas Sycionia iſta aulica aut cothurnos pedibus tuis conuenire; & ſeceſſum ac otium quæris; ſed non ignauiam. LIPS. Vbicumque otium meum abſcondo, Seneca. prodeſſe volo ſingulis & vniuerſis, ingenio, voce, conſilio. Non enim is ſolus Reipub. prodeſt, qui candidatos extrahit, & tuetur reos, & de pace ac bello cenſet: ſed qui iuuentutem exhortatur, qui in tantâ bonorum præceptorũ inopiâ, virtute ac pietate inſtruit animos, qui ad pecuniam, luxuriam, impietatémque curſu ruentes prenſat ac retrahit, etſi nihil aliud, certè moratur; in priuato publicum negotium agit. AVD. Cùm omnibus ijs, qui aliquid conati ſunt, plurimum debeamus; quantum vtilitatis à doctiſſimo quoque cepimus, tantum laudis ei adſcribendum eſt.

idq́ omni conatu, & ſic Reipublicæ prodeſt *in priuato; idq́*

quan-

quantum veniæ meriti ſunt, qui errant; tanto plus merentur, qui emendarunt. Te itaque vt parentem, vt doctorem meum celebro, mercedémque tibi rependo, & rependam, non illam, quam Protagoras ſophiſta pepigit, nec accepit, ſed quam Thales ſapiens nec pepigit, & accepit. Ille enim Mandraitum Prienenſem cùm noua quædam & ſubtilia de cælo ac ſole docuiſſet, offerente illo mercedem quam & quantam vellet: *Hoc pro omni mercede eſto*, inquit, *vt quoties apud alios ea proferes, Thaletem non celes auctorem.* LIPS. Quæ enim alia nobis merces? Solent Iudæi ſuos ita Rabbinos citare, vt eorum ferè cuilibet addant, *zibrono librachah*, id eſt, *cuius memoria in benedictione eſt*. Quod expreſſit Hebræus Sapiens, *Memoria iuſti cum laudibus*. Equidem & ego adſurgo & veneror inuenta inuentoréſque Sapientiæ: ſed vt homo homines, & *qui non domini noſtri, ſed duces ſunt.* Antonius Pius imagines aureas in larario habebat, ac ſepulchra honorabat aditu, hoſtijs, floribus: ego laudibus. Sed erro extra limites ſermonis, & ordinem, quem vnicè amo. Proprium hoc Stoïcorum vincîre omnia, & quaſi annulos nectere in catenâ: vt non ordo ſolùm ſed ſequela & cohæſio ſit rerum. AVD. Certè ordinem amas, gloriari potes: & eâ re palmam non aufert hæc, fortaſſe nec prior ætas. Sed quàm ægrè multis eſt, quòd aliquoties vt hîc, Stoïcos probes & imiteris! Ecce

Sine vllâ mercede, ſolâ beniuolâ mẽtione contentus.

Salomon.

Seneca.

Iul. Capit.

Accurrit quidam, notus mihi nomine tantùm,

qui te omnino Stoïcum vult, præſertim in re Religionis, id eſt impium. LIPS. T[9] V[16] N'[15] H[10] O[11] M[12] O[14] O[3] S[13] S[8] V[7] G[5] G[1] E[2] R[4] I[6] S[17]? & ego etiam tuis calumnijs ſcopus? Sanè mente, vt ait ille, exſenſâ es; & Clodium illum Albinum imitaris, qui, vt ait Iulius Capitolinus, adhuc puer, *quòd eſſet animi iam militaris ac ſuperbi*, ſæpè in ſcholis inter æquales, Virgiliana illa vſurpabat:

Alia iterùm calumnia, quòd Stoicus.

Eius auſterè exagitat, &

Iul. Capit.

Virgil.

Arma amens capio, nec ſat rationis in armis:
Arma amens capio.

Bonâ gratiâ, abi quæſo, & cucurbitas pinge. Quid opus in me ſic vltrò & ex ſuperuacuo incurrere? quid velut è plauſtro conuitia iacere? Hæc non ſunt compoſitæ mentis:

ſed illorum, vt cum Poëtâ dicam,

—— *ἃς ἐδίδαξαν ἀριστερὰ γράμματα Μοῦσαι·*

—— *quos litteras Muſæ docuere ſiniſtras.*

de periculo monet

Deſine ſacrilegâ conuitia fundere linguâ, Sannazar.
Deſine, pro IVSTO *ſtat Deus ipſe ſuo.*

Et caue,

Ne pœnas Nemeſis repoſcat à te. Catull.
Eſt grauis Dea; lædere hanc caueto.

Stoïcam ſectam amauit; [a] Non diſſimulo, in pretio & amore mihi Stoïca ſecta eſt, [a]Conſt. l. 1. cap. 18. [b] virilis illa Secta. nec mirum. Audi Plutarchum in Cleomene, ex profeſſo Academiæ addictum, & proinde Stoïcis [b]Polior. l. 3. d. 6. *aduerſariis etiam laudatam, quia* paruni æquum: Ἔχει τι ὁ Στοϊκὸς λόγος πρὸς τὰς μεγάλας καὶ ὀξείας φύσεις ἐπισφαλὲς καὶ παράβολον· βαθεῖ δὲ καὶ πρᾴῳ κεραννύμενος ἤθει, μάλιστα εἰς τὸ οἰκεῖον ἀγαθὸν ἐπιδίδωσι. Plutarch. *Habet Stoïca doctrina, ſi in magnam & acrem naturam incidit, aliquid lubricum & anceps; ſi autem cum graui & miti ingenio temperetur, magnos impetus dat ad verum bonum & virtutem.* Oraculi hoc ego vice habeo, in altâ & ſuperbâ naturâ Stoäm non fore vſui; in aliâ *ſalutaria in eâ ſemina & monita,* & modeſtiore, ſaluti. Lege paucos eos libros qui exſtant vel Senecæ vel Epicteti: Virtutem ipſam ſcripſiſſe dicas, & ſemina ſalutarium monitorum vbique ſparſiſſe. *Non* Seneca. *eſt quod exigas Repetita aut Excerpta: Continuum apud noſtros, quidquid apud alios excerpitur. Non habemus iſta oculiferia, nec emptorem decipimus; nihil inuenturum cùm intrauerit, præter il-* *& paſſim;* *la quæ in fronte ſuſpenſa ſunt. Quocumque miſeris oculum, id tibi occurret, quod eminere poſſet, niſi intra paria legeretur.* Non *non approbauit, niſi quatenus Chriſtianum decet:* ſequor tamen aut approbo, niſi in quibus cum Chriſtianis conſenſerant. Et nónne etiam inter culmina Religionis, qui à ſenſibus multis non abierunt? *Arnobium* poſſim dicere, *quod etiam Arnobius, Tertullianus, Pãtænus, inter culmina Religionis, fecerunt;* & magis *Tertullianum*, ingenio etiam Stoïcum & ſeuerum. Quid magnum illum *Pantænum*, Alexandriæ ſacrorum doctorem, & antiſtitem? Hieronymus de illo apertè: *Pan-* D. Hieron. *tænus Stoïcæ ſectæ Philoſophus, ob præcipuam eruditionis gloriam miſſus eſt in Indiam, vt Chriſtum apud Brachmanas & illius gentis philoſophos prædicaret.* Optimè ab optimis illis factum: Philoſophus ad philoſophos miſſus, Stoïcus ad Brachmanas, nec opinionibus quidem nimis diſſidentes.

Et

Et fructum verò ingentem fecit, laudémque rettulit: & mox Alexandriam rediens in eâ obijt, cùm ſcholæ illic nobili plures annos præfuiſſet. In quâ ſuccedere ſibi voluit *Clementem Alexandrinum*: illum cuius totijugam doctrinam Eccleſia etiamnunc admiratur & fruitur in libris qui exſtant. *itemq́ Clemens Alexandrinus,* Qui ipſe quàm ſæpè Stoïcus eſt, & dogmata eorum ſacris noſtris aptat? Et meritò aptat. nam Hieronymi illius ſanctioris an doctioris viri ſententia eſt, de tabellâ & ſcripto recitanda: *& D. Hieronymus,* Idem. *Stoïci noſtro dogmati in pleriſque concordant.* Concordant? ita: & quod ſequitur, occultè ad noſtrum dogma & ad pietatem ducũt. Cent. 2. ad Belg. ep. 1. Sine fuco dicam, mihi euenisse. *& hoc aue Carolus Borromæus.* Audio magnum illum *Carolum Borromæum*, ſtirpe, ſacrâ purpurâ, virtute maximè clarum, ſępè faſſum Epicteti ſe libris motum & monitum ad contemptum rerum humanarum, amorem diuinarum, veniſſe. Et quæ Secta aut Deum magis aperuit & homini inſeruit, aut ea quæ ad ipſum? *Illa de Deo ſupra alias ſectas pulchra,* maieſtatem dico eius, prouidentiam, gubernationem, & curam noſtri. Quem primum limitẽ eſſe ad cognitionem & amorem veri Dei, nemo negat. Hæc mihi ſectam illam non probam prorſus fecerunt (abſit:) ſed probabilem tamen ſupra ceteras, quæ magis humi & circa hominem repunt. Iam de moribus & animorum luſtratione, quis Senecæ, Epicteto, Arriano (quamquam ille Epictetus alter eſt, & loquitur ferè eius verbis) hac parte præponendus? *de moribus præclara diſſerit;* Multa & præclara Plato, confiteor; multa Ariſtoteles: ſed non robore eodem aut neruis. Spirat neſcio quis calor in Senecæ aút Epicteti ſcriptis, qui ad lectorem quoq; peruenit: *quod in Senecâ & Epicteto videre licet;* nec diſſerere illi magis de Virtute vidétur, quàm inſerere & inculcare. Sed Stoäm cur vberiùs verbis laudem? Fruſtrà. quia vt montium altitudo procul non apparet, ſed cùm acceſſeris: non item huius ſplendor, niſi cùm pernôris. Pernoſci autem ſine Chriſtianâ veraque religione non poteſt. quam prælucentem ſi tollis: fateor ecce & clamo, ludibrium illa, vanitas, delirium eſt. *quæ tamen vana ſunt niſi cũ Chriſtianâ Religione coniungantur: quod Lipſius fecit* Benè Tertullianus: Tertull. *Cui veritas cognita, ſine Deo? cui Deus, ſine Christo?* Et ſic non auerſor Stoïci nomen, ſed Stoïci Chriſtiani, & quidem [a] puri priſcique ritus.[b] Seriò enim ſcio ac ſentio, in

[a] Ad Lect. Hall.
[b] Cent. 1. Miſcell. epiſt. 97.

vno

in vno Deo eiuſq; filio IESV *omnem ſpem ſalutis collocans.*

Cent. 1. ad Belg. ep. 8.

vno Deo & Filio eius Chriſto, qui nos benignè redemit, liberauit, ſpem omnem poſitam humanæ ſalutis. Vias ad eam perueniendi expreſſas in Sacris litteris. Nec hęc externa omnia & Philologa ſiue Philoſopha, aliud eſſe quàm acceſſiones quaſdam & ornamenta: folia, inquam, non fructus. Quod iudicium meum in libro meo De Conſtantiâ in fronte apparet. A V D. Sed ſemper ſacra te volunt promere, & adire puriores illos fontes, qui meliores. L I P S. Meliores fateor: ſed adde etiam grauiores. Lacertos meos expendo, & artus artéſque libro: cur onus mihi imponi patiar cui non ſim ferendo? Theologis, id eſt magnis altiſque viris (& eximios multos hæc ætas tulit) magna iſta & alta relinquo, mea cymba legit littus. Elephantes, aiunt, etſi amnibus impensè delectetur, haud temerè tamen eos ingredi, cùm inſcij ſint natandi: idem in Theologiâ mihi, quam amo, quam æſtimo, & tingo ſalubribus eius aquis libens animum, non tamen mergo. Quæſtionum enim vortices illos horreo: ijſque ne inuoluar, aſſideo & obambulo ſaltem eius ripas. Et hinc tamen haurio & ex tuto ſumo, quæ ad vſum. Nam acumina aut diſſertatiunculæ quid iuuent? Quod ille de Virtute cenſet, rem eſſe, nō verba; iuſtiùs ego de Theologiâ. cuius verum ſeriúmque finem ſcio, vitam. Vt melior, non vt doctior fiam, ſacra illa volumina tango: vt pectus inſtruam, non vt acuam mentem. [a] Piè ſanctéque de diuinis ſentio; [b] haut procaciter inter Religionis ſinus & ſcopulos nauigo. [c] Et prima illa ſummáque opinio eſt, nihil hîc ſapere præter id quod Eccleſia priſca, id eſt Romana. [d] in cuius caſtris ſub *Crucis* illo vexillo, quod deſcriptum & explicatum à nobis, milito; [e] nec transfuga vnquā ad nouitates ibo. [f] Siquid vſquam præter Religionem moréſque veterum, non agnoſco: & tibi adhæreo * *Statu felix Eccleſia, cui totam doctrinam Apoſtoli Petrus & Paulus cum ſanguine ſuo profuderunt*. Hæc ex animo dicta, ſcripta, vt in animum demittas, te, per ſpes tuas, & quidquid carum eſt, Lector, rogo. [g] Enimuerò quem modicè peritum antiquæ hiſtoriæ & Eccleſiæ, in Græcis Latiníſque Patribus verſatum, ceperit hæc nouitas?

Sacras litteras & Theologiam amat & adit,

& ſalubribus preceptis animum munit, non ad altercationem,

ſed ad vſum,

vt melior fiat, non vt doctior.

De Diuinis piè ſentit, & in omnibus cum matre Eccleſiâ ſapit.

Crucis vexillo tectus;

nec quidquā præter Religionem moreſq; veterū agnoſcit,

quam Patres adſtruunt, nouatores diruunt.

[a] Cent. 5. Miſcell. ep. 60.

[b] De vnâ Relig.

[c] Cent. ad Ital. & Hiſpan. ep 11.

[d] Cent. ad Germ. & Gal. ep. 21.

[e] Cent. ad Ital. & Hiſpan. ep. 61.

[f] Ad Lect. Cruc.

* Hodie Romanâ Tertul.

[g] Cent. ad Ital. & Hiſpan. ep. 11.

[a] Contra Dialogiſt. [b] Cent. 4. Miſcell. epiſt. 61. * Cyprian. [c] Cẽt. 5. Miſcell. ep. 15.

tas? [a] Pluſculum nos in ijs intelleximus: [b] & ſubit ſæpè (dicendum eſt) miſeratio, cùm video non pari ſplendore aut dignitate tractari. * Corruptores atque interpretes falſi ſunt, extrema ponunt & ſuperiora prætereunt, partis memores, & partem ſubdolè comprimentes. vt ipſi ab Eccleſiâ ſciſſi ſunt, ita vnius capituli ſententiam ſcindũt. [c] Semper igitur Eccleſiæ S. Romanæ ritibus & præceptis libens, vt debeo, parui: & cum ſenſu etiam aliquo incommodi ieiunia, & Quadrageſimalem in cibo caſtimoniam ſeruaui. Scio homini, Chriſtiano præſertim, *ſummam felicitatis* (vt ait Seneca) *non eſſe in carne ponendam*: & ſcio etiam primogenios parentes noſtros à Paradiſi gaudijs per cibi voluptatem excidiſſe. Itaque rediri etiam ad illa per Abſtinentiam: ſed iudicio tamen & prudentiâ temperatam. *Non enim per eam caro*, vt vir ſanctus ſcripſit, *ſed carnis vitia ſunt extinguenda.* [d] Sanctos Dei, benignos cælites piè & purè colo, id eſt, ritu priſco: & præſertim DIVAM VIRGINEM. [e] Quæ Regina cæli, terræ, maris eſt: ſupra quam nihil niſi Deus eſt: & Luna ab illo Sole proxima eſt. Imò

qui inhoneſtè veterum ſcripta allegant, & ſegmenta proferunt, veritatem ſubdolè ſupprimentes.

Semper igitur S. Eccleſiæ præceptis paruit, Quadrageſimam & ieiunia obſeruauit.

[d] Cent. ad Ital. & Hiſpan. ep. 18. [e] D. Hal. c. 36.

Sanctos piè colit & præcipuè DIVAM Virginem:

Quæ magni genus eſt Dei,
Cui Deus ipſe
Imputat genus, & ſuam
Inſcribit ſibi matrem.

Capit. 1. 9. 15. Diuæ Hal.

A primâ igitur adoleſcentiâ eius amorem & cultum indui, eámque Patronam mihi & ducem in periculis, in moleſtijs, & in omni vitæ curſu elegi, & ſenſi variè auxiliarem. Etiam in ſtudijs: & ſiquid accuratiùs pangendum, aut dicendum publicè eſſet, vbi Famæ vel memoriæ res agebatur, precibus & votis ad eam iuiſſe me fateor: & felici ferè ſucceſſu. Itaque vt primùm licuit, in SODALITIVM eius nomen etiam dedi, quod apud Eburones, & in hac item vrbe frequens honeſtúmque eſt: cui Patres Societatis IESV præſident, diriguntque. Ab eodem deinde iſto affectu Hallas adſpiraui, tandem iui: locum in multâ apud noſtros & exteros famâ, & inclytum Miraculis, quæ tutelaris ibi Diua à multis iam annis patrat. Sed cùm veni, calidè templum adij, ac preces cœpi fundere:

quam à primâ adoleſcẽtiâ amauit, & in omnibus Patronam habuit:

in Sodalitiũ eius nomen dedit.

Eam Hallis coluit precibus,

Rr *Sacram*

Sacram pronus ad aram
Flecto corpus, & ipſam
Conſecro mentem.

& verſibus; Verſibus paullò pòſt teſtatus ſum meum gaudium, & laudes Diuæ leuiter tetigi. Nam plura non dabatur, & licet illam

Prædicare ſilentio,
Quæ laudes hominum ſupra,
Quæ Geniorum.

Ipſum me,& hoc quidquid ingenij ac ſtili eſt, ei dedi, dicaui,conſecraui ex animo: pennamque argenteam in templo,ante aram eius ſuſpendi, & verſus ſubſcripſi. Facta miranda,ſupra captum aut fidem hominum, ſupra ipſam naturam,ibi & in Colle acuto prope Sichemium patrata, ſcripto complexus ſum, & Dei ac D. Virginis gloriæ vulgaui, ac publicè militem egi in Eccleſiæ caſtris. Non poſſumus aliâ re, credo,efficaciùs frãgere & calcare Hæreſim, quàm hoc Miraculorum fulmine: vbi non verbis, ſed factis diſputamus, & impudentiſſimorum etiam oculos atque animos perſtringimus iſtâ rerum maieſtate. Ideoque piè & viriliter hęc ſcribi & prodi poſteris arbitror: vtinam maiores noſtri induſtriè & intentè ſemper feciſſent! Annales condimus, & facta aut facinora hominum, imò & ſcelera propagamus: & non magis Dei Diuorumque opera decet & iuuat? AVD. Decet. Et an non iuuet vbi tam palàm fructus,& tam magnus eſt? Et fructus quidem nõ vnus. Gaudemus igitur & iactamus nos & omnes boni, quamuis improbi liueant & calumnientur. Miror tamen in re tam clarâ & teſtatâ poſſe obduci, quod vel apud improbos colorem habeat veritatis. LIPS.

& pennam argenteam ſuſpendit;

Miracula vulgauit & ibi & Sichemij patrata,

vt vel ſic hæreſin frangeret & calcaret,

& hæreticos perſtringeret,

Ne tu, quod illi fabulantur, aures immittas tuas. Captiuei.

Quis enim neſcit tot iſtas hodie nouellarum opinionum ſectas, conſenſu & velut de compacto in vnam DIVAM VIRGINEM incurrere, & decus eius omne ire imminutum? Sed Deus vindex illam tuebitur. Ego ſanè libens tales ſcriptiones obeo,& ſine moleſtiâ obeo: ſiue animo ſiue Diuâ ipsâ ſubleuante, & recreante. Mali aut moroſi, & prauè

qui ſemper iniqui in Diuam matrẽ: ſed cum offenſâ Dei.

praue ſapientes non deterrent, quamuis improbent, tamquam à narrationibus parum certis, vt aiunt, & opinione ſæpè nixis. Non debere talibus obſoleſieri auctoritatem noſtram. Diſſenſio. & aut iſtis fides ſua certa apud me, & bonos eſt: aut quid adferent, cur antiquioribus eam præſtem? ſunt teſtes, ſunt examina, & quæ in profanâ hiſtoriâ minimè adhibentur; & huic tamen credo: diuinis tantùm refragabor, & adſenſus mei oſtium claudam? Prauitas eſt: & hi tales per cuniculos ſubuertunt arcem Religionis noſtræ, quæ Miraculis eſt ſuperſtructa. Itaque nos illos ſpernimus, qui ſine vllâ aliâ adſtructione, *ſola magnitudine mendacij fidem quærunt.* SVMMVM PONTIFICEM Vicarium Christi in terris & Eccleſiæ caput habeo. Et vel ideò Senecam meum illi inſcripſi, vt orbi conſtet, quem caput Religionis in orbe eſſe velim. Illi cæleſtis ille Spiritus ſemper adſiſtit, & inſpirando dirigit: *illum Europa, Aſia, Africa, illum America & ipſe nouus Orbis ſuſpiciunt, & ab Oraculo eius ſolliciti omnes pendent, & iura ac leges ſacrorum petunt.* Atque etiamnunc quidquid tranquilli & pacati eſt in re Chriſtianâ, id manat ab vno illo Capite. Romanus ille Dictator, vt ſic appellem, & Pontifex, fulcrum aut vinculum eſt, quod ſuſtinet, quod ligat labentes aut diſſentientes in malè compacto hoc ædificio partes. Abite non impij ſolùm, ſed imperiti, qui aliter. nobis cōſtat hanc ipſam Romam, & ſacrum in eâ imperium, *fuiſſe & eſſe anchoram fluctuanti diu Europæ.* Ipſi Reges & Principes adeūt & inclinantur, & obnoxia capita vni huic capiti ſubmittunt. Quid Principes aut homines loquor? ipſi aërei, terreni, inferi ſpiritus, ſiue Genij, verentur & trepidant; & cæleſtem illam in terris poteſtatem vel inuiti ac reluctantes agnoſcunt. Iam illos ex omni noſtro orbe ſelectos ECCLESIAE PROCERES, moribus, prudentiâ, annis ſpectandos, quidni venerer, amem, honorem? quorum conſeſſum ſi vetus ille Cyneas videat, nihil ambigat vel cum Regibus, vel cum Heröibus comparare. PATRES SOCIETATIS IESV ſemper amaui & probaui; & publicè non ſemel profeſſus ſum. Illi me Rhetoricis, illi Philoſophicis inbue-

Marginal notes (left): Cent. 5. Miſcell. ep. 98. — Cent. 5. Miſcell. ep. 84. — *Præf. Sen. — *Ad Lect. Admir. — Ibidem. — Cent. 5. Miſcell. ep 30. — Cent. 3. Miſcell. ep. 87.

Marginal notes (right): *ideoq́ omnes illos carptores & calumniatores contemnit.* — SVMMVM PONTIFICEM *Eccleſiæ caput agnoſcit,* — *& ab illo tranquillitatem & vnitatem in re Christianâ eſſe,* — *illum imperiū in Principes habere, & in ipſos ſpiritus.* — *Cardinalitiam dignitatem veneratur & amat.* — SOCIETATIS PATRIS *reueretur.*

qui litteris & ſapientiâ ipſum imbuerunt,

imbuerunt; illi ſalutaria in omnem vitam præcepta dederunt & præiuerunt. Vt Vlyſſi illi naufrago Leucothea vittam ſub pectore ponendam dedit, quâ tutus à turbine & tempeſtate eſſet: ſic illi Sapientiæ præceptis me præcinxêre. ad quæ, (vt Homeri ſimilitudine vtar,

& in omnem vitam profuturamonita præſcripſerant.

> Ὡς ὅτε τις δαλὸν σποδιῇ ἐνέκρυψε μελαίνῃ,
> Ἀγρȣ̃ ἐπ' ἐσχατιῆς, ᾧ μὴ πάρα γείτονες ἄλλοι,
> Σπέρμα πυρὸς σώζων·
> *Sicut qui torrem cinerum ſub tegmine celat,*
> *Longinquis in agrorum, & vbi vicinia rara eſt,*
> *Ignis conſeruans ſibi ſemina;)*

ſemper ferè vitam meam & mores compoſui, ignem aut lumen è fomentis illis eliciens. Imò etiamnunc

> *Audio quid veteres olim moneatis amici.*

O viros à cælo miſſos!

A V D. Etiam ego, mi Doctor, quoties ad amatos illos Patres inuiſo, ſentio trepido quodam gaudio, & mixtâ veneratione, corpus animúmque percelli, & palàm in illis Sapientiam Prudentiámque habitare, quæ vel ignaris mentibus ſe ſuperfundunt. Cùm alloquor, facundiſſimum ſermonem ore eorum, quaſi è beato quodam eloquentię fonte, manare audio. Platoni olim, vt in prodigio eſt, mel ſuū apes, velut diuinæ facundiæ indices, in os inſeruerunt: illis verò Gratiæ ipſæ, *non montem Hymettum* (Valerij verbis vtor) *thymi flore redolentem, ſed Muſarum Heliconios colles omni genere doctrinæ virentes, Dearum inſtinctu depaſtæ, maximis ingenijs dulciſſima alimenta ſummæ eloquentiæ inſtillaſſe videntur*. Et vt portus in mari Deus ſtatuit, iactatis refugium: ſic hos magnos patronos, quibus in turbido iſtoc Religionis ac Pietatis recreemur & reſeruemur; ne improuiſus vortex infernalis vndę nos abſorbeat, æternóque exitio demergat. LIPS. Idem etiam de Sodalitio D. FRANCISCI cenſeo; in quod hic animus conſcius ſibi ſemper eximij affectus, vt viciſſim meruerim etiam aliquem ab illis. Et iure eum habui. quidni in eos, qui pietatis omnes numeros perſequuntur, aut habent; & eam in aliorum animis excitant aut depangunt? Vtrumque igitur hunc Ordinem diuinitus inſtitutum ſcio, magno rei Chriſtianæ bono.

ſapientes, prudentes, facundos,

& Atlantes Eccleſiæ Catholicæ!

In FRANCISCANOS animo & adfectu pronus, viros pietate inſignes:

Cent. 3. ad Belg. ep. 76 Cent. ad Ital. & Hiſpan. ep. 56

Maſhud. lib I. Diſſ. XIII. bono. Sed & CAPPVCINOS iſtos quos dicimus, veræ virtutis, patientiæ, inopiæ & pietatis exemplar, quis ſine animi aliquo motu aut impulſu videt? quis viſos non miratur & probat? Imò omnes RELIGIOSORVM ORDINES ſi quis conſideret etiam ex aduerſarijs, quamuis ore neget, tacito tamen conſenſu Diuino amore plenos, & fauore Dei dignos iudicat. Quàm laudabiles etiam DEVOTAE DEO PVELLAE, ætate adultâ, voluntate prçuiâ, quæ diuino cultui corpus atque animum manciparunt? Beata VIRGINITAS, quæ cum Angelis de gloriâ certat: certat? imò ſuperat, virtute, non felicitate; quia illorum tota à Dei munere eſt, iſtarum ab electione: ſine pugnâ aut labore illa, iſta à certamine parata; & quæ laudem habere, illa admirationem tantùm poteſt. *O illuſtris portio* (Cypriani verba agnoſce) *gregis Chriſti!* ô flos nunc in terrâ religionis, lucida ſidera olim in cælo! AVD.

CAPPVCINOS *admiratur.* — *&* OMNES RELIGIOSOS ORDINES *approbat.* — Præf. Veſt. — MONIALES *laudat,* — *&* VIRGINITATEM *cum Angelorum gloriâ comparat.*

Sanazar.

Gaudete cœtus Virginum,
Plenas habentes lampadas.

Hæretici noſtri iniurioſi in Religioſos.

Sed quàm hîc incurrunt vndique & incurſant! Religioſorum & Virginum vitam eleuant: mores, ſanctimoniam, genus vitæ, carpunt: otium & deſidiam obijciunt; & neſcio quæ monſtra vocent. Iam ſi labecula aliqua aut labes, quàm tonant, quàm malitioſè augent & attollunt! Vt conuallium ille ſonus, quem Echo dicimus, pro vnâ voce acceptâ duas tréſve aut plures reddit: ſic iſti geminant & multiplicant viſa & audita. Ad ſummam, quod Medici de cucurbitis dicunt, quas corpori affigunt, non niſi prauum eas vitioſúmque ſanguinem educere: veriùs de iſtis ego, qui attrahunt ad ſe non niſi mala. Atque vtinam attrahant tantùm! ſed ſemper à ſe addunt & inſpargunt, & vt dicta aut facta referunt, quæ nec in ſomnio cogitata. Sicut araneç caſſes & filamenta mirâ arte è ſuo corpore gignunt: ſic iſti fraudum argutos laqueos ſuopte ingenio nectunt. LIPS. Quæ hæc æui proteruia, & licentia eſt? Clamem iure cum poëtâ:

Ἤδη νῦν αἰδὼς μὲν ἐν ἀνθρώποισιν ὄλωλεν,
Αὐτὰρ ἀναιδείη γαῖαν ἐπιστρέφεται·

Nunc certè pudor in mortalibus eſt extinctus,
Terrarum improbitas occupat imperium.

O malignitas! & quid non vellicare potes? Sed, mi Auditor, *ad quid aliud ſedent iſti,* (cum D. Auguſtino loquor) *quid aliud captant, niſi vt cùm quis Epiſcopus, vel Clericus, vel monachus, vel ſanctimonialis ceciderit, omnes tales eſſe credant, ſed non omnes poſſe manifeſtari. Et tamen etiam ipſi, cùm aliqua maritata inuenitur adultera, nec proijciunt vxores ſuas, nec accuſant matres ſuas. Cùm autem de aliquibus, qui ſanctum nomen profitentur, aliquid criminis vel falſi ſonuerit, vel veri patuerit, inſtant, ſatagunt, ambiunt, vt de omnibus hoc credatur. At non habēdo quod in cauſsâ ſuæ diuiſionis defendant, non niſi hominum crimina colligere adfectant, & ea ipſa plura falſiſſimè tractant: vt quia ipſam diuinæ Scripturæ veritatem, quâ vbique diffuſa* CHRISTI ECCLESIA *commendatur, criminari & obſcurare non poſſunt, homines per quos prædicatur, adducant in odium, de quibus & fingere, quidquid in mentem venerit, poſſunt.* En imaginem claram horum temporum! quam quaſi diuinando Diuinus ille Antiſtes nobis reliquit; & in quâ libēs abiungo. Illa igitur mea & bonorum Religio, quam non vitâ ſolùm prætuli, ſed linguâ & ſtilo expreſſi. AVD.

Epiſt. CXXXVII.

Abiungit de ſuâ Religione, & quia ea Catholica, hanc ſolam approbat,

—— Dîs pietas tua
Et Muſa cordi eſt;

tibi veritas & vera fides, quam nunc & aliàs ſemper probaſti. LIPS. Non probem? & hanc ſolam probo. AVD. Optimum probare optimum eſt, & in eâ optimè viuere laudabile. LIPS. Sed & ſalutare. Nam vna tantùm eſt, quâ ſaluamur; quæ ex libris Sacris petitur, idque pro Eccleſiæ Catholicæ ſenſu. *Hic eſt fons veritatis,* ait Lactantius, *hoc domicilium fidei, hoc templum* DEI: *quò ſiquis non intrauerit, vel à quo ſi quis exiuerit, à ſpe vitæ ac ſalutis æternæ alienus eſt.* [a] Quiſquis igitur es, in auitâ Religione perſeuera, [b] cum priſcâ Eccleſiâ ſape. Nam qui aliquid libauit è Patribus aut Concilijs (nos fecimus) ſcit illam eſſe vnam, ſcit veram. [c] *Illa nempe, illa eſt, quæ non modò tot Regum ac Principum, ſed quod longè præclarius eſt, omnium Sanctorum communis Mater, & in cuius gremio mori felicius eſt, quàm ab initio*

III. Sermonis pars, QVAM RELIGIONEM PROBET.

Dialog.

Lib. IV. cap. vlt.

quia vna ſalutis via.

Illam Patres & Concilia aſſerunt:

in eâ mori felix; &

[a] D. Hill. c. XII.

[b] Cent. ad Ital. & Hiſpan. ep. II.

[c] E Teſtamēto Ioan. Samoſcij Poloniæ Cācellarij.

a Cent. 5. Miſcell. ep. 85. *initio naſci. cùm non naſci ſatius ſit, quàm in hac non mori.* [a] Hęc igitur prima hominis cura erit, vt fundamentum Virtutum ac Salutis habeat. (*proinde omnibus aſſumenda,*)

b Dialogiſt. [b] Atque vt nauis, ædium, aliarumque rerum carinas aut fundamenta volumus eſſe & prima & firmiſſima: ſic hîc decet. Synesius. Εὐσέβεια δὲ πρῶτον ὑποβεβλήσθω, *Pietas primùm ſubſternitor*, ait Syneſius Epiſcopus. (*vt omnium reliquarum virtutum fundamentum.*)

c Cęt. 1. ad Belg. ep. 50. [c] Et ſicut Mercurius ille apud Homerum talaria, ſiue vt ipſe appellat καλὰ πέδιλα ſumebat: quæ ferrent eum

—— ἠμὲν ἐφ' ὑγρὴν,
Ἠδ' ἐπ' ἀπείρονα γαῖαν, ἅμα πνοιῇς ἀνέμοιο·
—— *ſeu ſuper vndam,*
Seu ſuper immenſam terram, auras æquiparantem:

ſic homines Chriſtiani alam duplicem Religionis & Pietatis, quâ ſubuoletis & emineatis ſuper errores fidei & errabundos nouatores. Pol. l. 1. c. 3. In CVLTV ipſo ad interiora ſemper præuertere, & cenſe, Cultum Dei eſſe optimum eumdemque caſtiſſimum, vt eum ſemper purâ, integrâ, incorruptâ & mente & voce venereris. (*Verus Dei cultus in actione conſiſtit,*) Aureum tibi dictũ imprimo: Seneca. *Optimus animus pulcherrimus Dei cultus*. Breuiter hoc ipſum & acutè Lib. v. c. x. Lactantius: *Religioſiſſimus eſt cultus imitari.* Triſmeg. Etiam Hermes Ægyptius, Θρησκεία τοῦ θεοῦ μία ἐστὶ, μὴ εἶναι κακόν· Pol. ibid. *Vnus* (certè præcipuus) *Dei cultus eſt, non eſſe malum.* In verbis igitur aut quæſtiunculis, ne nimiùm mihi pruri. (*non in altercatione,*) ad facta abi, quia Lact. l. v. c. 1x. *Chriſtianorum omnis Religio ſine ſcelere & ſine maculâ viuere.* Cent. 3. Miſcell. ep. 99. Ama ſine vento ſcientiam, ſine nouitate pietatem. Publicâ viâ qui excidit & ſemitas quærit, errores & flexus quærit. Sperne, ita te Deus hîc honeſtum, alibi beatum velit. Moyſen illum Ægyptium audi, qui de fide cuiuſque, magis oculis quàm auribus credit. (*exẽplo Moyſis Aegyptij.*) Et Euripidis illud cogita: (*& ex dicto Euripidis.*)

Τὸ σωφρονεῖν δὲ, καὶ σέβειν τὰ τῶν θεῶν,
Κάλλιστον οἶμαι γ' αὐτὸ καὶ σοφώτατον
Θνητοῖσιν ἔργον·
Sapere modeſtè, & colere quæ diuina ſunt,
Pulcherrimum puto, atque ſapientiſſimum
Homini eſſe.

ad Lect. Hall. Puto tecum Euripides: & odi, odi curioſulos, qui etiam in

Diſputare enim periculoſum & lapſui proximum.

illa penetrant, id eſt Giganteo periculo in cælum ſcandunt. Et cùm omnia fecerint, cùm cælum & terram ſubtilis ingenij alâ peruolarint; quid aliud, quàm cum Ariſtophanæo Socrate ἀεροβατοῦσι; *per aërem incedunt?* Et quàm multi hodie natant in hoc freto, & diſputationum hîc fluctibus abripiuntur? Tu aliter, vt tutò & feliciter ſcandas: quod voueo & doceo, ſequimini adoleſcentes. Vt Conſtantino olim cælitus oſtenſa & deformata ſacra illa Crux, cum inſcriptione, IN HOC VINCE: ſic vobis Doctores fato nati (fas ita loqui) ad veram Religionem, & cum eâ pietatem excitandam; illos audite, ſequimini; & ſub illorum nominum ductu auſpiciiſque VINCITE. AVD. Quid? LIPS. Hæreticorum curioſitatem, & inutiles, imò noxias illas ſuper Religione diſputationes. Quando magni illi proceres viam faciunt & præeunt, facilè iſtas Lunas ſequi poteſtis minora aſtra. Quid iuuat iſta omnis diſſertio, & indagatio? *Non enim, qui ſermone ſapit, is mihi ſapit* (ait vir ſanctus) *nec qui linguam diſertam & volubilem habet, mentem autem inconſtantem & indoctam: ſed magis, qui pauca de Virtute diſſerit, multa autem factis oſtendit, & fidem verbis ſuis ipſâ vitâ conciliat.* AVD. Diſputationes ergo damnas? LIPS. Non, ſi in loco, ſi inter idoneos, ſi cum modo vſurpatæ. Locum cenſeo Scholas, Academias, Collegia. Idoneos, rerum ſacrarum & Philoſophiæ item peritos. Modum, vt contentio & nimia ſubtilitas abſint. *Nec enim quidquam minùs conuenit, quàm ſubdola iſta calliditas, animis conantibus magna.* Sed in publico & in populo (niſi Principi aut ijs qui præſunt, ob cauſſas, aliter videatur) Diſputatones omnes valdè improbem. Primùm, quia per eas excitantur ad nouitates multi & pruriunt.

Præſcrip. Conſt.

Spernenda igitur hæreticorum argutia, & doctiorũ veſtigia inſiſtenda, quod tutum eſt,

Cent. 1. ad Belg. ep. 50

Cẽt. 3. Miſcell. ep. 3.

& S. Gregorio placuit.

Gregorius Theologus.

Vbi, à quibus &

Dialog.

quatenus diſputandum.

Sen. ep. 1.

Publicæ & populares diſputationes noxiæ.

> *Humanum genus eſt auidum nimis auricularum,* — Lucret.

ait poëta. Deinde quia Siſinnij conſilium (in re quidem iſtâ Religionis) mihi probum,* *Viri diſerti, rerum vſu periti, in litteris Sacris eruditi, & ſummi item Philoſophi.* Nam hęc elogia illi dant Scriptores. Is igitur Theodoſio aiebat: *Diſceptationes non ſolùm non reconciliare ſchiſmata, ſed hæreticos prætereà ad contentionem magis accendere. Idcircò concertationes*

Siſinnij

*Socr. Eccleſ. hiſt. v. cap. x. & alij.

elegans & prudens conſilium: &

Sozom. lib. VII. Eccleſ. Hiſt. cap. XII.

tationes Dialecticas vitandas, teſteſque adhibendas tantùm Formulas fidei à veteribus editas. Antiqua enim & antiquos ſi reijciunt, quæ ratio aut argutia eos vincet?

Oppian.

—— αἰεὶ ἀπειρήτων νόος ἀνδρῶν
Δύσμαχος, οὐδ᾽ ἐθέλουσι καὶ ἀτρεκέεσι πιθέσθαι·

—— mens refractaria ſemper
Indoctorum hominum, & nolunt vel cedere veris.

Nicetas Choniat.

Andronici exemplum in Diſputationibus dãnandis, aut ſubtilibus inquiſitionibus: itemq́;

Andronicus igitur Imperator ſapiens, *qui tantum abfuit vt morem tunc & nunc receptum de diuinis dogmatibus diſſerendi probaret, aut de Deo nouum aliquid vel dicere vel audire vellet (etſi ipſe rerum diuinarum peritiſſimus) vt Nouarum Patrarum Epiſcopum Euthymium, virum eruditione clarum, & Ioannem Cinamum, in tabernaculo ſuo contra Lopadium diſſerentes ſuper iſto,* PATER MAIOR ME EST, *non ſolùm obiurgarit, ſed etiam abiecturum ſe in præfluentem amnem Rhyndacum ſeriò minatus ſit, niſi deſiſterent talia loqui.* Sed & Turcæ & Moſchi hac parte ſapiunt: apud quos de religione ſacríſque diſputare, capitale eſt. O probus hic mos, qui vtinam etiam nunc vigeret! cùm per curioſas iſtas contentiones multi labantur in hæreſin, quam ego ſemper DAMNO; & extra vnam illam Catholicam nullas alias ſectas religiones fero. & firmiter hæc noſtra ſententia eſt. O ſæculum hoc (audebo dicere) quàm parum mihi places! quo nullum vnquam feracius Religionum fuit, ſterilius Pietatis. [a] quo noxæ integritas, contumeliæ pudor, ludibrio fides eſt. [b] Relligio paſſim nunc in ore, improbitas in corde. Verba pietatem ſonant, facta ambitionem, auaritiam: nec in vno alteróve, ſed apud plerumque ordinem, ætatem, ſexum.

Turcarum mos.

Per contentiones lapſus in hæreſes; quæ varia in hoc ſæculum influxêre, cũ multis peccatis & impietatibus, idq́; ſpecie virtutum.

IV. pars Sermonis, QVAM RELIGIONEM DAMNET.

Præſcr. Conſt.

[a] Cẽt. 1. Miſcell. ep. 8.

[b] Cent. 2. Miſcell. epiſt. 6.

Cent. ad Ital. & Hiſpan. ep. 59.

Quæ non flagitia adſpicis?
Quas labes ſcelerum? ruit
Doctrina illa vetus Patrum, &
Patria Virtus.

AVDITOR.

Horat.

—— quid nos dura refugimus
Ætas? quid intactum nefaſti
Liquimus? vnde manus iuuentus

Metu deorum continuit? quibus
Pepercit aris?

Hæreticorũ hodiernorum mala ſata & facta in Europâ: ſed periculoſa iſtæc ſermocinatio, & obnoxia calumnijs; non omittenda tamen, quia non curioſa, ſed vtilis.

Damna & bella quæ hodierna Hæreſis in Europam intulit.

O nimiùm fertilis venenorum ætas, quàm fœnerario Cent. 3. ad
ſurgis fœtu! De Religione ſatis multi loquuntur, pauci Belg. ep. 49
vitâ exprimunt, & mores à profeſſione diſcordant. LIPS. Cent. ad
Verè, verè. Et Nouatores ſeu nouelli iſti noſtri, quàm German. & Gall. ep. 25
morum virtutúmque degeneres ſunt, ποικιλομῆται, δόλων
ἆτοι, *mente variâ*, *fraudum pleni*, vt Homerus Vlyſſem
ſuum deſcribit: per quos nobiles aliquot Europæ partes
non labi ſed ruere incœperunt! Sed quàm periculoſum
hac de re diſſerere! AVD. At quis hîc ſilebit? LIPS.
Non ego. & quamuis cum Platone ſciam εὐδιάβολα τὰ In Eutyph.
τοιαῦτα πρὸς τοὺς πολλούς, *calumnijs hæc obnoxia in vulgus:* nec
quidquam tam probè aut prouidè hîc dici, *quod non* Seneca
vellicare malignitas poſſit: tamen ſubibo hoc diſcrimen, epiſt.
& pro virili aquam infundam in ſacrum hunc ignem.
Hoc excuſatiùs, quòd non curioſitas me impellit, ſed
publica vtilitas, & quia priora ita exigunt: tum etiam
præſens hic Europæ ſtatus, quem nego me ſine lacrymis
intueri. O melior mundi pars, quas diſſidiorum faces Religio tibi accendit! Atque ita accendit, vt magna prudentia, imò felicitas fuerit, ſi omnino reſtinguantur. Vt enim fratrum odia acerrima ſunt: ſic eorum ferè, qui conſortes aliquando eiuſdem religionis. Colliduntur inter ſe Chriſtianæ reipublicæ capita, miſerabili & nouo prorſus exemplo. Videamus Annales omnium gentium, & omnis æui: tam acria, tam diuturna bella pugnata non legemus de Religione. Iuuenalis pro miro & monſtro habuit, duo oppida in Ægypto concurriſſe inter ſe ob hanc cauſſam, & id dignum Satyrâ cenſuit: quid nunc diceret aut ſcriberet, vbi Europa pænè tota, & milleni aliquot homines perierunt ac pereunt, per ſpeciem pietatis? cùm tamen ludi & mimi ſceleſtè interueniant; & quorumdam ambitio aut auaritia veletur hoc
mantello. Paullus Æmilius pro me loquitor: *Nihil in* In Phil. 2.
ſacris bellis perinde offuit, atque mos iam exortus, vt honeſtâ præſcriptione ſuas quiſque reſpiciat res. In ore omnium San-

ctum

ctum Piumque verſetur: conſilio, conatu, animo, ſecùs afficiantur. Si de Religione tantùm agatur, ſi obliuio noxæ ſanciatur, omnes idem ſentiant. Nunc de Mortalium iure, de Comitatu res eſt. Dicas virum vatem fuiſſe, & ſcripſiſſe in hoc æuum. AVD. Hercules acu rem tetigit; & doleo infelicitatem noſtri æui, quo innouare, turbare, pugnare, Pietatis ſpecies ſit. ipſa Sanctitas autem (apud hæreticos dico) diſputare, & Scripturæ locos aliquot pro impio & damnabili ſenſu conglobare, & contra vniuerſam & venerandam antiquitatem interpretari. Aſſiduè (prô dolor!) audiendus nunc fanaticus aliquis, aut ſimulator pietatis, qui mouet χορδὰς τὰς ἀκινήτους, *chordas non mouendas*. ſemper Euenus, qui

Hæreticorũ pietas, innouare, turbare, pugnare: ſanctitas, diſputare:

Euripid.

Ἐκ παντὸς ἄν τις πράγματος δισσῶν λόγων
Ἀγῶνα θεῖτ' ἄν, εἰ λέγειν εἴη σοφός·
De re quacumque orationis duplicis
Certamen excitat loquutor callidus.

Et videtur fatalis hodie iſta ingeniorum ſcabies, vt *omnes diſputare malint quàm benè viuere.* LIPS. Ita eſt, & velut à cælo, &, vt dixerim, aſtro aliquo, eſt hæc peſtis. Atque vt corporum quidam morbi certis temporibus interueniunt: ſic nunc iſte animorum. Viri, feminæ, ſenes, pueri, quæſtiunculis ludunt & laſciuiunt: eóque ventum, vt pro parum ſano ſit, qui non ſic inſanit. Myſterium Theologia erat, facta eſt populare oblectamentum. Vis imaginem claram huius inſaniæ? Nicephori Gregoræ iſta lege: *Apud nos etiam opificibus effuſa ſunt arcana Theologiæ, atque ita omnes inhiant ratiocinatiunculis & ſermonibus ſyllogiſticis, vt herbæ & paſcuis armenta. Et illi, qui de rectâ fide ambigui ſunt, & qui nec quomodo credendum ſit ſciunt, nec quid ſit illud quod credere ſe dicunt, illi inquam & fora & porticus, & theatra omnia Theologiâ compleuerunt, neque ſolem hunc teſtem facere impudentiæ ſuæ reuerentur. Quomodo autem non ſit abſurdiſſimum, olim cùm florerent Gentilium dogmata, ordinem aliquem fuiſſe, & arcana quæ Delforum Theologis commiſſa erant, nulli alij vel edicere vel indagare licuiſſe, ſiue is Plato, ſiue Socrates, aut aliu ſapientiâ cele-*

quod ſine diſcrimine viris, feminis, pueris conceſſum:

Hiſtor. lib. XI.

ſed & hoc, tẽpore Nicephori, fuit in Græciâ,

 bris

bris fuiſſet : apud nos verò, qui purum pietatis myſterium profitemur, ita profanari res diuinas, & omnibus, qui de Theologiâ diſſerere volunt, id licere ſuopte arbitrio & ſuffragio? Hæc olim in Græciâ fuêre. quando? cùm paullò pòſt ruit. His enim & ſtatum publicum turbant, & ſe ipſos in æternum exitium præcipitant. Et pro hac meâ mente D. Hieronymus : *Agricolæ, cæmentarij, fabri, metallorum lignorumque cæſores, lanarij, fullones; idcircò dum ſacros libros, vt raſtra ſua & malleos verſant, nullo ingenio, nullâ ope diuinâ adiuti, in extrema ſe animarum præcipitia miſeri agunt*. Et quantum temporis etiam peritioribus inter illos verborum illa *cauillatio eripit, & captioſæ diſputationes, quæ acumen irritum exercent?* Nectunt nodos, & ſoluunt; id eſt, quid niſi aranearum ſubtiles telas texunt & retexunt? Sicut pueri pilam percutiunt, ſterili voluptate : ſic iſti. Et tamen alti & ſubnixi ambulant μείζω τινὰ ἢ κατ' ἄνθρωπον σοφίαν σοφοί, *maiorem quàm pro homine ſapientiam ſapientes*: & quod Socrati obiectum olim, περιεργάζονται ζητοῦντες τά τε ὑπὸ γῆν καὶ τὰ ἐπουράνια· *ſatagunt inquirentes & quæ terram infra, & quæ cælum ſupra*. Et cùm omnia fecerint, miſelli prætereunt ipſi ſeſe. Reliqua ſciunt, illud vnum quod ſcitu neceſſarium neſciunt, vt ſe ſciant. Bonos ſinguli ſeſe pronuntiant, auſcultantes adulatoribus, non conſcientiæ. quidquid aſſentatio ſine pudore congerit, tamquam debitum prendunt. aliena vitia in oculis habent, à tergo propria. ſi

——populus ſanos recteque valentes
Dictitet, occultam febrem ſub tempus edendi
Diſſimulant, donec manibus tremor incidat vnctis.

Alienæ luxuriæ nihil ignoſcunt, qui nihil ſuæ negant: cùm bonus & Catholicus *ceteris ita ignoſcit, tamquam ipſe quotidie peccet; ita peccatis abſtinet, tamquam nemini ignoſcat*: veniam maximè negant, qui illam petere ſæpiùs meruerunt. Mones, obiurgas, pungis? *Sapientior ſibi ſtultus videtur ſeptem viris loquentibus ſententias*. ſtatim audies, Nihil peccaui, nihil feci. O vitium fœdum!

ſed paullò ante interitum;

D. Hieronymus etiam damnat.

Et reuerà ſterili voluptate ita ſapiũt,

ſe ipſos prætereunt.

Singuli ſe bonos & beatos pronuntiant:

alios malè viuere volunt,

omne peccatum à ſe remouentes.

Epiſt. ad Paul.

Manuduct. lib. 1. diſt. 3.

Senec. epiſt. 45.

Cẽt. 1. Miſcell. ep. 59.

Plin. epiſt.

Prouerb. 26.

dum! ô malorum omnium fontem! hoc enim vbi a-
nimum inuaſit, quauis ſcabie inſanabilius eſt. Et ni-
ſi priùs exſtirpetur, numquam hæreſim relinquent aut
rectam verámque fidei viam & virtutis ingredientur, *Atque ideò*
aut conabuntur videre ſalubria & guſtare. Vidit Phi- *difficile redu-ci poſſunt ad*
Sen. epiſt. xxiix. loſophus magnus qui ſcripſit: *Deprehendas te oportet,* *S. Eccleſiam.*
antequam emendes. Qui peccare ſe neſcit, corrigi non vult.
Et hæc illa cauſſa eſt cur Eccleſiam Catholicam audi-
[a] Cent. 1. Miſcell. ep 97. re nolint. [a] & hoc fulcro qui non innixus, neceſſum *extra quam*
eſt in partes ſemper ruat; [b] vt nauis quæ inter fluctus *omnes pereũt.*
[b] Cent. 2. Miſcell. ep. 8. ſine clauo iactatur, ſic homines qui in hac vitâ ſine ve-
ræ fidei gubernaculo. Poſſem hîc quædam appoſitè & *Sed Lipſius*
verè: ſed Megarenſis ille Sapiens mihi inclamat, Περὶ *vltrà non progreditur;*
τούτων οὐκ ἐν ὁδῷ. Platonémque inſuſurrare audio: Οὗτοί *quia pericu-*
γε οἱ λόγοι χαλεποί, difficiles, & cum diſcrimine, hi ſer- *loſi iſti ſermones,*
Cẽt. 1. Miſcell. ep. 88. *mones.* Quod oraculum in hoc quidem æuo. Vt enim
eadem purpura homines delectat & ad gaudium pro-
uocat, tauros offendit & irritat ad pugnam: ſic nunc
eadem Veritas aut Virtus intellegentes capit, lædit im-
probos & imperitos. A V D. Attamen, vt cum Menan-
dro hoc dicam,

Menander.

Ἀεὶ κράτιστόν ἐστι τὰ ἀληθῆ λέγειν
Ἐν παντὶ καιρῷ·
Semper quæ vera ſunt loqui, res optima eſt,
Quodcumque tempus incidat.

Cent. 3. ad Belg. ep. 55 Cent. ad German & Gall. Præfat. L I P S. Rectè, at alienos fines ego iam non tranſcen- *& Theologis*
do. Infelix hoc æuum eſt, cui ſubſidia opus erudito- *competunt:*
rum & piorum virorum, quibus vis ingenij & oris *quos eruditos*
adeſt, & in concuſſo hoc rerum ſtatu velut noua mu- *& pios huic æuo optat, &*
nimenta, qui moueant, doceant, perſuadeant; mo- *qui errantes reducere poſ-ſint;*
ribus, vitæ probitate & exemplo præeant. Vt cælo ſe-
reno & mari quieto, minor cura aut inquiſitio de gu-
bernatore eſt; quiuis pænè ſufficit; at turbido hoc &
illo, virum nauis quærit, veterem claui & peritum: ſic
nunc dixerim; in procellis nimbíſque quibus Religio
iactatur, magni intereſſe, quem in curam tutelám-
que eius accerſi videamus. A V D. Sed quis ille tam *quod difficile omnino,*

peritus, qui tollat hæc talia quæ ſenſibus inſident? Omnibus enim

—— θυμὸς ἐνὶ ϛήθεσιν ἄπιςος·

—— *incredula pectore mens eſt.*

Medici aiunt Melancholicos morbos (tu ſenſiſti Magne vir) medicinâ omni efferari: idem in iſto animi morbo eſt, quem verè μελαγχολίαν dixeris, & imaginoſum quemdam animi morbum. Natura contumax & humanus animus, & præſertim in re hac ſenſuum, cùm opinio acceſſit pietatis. Galeni verbis appoſitè vtar: Οὕτως ἄρα δυσαπότρεπτον τὶ κακόν ἐστιν ἡ περὶ τὰς αἱρέσεις φιλοτιμία, καὶ δυσέκνιπτον ἐν τοῖς μάλιστα, καὶ ψώρας ἁπάσης δυσιατότερον· *Adeò contentio hæc circa ſectas malum eſt, quod nec auertas facilè nec eluas, idque omni ſcabie inſanabilius.* L I P S. Scio cum prudentiſſimo Cornelio, *naturâ infirmitatis humanæ tardiora eſſe remedia quàm mala: & vt corpora lentè augeſcunt, citò extinguuntur, ſic ingenia humana ſtudiaque faciliùs* ſeduci & vanâ opinione imbui, *quàm reuocari*;

vbi pietatis opinio acceſſit.

Videndum tamen & nō deſperādum,

vita Agricol.

Iuuenal.

—— *tamen vtile quid ſit,*
Proſpiciunt aliquando viri.

Non vt in agro ſatis eſt ſemel ſementem ieciſſe, & ille accipit, fouet, profert; ſic in animis: qui quotidiano, vt ſic dicam, vomere proſcindendi & obſerendi ſunt, ad meliorem illam frugem. ſemper, inquam, curandum vt verbis factíſque ad meliora traducas. A V D. Mi Doctor, vt ij qui morbo aliquo grauiori premuntur, ſuauitatem cibi præ ſtupore non ſentiunt: ita aures ſenſúſque illorum maliuolæ falſitati & turpibus calumnijs aſſueti, inſolentem ſuauitatem Veritatis non ferunt. Boëtius vidit, cùm illa ſcriberet,

quamuis ipſi reluctentur.

Boëtius.

Hæc venena potentiùs
Detrahunt hominem ſibi
Dira, quæ penitus meant,
Nec nocentia corpori,
Mentis vlcere ſæuiunt.

ſed ſucceſſiuè. L I P S. Et illa ſcio. Nec in primo ſtatim aggreſſu omnia

ad

ad votum animúmque ſuccedent, exſpectandum eſt, & ſæpiùs idem tentandum. Vt vuam acerbam non ſtatim abſcindas aut reijcias, ſed patienter expectes,

Horat. —— *dum tibi liuidos*
Diſtinguat Autumnus racemos
Purpureo varius colore:

ita hîc fiat. Ecce in fidibus ſiquid diſcrepat, non abrumpis ſtatim, ſed paullatim reducis ad concentum: in Fidei diſſonantia, cur non idem? Audi Medicorum
Hippocrat. in Præcept. Principem: Χρόνος ἐστὶν ἐν ᾧ Καιρὸς, καὶ Καιρὸς ἐν ᾧ Χρόνος. ἄκεσις Χρόνῳ, ἔστι δὲ ὅτε καὶ Καιρῷ· *Tempus eſt in quo Occaſio: & Occaſio in quâ Tempus. Medela Tempore, eſt et-* & tempore oportuno, comiter non aſperè:
1. De Clement. *iam vbi Occaſione contingat.* Ingenia noſtra, ait Seneca, vt nobiles equi, meliùs facili fræno reguntur. Et equorum domitores, ferocientes eos non flagellis exaſperant, ſed popyſmis blandè tractant & demulcent: ſic in erroneis. Benignè cum illis agatur & comiter, vt clarum & lucentem ſolem tandem in animum immittant, & confiteantur erraſſe. Deferueſcunt enim animi paullatim; & affectum Veritas ac ratio ſæpè ſerò vincit. AVD. Vtinam vel in extremo vitæ actu! & pec- & ſufficit, ſi vel in horâ mortis reſipiſcant.
Epicurus apud Sen. catum agnoſcant! LIPS. *Initium eſt ſalutis, notitia peccati*, vt ipſe voluptatis Magiſter ait. Et

Seneca Agam. *Quem pænitet peccaſſe, pænè eſt innocens.*

Sed ego abiungo; μὴ κορὸς ἐλθὼν κνίσῃ· *ne ſatietas adueniens grauis ac moleſta ſit*, vt ait Pindarus. Tu ô benigne (nam voto & ſuſpirio ſermonem hunc finio) & miſerator, Sermonis finis, & precatiuncula pro ſalute & reſipiſcentiâ errantiũ.


Sannaza. *Nate Deo, Deus ipſe, æterno è lumine lumen,*

qui curam ſemper Eccleſiæ tuæ, tuæ ſponſæ geris, di-
Cent. ad German. & Gall. Præfat. uiſa hæc iunge, malè ſentientes corrige, praua hæc & nouitia opinionum pelle, calamitatem & cladem non
Act. Apoſt. cap. IV. Belgicæ ſed Europæ; & effice, vt *multitudinis credentium ſit cor vnum & anima vna.* AVD. Et ego illos cauſſamque hanc Omnipotenti DEO ſcrutatori cordium commendo: quem quidem ex animo precor, vt nobis tantiſper gratiam ſuam impartiri velit, quâ Da Deus, miſericors Pater.

ante

ante extremum remunerationis diem in vnam ſententiam conſpiremus: & vt ſic tandem aliquando in cælo, vbi nulla erit iniuriarum memoria, ſempiternâ amicitiâ perfruamur. Annue, ô Rex Regum,

—— ῥῦσαι ὑπ᾽ ἠέρος υἷας Ἀχαιῶν, Homerus.
Ποίησον δ᾽ αἴθρην, δὸς δ᾽ ὀφθαλμοῖσιν ἰδέσθαι·
—— *libera de caligine filios Achiuos,*
Fac verò ſerenitatem, da autem oculis videre.



CANDIDO LECTORI

BALTHASAR MORETVS

S. P.

FAMAE POSTVMAE τοῦ *μακαρείτου* *noſtri, beniuole Lector, corollarium appono*, OPERVM *numquam ſatis laudatorum Indicem; ſed eorum, quæ ipſe viuus in æternæ Memoriæ templo dedicauit: nam quos nuper peſſimo exemplo Germania libellos edidit, minimè profectò germani ſunt; nec hîc meum, ſed* LIPSI *elogium exaudiri deſidero, ſeriò olim teſtantis:* NIHIL MEVM EST, AVT ERIT, QVOD NON DE AVTOGRAPHO MEO, ET ME VOLENTE, SIT EXPRESSVM. Quicumque aliter (*libens, in ipſius cauſſâ, verbis eius inſiſto*) mihi iniuriam facit, *Lectori* fucum. *& porrò exclamat* : Deus bone, hæc monenda publicè eſſe? Ecce in bona opeſque externas, ius eſt non viuo mihi ſolùm ſed mortuo, & ſolatium fati eſt voluntas vltra fatum : in iſtis animi & ingenij verè bonis non idem erit? *atque huic voluntati ſuæ firmandæ Principum opem inuocat, Lectorum gratiam* : Reprimite Principes qui poteſtis, & vos Lectores quà poteſtis: illi

Ad Lect. libb. de Cruce.

Tt pu-

puniendo, vos ſpernendo. *At verò typographi Germani facinus aliquis excuſet, & nonnulla (neque enim omnia ipſe Liuor aut Malignitas aſſerat, cùm Goldaſtus impiæ Orationis Ienenſis auctor dudum innotuerit) è* LIPSI *dictantis ore excepta prætendat. Quid, niſi iterùm pro ſe loquentem induxero?* Dictauimus fortaſſe. ſed ô imperitiam! quaſi edendi illo fine. Reuerentior poſteritatis ſum: & aliud ſcio eſſe Schedia, aliud Opera; nec ſubitaria hæc noſtra dedicanda in Memoriæ templo. Quid, quòd alij grauiùs etiam peccant? qui excipiunt aut intercipiunt dicta aut oratiunculas noſtras, & in contumeliam mei diuulgant. *Quid ad hæc Lector? num aſſentis ſuam non minùs verè quàm fortiter cauſſam peroranti? Ego certè, dictionis huius purpuræ, verborum meorum laciniam haud attexo. Saluere te cupio, & hunc Operum Indicem bono tuo perlegere; non meo vnius ſenſu, ſed ex formulâ, quam olim ipſe Auctor mihi præiuit, concinnatum. Quod ſupereſt, neſcire te nolim: Opera eius è typographeio Plantiniano iam omnia in lucem prodiiſſe, prout poſtremùm vel auxit vel recenſuit, ſolo in Senecam Philoſophum Commentario excepto; quem paullò ante mortem corrigere cœperat, & futuræ editioni præparare. ſed & hunc, etſi paucioribus emendatum vel auctum locis, à prælo Plantiniano mox exſpectabis.*

Ad Lect. libb. de Cruce.

Porrò

Porrò edendorum operum eam iampridem formam ſelegimus, quæ viuo Auctori præ aliis placeret; quæ & melioris litteraturæ candidatis commodior, nec publicis priuatisq; Bibliothecis eſſet indecora: adeò vt ſingulos quiſque libros ſibi comparare & facilè circumferre poßit; eoſdemq; ſi Bibliothecæ ſuæ ornamentum vniuerſos eſſe velit, maiorem tamen editionis amplitudinem meritò haud requirat. In Tacito nihilominùs & Senecâ, quia grandius ſinguli volumen efficerent, anguſtiorem folij formam ſpectauimus; quam & in reliquis aliquando recudendis, cum bono Deo, addicimus, ſi hanc deinceps alteri præferendam Lector cenſeas. Iterùm ſalue, & faue.

INDEX OPERVM IVSTI LIPSI.

PRIMVS *Tomus* CRITICVS *eſt, complectitúrque* Opera omnia quę ad Criticam propriè ſpectant. *quorum hic ordo eſt:*

Variarum Lectionum Libri tres.

Antiquarum Lectionum Libri quinque: in quibus varia Scriptorum loca, Plauti præcipuè, illuſtrantur aut emendantur.

Epiſtolicarum Quæſtionũ Libri quinque: in quîs ad varios Scriptores, pleræq; ad T. Liuium, Notæ.

Electorum Libri duo: in quibus, præter Cenſuras, varij priſci Ritus.

Ad Valerium Maximum Breues Notæ.

Animaduerſiones in Tragœdias quę L. Annæo Senecæ tribuuntur.

Iudicium de Conſolatione Ciceronis.

Satyra Menippæa. Somnium. Luſus in noſtri æui Criticos.

Tomi huius appendix,

De rectâ pronuntiatione Latinæ linguæ Dialogus.

Secundus EPISTOLAS *continet: quarum decem ſunt* CENTVRIÆ:

Miſcellaneæ quinque: *è quibus* Quarta *&* Quinta Poſtumæ.

Centuria ſingularis ad Italos & Hiſpanos.

Centuria ſingularis ad Germanos & Gallos.

Centuriæ tres ad Belgas.

Tomi huius appendicula,

Epiſtolica Inſtitutio, excepta è dictantis ore, *atque ipſo approbante edita.*

Tertius ad PRVDENTIAM *ducit, vtpote* HISTORICVS; *&* ANTIQVITATEM *omnem, maximè* ROMANAM, *variè illuſtrat.*

De Militiâ Romanâ Libri quinque: Commentarius ad Polybium.

Poliorceticῶν, ſiue De Machinis, Tormentis, Telis, Libri quinque.

Admiranda, ſiue De Magnitudine Romanâ, Libri quattuor.

Saturnalium Sermonum Libri duo, qui de Gladiatoribus.

De Amphitheatro Liber: in quo forma ipſa Loci expreſ-

expreſſa, & ratio ſpectandi.

De Amphitheatris quæ extra Romam Libellus. in quo formæ eorum aliquot & typi.

De Veſtâ & Veſtalibus Syntagma.

De Bibliothecis Syntagma.

De Cruce Libri tres, ad ſacram profanámque hiſtoriam vtiles. „

Diua Virgo Hallenſis. Beneficia eius & Miracula fide atque ordine deſcripta. „

Diua Sichemienſis, ſiue Aſpricollis. Noua eius Beneficia & Admiranda. „

Reiectiuncula Sannionis cuiuſdam Bataui. „

Louanium, ſiue opidi & Academię eius Deſcriptio. „

Quartus item HISTORICVS: *in quo,*

C. Cornelij Taciti opera quæ exſtant, emendata & Commentariis illuſtrata.

Diſpunctio Notarum Mirandulani Codicis ad Corn. Tacitum.

C. Velleius Paterculus cum Animaduerſionibus.

Quintus propriè ad PRVDENTIAM *& Ciuilem Doctrinam pertinet:*

Politicorum ſiue Ciuilis Doctrinę Libri ſex, qui ad Principatum maximè ſpectant.

De vnâ Religione aduerſus Dialogiſtam Liber: in quo tria Capita Libri quarti Politicorum explicantur.

Monita & exempla Politica. Libri duo, qui Virtutes & Vitia Principum ſpectant.

Leges Regiæ & Leges Decemuirales.

Diſſertatiuncula apud Sereniſſimos ALBERTVM

& ISABELLAM Belgarum Principes.

Commentarius in C. PliniI Secundi Panegyricum, Traiano dictum.

Sextus ad SAPIENTIAM *ſpectat:*

De Conſtantiâ Libri duo, qui alloquium præcipuè continent in publicis malis.

Manuductionis ad Stoicam Philoſophiam Libri tres, &

Phyſiologiæ Stoicorum Libri tres, L. Annæo Senecæ, aliiſque Scriptoribus illuſtrandis.

Septimus, iſq; vltimus Tomus, pariter ad SAPIENTIAM*: in quo,*

L. Annæi Senecæ opera quæ exſtant, emendata & Scholiis illuſtrata.

NON *te dimitto Lector; ſed obiter moneo, plura à fecundiſſimo* LIPSI *ingenio manaſſe, quæ in Operum ſuorum numerum adſcribi noluit. vtpote* Antiquas Smetij Inſcriptiones *inſigniter auxit:* Titi Liuij primum Hiſtoriarum librum *egregiè reſtituit:* IulI Cæſaris Commentarios *accuratiſſimè emendauit: cui operæ nec ſuum inſcribi nomen paſſus eſt, ſatis ſuperq; feciſſe arbitratus, ſi publicæ vtilitati, & præſtantiſſimi Scriptoris gloriæ, non ſuæ ſtuduiſſet. Inſuper commodiorem Tomos hos compingendi rationem libens ſuggero. Nam cùm Tertius multo maior ſit, quàm qui vno volumine coarctetur; trifariàm bibliopegus eum diuidat, & primâ parte* Militiam Romanam *&* Poliorceti-

cetica, *ſecundâ* De Magnitudine Romanâ, De Gladiatoribus, De Amphitheatris, De Veſtâ, & De Bibliothecis, *tertiâ* De Cruce, Diuam Virginem Hallenſem & Sichemienſem, Reiectiunculam Sannionis, & Louanium *coniungat. quæ ipſa Tertij Tomi partitio, à dictâ formulâ quam Auctor præceperat, minimè abſcedit. Secundi Tomi ſi cui nimia etiam moles videbitur, bifariàm eum partiatur, & priori parte* quinque Miſcellaneas Cēturias, *alterâ* quinque reliquas *cum* Epiſtolicâ Inſtitutione *comprehendat. Aliud haud volebam. At num liceat bonâ tuâ veniâ Lector, exiguum* PLANTINI & MORETI *monumentum hîc apponere, quorum operâ & typis immortalia diuini ingenij Opera publicam lucem aſpexêre? Si importunè forſan (prout aui huius iudicia ſunt) atque indecorè à me fiat, in auum & patrem pietas nepotem & filium excuſet. at verò pij* LIPSI *Manes hac ipsâ virorum ſibi amiciſſimorum memoriâ ſcio gaudebunt, cùm* PLANTINVM *alterum ſe vocare olim ſoleat,* MORETVM *optimæ ſemper fidei amicum ſit expertus. Itaque Epitaphiam vtriuſque Inſcriptionem, nec prorſus temerè ſubiungere mihi videor, nec te illibenter, ſaltem quam ipſe* LIPSIVS PLANTINO *ſcripſit, lecturum confido.*

Epitaphium CHRISTOPHORI PLANTINI, quod in Cathedrali DEIPARÆ ædc Antuerpiæ legitur, ſub tabulâ CHRISTI iudicantis, à Iacobo de Backere, eleganti artifice, depictâ.

D. O. M. SACR.

CHRISTOPHORO PLANTINO TVRONENSI,

CIVI ET INCOLÆ ANTVERPIANO,

ARCHITYPOGRAPHO REGIO,

PIETATE, PRVDENTIA, ACRIMONIA INGENI MAGNO,

CONSTANTIA AC LABORE MAXIMO:

CVIVS INDVSTRIA ATQVE OPERA, INFINITA OPERA,

VETERA, NOVA,

MAGNO ET HVIVS ET FVTVRI SECVLI BONO,

IN LVCEM PRODIERVNT:

IOANNA RIVIERA CONIVX ET LIBERI HEREDESQVE,

ILLA OPT. VIRO, HI PARENTI,

MOESTI POSVERVNT.

TV QVI TRANSIS, ET HÆC LEGIS, BONIS MANIBVS

BENE APPRECARE.

VIXIT ANN. LXXV. DESIT HIC VIVERE

KAL. QVINTIL. ANNO CHRISTI CIↃ. IↃ. XXCIX.

Epitaphium IOANNIS MORETI, quod in dictâ æde & vrbe legitur, ſub tabulâ CHRISTI reſurgentis, quæ eſt à peritiſſimâ Petri Paulli RubenI manu.

CHRISTO RESVRGENTI SACR.

IOANNI MORETO ANTVERPIENSI,

MAGNI PLANTINI GENERO,

EIVSDEM VIRTVTVM ATQVE ARTIVM

LABORIS ET CONSTANTIÆ HEREDI:

QVEIS IVVENIS SENESCENTEM SOCERVM IVVIT,

VITA FVNCTVM SVPERSTES EXPRESSIT.

PVBLICE VTILISSIMVS, PRIVATIM BENIGNVS,

PASSIM MODESTVS, PROBVS, PRVDENS,

OMNIVM BONORVM ELOGIO BONVS,

VIXIT, PRÆCLARVM SVIS HONESTI EXEMPLVM,

ANNOS LXVII. MENSES IV.

OBIIT, INSIGNEM IN DEVM PIETATEM TESTATVS,

X. KAL. OCTOBR. M. DC. X.

MARTINA PLANTINA,

OPTIMO MARITO CVM LACRYMIS OPTIME APPRECATA,

SIBI ET POSTERIS MORTALITATIS MEMOR

P. C.

CENSVRA.

QVOD Iuſtum Lipſium, virtute & doctrina immortalem, orbi heu pridem ereptum, Fama hæc poſtuma dignè ac pro meritis celebret, eumque à detrectatorum calumniis vindicet; digna eſt quæ vtrumque Orbem circumuolet, & emeritum LIPSI nomen ad ſeros nepotes tranſmittat.

Laurentius Beyerlinck S. Theolog. Licent.
Canonicus Antuerp. Librorumq; cenſor.

SVMMA PRIVILEGII.

ALBERTI ET ISABELLÆ CLARÆ EVGENIÆ, Archiducum Auſtriæ, Ducum Burgundiæ, Brabantię, &c. Priuilegio cautum eſt; nequis IVSTI LIPSI FAMAM POSTVMAM, præter Martinæ Plantinæ viduæ, & Balthaſaris & Ioannis filiorum Ioannis Moreti p.m. voluntatem, vllo modo imprimat, aut alibi impreſſam in Inferioris Germanię ditiones importet, venalémve habeat. Qui ſecùs faxit, confiſcatione librorum & aliâ graui pœnâ multabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ, XVII. Ianuarij, M. DC. XI.

Signat.
S. de Grimaldi.

Et in Concilio Brabantiæ,
I. de Buſchere.


LABORE. ET. CONSTANTIA.

IVSTI LIPSI

DE CRVCE

LIBRI TRES

Ad ſacram profanámque hiſtoriam vtiles.

Vnà cum NOTIS.

Editio vltima, ſeriò caſtigata.



ANTVERPIAE,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Ioannem Moretum.
M. DC. VI.

Cum Priuilegiis Cæſareo & duorum Regum.

AD

TRES ORDINES BRABANTIAE

ANTISTITES
NOBILES
MAGISTRATVS.

LIBELLOS de CRVCE quos ſcripſi, meritiſſimò ad vos defero , patriæ noſtræ primores viri. Primùm, quia in ſolo veſtro concepti natiq; ſunt, in hac Louanienſi vrbe : tum quia aura fauoris veſtri elicuit, qui me benignè huc arceſſendum putaſtis, bono rei litterarię & iuuentutis. Laudo hunc animum , atque etiam miror. qui in tot circumſtantibus turbis , & cùm vndique inſonuit bellorum tuba ; tibias tamen & fiſtulas , vt ſic dicam , Muſarum cogitatis, & pacis artes neglectum non itis inter media arma. Quod rectè & vtiliter à vobis fieri , prudentes magis ſentiunt quàm vulgus. Nam reuera , inclyti Ordines , hæc

non ornamenta ſolùm reip. ſunt, ſed auxilia & fulcra. Tollite; quid niſi ſquallor & tenebræ occupant, & ferox quædam, aut vt veriùs dicam, ferina vita? Ab omni æuo (Annales ſacros & profanos conſulite) Deus exſtare artes iſtas voluit, velut pharos & lucentes quoſdam ignes in tempeſtuoſo mari. Iſtæ pacem dirigunt, bellum dirimunt: iſtæ vitia virtutéſque premunt aut excitant, teſtes temporum, arbitræ meritorum. Reges, & magna illa nomina, obliuionem æternam iam nunc cogitent, niſi pennatus iſte currus euehat, & oſtendat per æuum & per gentes. Quid argumenta colligo? vno verbo rem dixi, Deus exſtare artes iſtas voluit: & hoc quoque ab eo, quòd vos iuuatis. Eat in ſæcula, fuiſſe in vnâ prouinciâ per quinque ampliùs luſtra bellum, idque ciuile, imò inteſtinum; collapſa tractu, aut deiecta impetu omnia; publicam priuatámque inopiam: vos animo ſtetiſſe dites & vberes, & de rebus ſalutaribus iudicaſſe magis quàm computaſſe. Enimuerò facite ita Ordines, manum labenti patriæ ſupponite, nec præſentia ſolùm in oculis habete, ſed futura. Potens ille Deus viuit, & magnus noſter Rex: vter-

que

que auxiliabitur, ille & iſte in ſuâ cauſsâ. Interea CRVCEM accipite, atque etiam ferte. Vt columna, quæ recta ſtat, impoſito magis pondere firmatur: ſic altas rectáſque mentes oportet, non cedere oneri, ſed obniti. Vos per vos facietis. ita vterque ille faueat & auxilietur, quem dixi. Louanij, pridie Nonas Nouembr. ∞. IↃ. XCII.

AD LECTOREM.

HABES *Lector quæ de Cruce ſcripſimus, ſed germana. Anteà atque alibi quæ edita (credes hoc nobis) non ſunt noſtra. Quid ergo? non illa dictauimus? Fortaſſe. ſed ô imperitiam! quaſi edendi illo fine. Reuerentior poſteritatis ſum: & aliud ſcio eſſe Schedia, aliud Opera; nec ſubitaria hæc noſtra dedicanda in Memoriæ templo. Quid, quod alij grauiùs etiam peccant? qui excipiunt aut intercipiunt dicta aut oratiunculas noſtras, & in contumeliam mei diuulgant. Aliter non accipio. Æuum hoc vt multis delictis fibulã, ita petulantiæ & licentiæ laxat: & quod auet procaciſſimus quiſque, id etiam audet. Ego ſemel & seriò teſtor, audite qui in Europâ.* NIHIL MEVM EST, AVT ERIT, QVOD NON DE AVTOGRAPHO MEO, ET ME VOLENTE, SIT EXPRESSVM. *Quicunque aliter, mihi iniuriam facit, vobis fucum. Deus bone, hæc monenda publicè eſſe? Ecce in bona opeſq; externas ius eſt non viuo mihi ſolùm ſed mortuo, & ſolatium fati eſt voluntas vltra fatum: in iſtis animi & ingenij verè bonis non idem erit? Reprimite Principes qui poteſtis, & vos lectores quâ poteſtis: illi puniendo, vos ſpernendo. Ego præter teſtari nihil habeo, & hoc etiam addo, Siquid vſquam præter religionem moreſq; veterum, non agnoſco: & tibi adhæreo* Statu felix Eccleſia, cui totam doctrinam Apoſtoli Petrus & Paulus cum ſanguine ſuo profuderunt. *Hæc ex animo ſcripta, vt in animum demittas, te, per ſpes tuas & per quidquid carum eſt, Lector rogo.*

Hoc de Romana, Tertull. præſcript. adu. hęret. cap. XXXVI.

IN

IN
IVSTI LIPSI V. CL. DE CRVCE LIBRVM,
ad Principes Chriſtianos Elegia IOANNIS BOCHII S. P. Q. Antuerpienſi à Secretis.

SI QVA ſalutiferi tangit vos gloria ſigni,
Si qua fides, ſi quis relligionis amor;
Si meritum Crucis, & ſtudium vos excitat vllum,
Et memores veſtri nominis eſſe iuuat;
Chriſtiadûm ô proceres, poſitis aduertite mentes
Rebus, & hoc vno figite corda libro.
Hîc decus, & factis ſeges hîc vberrima veſtris,
Laurus & hîc vero Principe digna viret.
Qua genus humanum deuicta morte triumphat
Arbore, cui noſtræ ſtemma ſalutis ineſt.
Ipſa Dei pietas ramorum amplexibus hæret,
Et riguus Chriſti ſanguine vernat apex.
De trunco fidei pendent myſteria noſtræ,
Maieſtate Deus, corpore verus homo.
Radicem cruor innocui puriſſimus agni,
Qui lauat humanæ vulnera ſortis, alit.
O Crux, ô columen, ſpes vnica, planta ſalutis,
O lignum ætherij fertile depoſiti.
Noxia prima fuit miſeris mortalibus arbor,
Damna ſed hæc medica noſtra reſarcit ope.
Protulit illa necem, vitam hæc: erat illa doloris
Mater, at hæc plauſus, lætitiæque fuit:
Perque nefas, vitiumque ſuo de ſemine, cælum
Clauſerat illa, fores hac reſerante patent.
Illam Tænario fallax è gurgite ſerpens
Occupat, impietas, & furor, ira, dolus:
Hanc natus genitore Deo, qui fœderis obſes,

Lethæo veteres carcere traxit auos.
Nec voluit ſeros Erebo parere nepotes,
Colla ſed excuſſo libera ferre iugo.
Victricis vexilla Crucis, credentibus omen
Extulit, imperij ſigna futura ſui.
Vmbrarum hæc oculis haud aſpicit arbiter æquis;
Sæuit, & auxiliis expedit arma nouis.
In Crucis excidium Latias aptare ſecures
Apparat, & dominæ concitat vrbis opem.
Primaque Cæſareus tentauit verbera lictor
Incaſſum, & rabie proficiente nihil.
Nam lignum Crucis ad quoſuis obduruit ictus,
Statque magis, quanto cæditur illa magis.
Chriſtiadumque fides numerum cruciatibus auget,
Et Crucis imperium creſcere pœna facit.
Crux vicit crucis artifices, tormenta propago,
Vnus & innumeros Chriſtus in orbe Deos.
Non tamen antiquus furiarum in ſede quieſcit
Hoſtis, at indicto prælia Marte ciet.
Omnia conquirit pœnarum inuenta, tyrannos,
Monſtra, faces, laqueos, flagra, metalla, feras.
Donec Romuleos Chriſti victoria faſces
Subdidit, & victo Cæſare iura dedit.
Hinc aquilæ ceſſére Cruci, vaſtumque per orbem
Crux fuit auguſtis gloria prima viris.
Vt quoties fera barbaries, aut nominis hoſtis
Chriſtiadùm, ſacræ mouerit arma Cruci;
Arſacides, vel mollis Arabs, Macedùmque phalanges,
Pontus, & Iſmarij Luna ſuperba ducis;
Aut Scytha, vel Garamas, mediis vel Syrtibus Ammon,
Errorum aut furiis gens agitata nouis;
Protinus intrepidis animis, armiſque paratis,
Sancta ſalutifera pro Cruce turba ſtetit.
Nunc idem, & rabie nunc imminet hoſtis eâdem,
O proceres, eadem cauſſa tuenda Crucis.
Iungite communes fata in communia dextras;
Ne pereant omnes, dum ſibi quiſque cauet.

Crux acies volet in medias, hoc vincite ſigno,
Cui didicit famulas mors dare victa manus.
Quod ſtygij tremuere lacus, quod mundus, & hoſtis
Quo viſo, trepida perdidit arma fuga.
Hæc monet antiqui ſcrutator Lipſius æui,
Et ſtimulos ſcriptis ſubdit ad arma ſuis.
Vile crucis quondam leti genus eruit vmbris,
Pœnáque ſupplicij quanta, quibúſque fuit.
Exemplóque docet, tantum ſi dedecus inſons
Mortis, ob humani criminis acta tulit;
Si Deus eſſe reus voluit, culpamque piauit,
Deleuitque necem morte, cruore nefas;
Hortari benefacta Crucis vos ſtringere ferrum
Pro cruce, coniunctas ſumere tela manus.
Hoc vos ſancta fides (nam defenſoribus iſtis
Tempus eget) pietas, officiumque rogant.
Arma dabunt ſuperi victricia, teſſera Chriſtus,
Crux ſignum, noſter buccina Juſtus erit.

MAXAEMYLIANI DE VRIENDT,

SENATVI GANDAVENSI A SECRETIS, AD IVSTI LIPSI de Cruce libros,

Epigramma.

SVpplicij ferale genus, trabs hoſpita leti,
Crux olim, & dirus ſontibus horror erat.
Tormentum inuiſum, durum, execrabile lignum,
Quo grauius nullum terra nouerca dabat.
At poſtquam ſata patre Deo, ſata Virgine proles
Diluit in celſâ crimina noſtra Cruce:
Victima pro ſeruis dominus, pro ſontibus inſons,
Pro læſis medicus, pro grege paſtor amans;
Ilicet ex illo, Crux lux, mors vita, trophæum
Furca, decus probrum, pœna medela fuit.
Hoſpite preſſa Deo tanti Crux numinis, olim
Crux ſcelerum Nemeſis, nunc ſcelerum vna ſalus.
Hoc olim tam grande decus, tam nobile pignus
Terra diu cæco texit auara ſinu:
Dum veluti poſtliminio tandem extulit illam,
Et luci lucem * *Cæſar habere dedit.* *Conſtantinus.
Fallor? an & IVSTVS *ceu Cæſaris æmulus, atra*
Nocte laborantem tollit ad aſtra Crucem?
O factum iuſtè: ſic rident lumina iuſtis,
Inuidiâ iniuſtis lumina fracta dolent.

Anumam rex Delius indit.

DE IVSTI LIPSI LIBRIS DE CRVCE,

MICHAELIS VANDER-HAGHEN ANTVERPIENSIS

Ad Lectorem Epigramma.

SI te priſca iuuant: hoc, docti, DE CRVCE, LIPSI,
Ingentis plenum, volue, laboris opus.
Supplicium Crucis ille vetus deſcribit ad vnguem,
Quale fuit, noſtram SALVIFICAMQVE CRVCEM:
In qua hominum lapſus, ſcelerumque Piator, atrocem
Mortem, inſons, multo ſanguine paſſus erat.
Vnde noua extinctis lux extitit, vnde ſepultis
Vita oriens, rutilam ſuſtulit alta facem.
Vnde redemptio & alma reconciliatio manant:
Vnde perennantis flumina pacis eunt.
Iſta vetuſtatis reſerat penetralia, Lector,
Vtere eo; & quantus, diſce, vir ille ſiet.

IN CLAR. VIRI IVSTI LIPSI DE CRVCE LIBROS.

LIPSI, *Palladiæ decus coronæ,*
LIPSI, *delicium nouem Sororum,*
Quo nec eſt melior benigniórque:
Iam loquax nimium, nec æqua lingua,
Quæ, vah, artibus abrogare ſanctam
Virtutem ſolet ac politiori
Doctrinæ, reprimetur illa. nam tu,
Qui doctiſsimus vnus es virorum,
Vnus es ſimul optimus virorum.
Eſt curæ pietas, & ipſa virtus,
Hac doctrina velut politur auro.
Teſtes DE CRVCE *ſunto tres Libelli:*
Docti, Jupiter! & pij libelli.
Coniunctam, bone lector, hîc videre
Virtutem licet eruditioni.

Balthaſar Moretus I. F.

IVSTI LIPSI DE CRVCE LIBER I.

CAP. I.

Precatiuncula. Materies & ordo operis.

AGGREDIOR de CRVCE ſcribere, ſed tuam priùs opem auxiliúmque inuocans qui eam conſecraſti, & infame illud lignum inſtrumentum feciſti publicæ ſalutis. Tu Deus à Deo genite, homo ex homine genite, hominibus genite, da mihi vera, da recta ſcribere, tibi in honorem, Cruci in ſplendorem, nobis in fructum. Materies & ordo mei operis iſte. *Quid* Crux, & *Cuiuſmodi* fuerit: *Vbi, Quare, Quomodo,* & *Quatenus* vſurpata. Hæc omnia non diſtinctè ſolùm, ſed diffusè dicam: nec diſplicebit accuratio illi, cui ſalutare hoc ſignum placebit.

CAP. II.

Crucis nomen polyſemon. Hæc noſtra Gabalus etiam dicta, item Infelix lignum, & Infame. Sed & Crux non in ligno.

Crux quidquid cruciat.

CRVX ſignificatione duplici, Laxâ & Adſtrictâ. Illa eſt, cùm pro omni angore, tormento, atque etiam interitu ſumunt. vt Comici paſſim, qui *Abire* iubent *in malam Crucem*: vt Gracchus, qui dixit (alio etiam genere) *Malo Cruce perire:* vt Plautus de homine merſo aquis, *Abſtractum in maximam malam Crucem.* Sed & Terentius à cruciando, Meretrices dixit *Cruces:* nec diſſimiliter Plautus, *Aliqua mala Crux ſemper eſt, quæ aliquid petat.* Paullò diuerſius illud eiuſdem: *Quæ te mala Crux agitat?* quod adfine iſtis, *Quæ laruæ, aut quæ intemperiæ?* At Adſtricta ſignificatio eſt hæc mea, & vulgò receptiſſima, cùm peculiariter cruciatum & interitum notamus in ligno. Quid ita? credo, quia eximius ille, mors tarda & planè cum ſenſu. Dixerunt & alio nomine *Gabalum.* Nonius ex Varrone citat: *Nos barbari quòd nocentes in Gabalum ſuffigimus homines, vos non barbari noxios abſoluitis.* Quæ vox etiam in priſcis Gloſſis, ſed vocali mediâ mutante: *Gabulum,* βάσανος. explicatque laxè, vt vides, & pro quocumque tormento. Dixerunt aliter, *Infelicem arborem, lignum, ſtipitem.* In carmine horrendo apud Liuium: *Caput obnubito, arbori infelici ſuſpendito.* De Cruce accipi res docet, & Cicero, qui in eâ pro Rabirio palàm ſic interpretatur. & Seneca: *Inuenitur qui velit adactus ad infelix illud lignum trahere animam tot tormēta tracturam.* Minutius Felix: *Deus ligneus, rogi fortaſſe vel infelicis ſtipitis portio:* id eſt, Crucis. Dixit & *Infamem* Poëta incertus.

Menæch. Prolog. — *Aulular.* — *Ibidem.* — *Mors in ligno.* — *Gabalus.* — *In Gabalā.* — *Infelix arbor.* — *Lib. 1.* — *Infelix lignum.* — *Epiſt. 61.* — *Infelix ſtipes.* — *In Octauio.* — *Infamis ſtipes.* — *In Catalect. Virg.*

Noxius infami diſtrictus ſtipite membra,
Sperat & à fixâ poſſe redire Cruce.

Natæ appellationes à iudicio & ſenſu vulgi, quibus hoc ſupplicium in horrore pariter & vilitate. Itaque Apuleius (in meo quidem & priſco libro) *Damnatam Crucem* Dixit.* *Damnatæ,* inquit, *iam crucis candidatus:* bene, & pro hoc ſenſu. Etſi autem Crux propriè in ligno: tamen adnoto, ſimilitudine

* Vulgò *deſtinata.* — *Lib. 1. de Aſin.*

dine etiam ita dictam ſuſpenſionem aut fixionem in aliâ paraturâ. puta in monte aut petrâ. Sic Tertulliano ſunt *Cruces Caucaſorum*, alludenti ad Promethea illîc affixum: quem ipſum Lucianus deſcribit & appellat σταυρωθέντα. Sic & Manilius de Andromedâ, quæ in ſcopulo vincta & ceto expoſita: *Et cruce virgineâ moritura puella pependit.*

Lib. I. aduer. Marc. cap. I. — Cruces in petrâ. — Lib. V.

Cap. III.

Nomina phraſéſve ad hoc ſupplicium: Figere, Configere, Cruciare. item Cruciarius, pro appendendo.

CRVCIS hæc nomina ſupplicij quod per eam, iſta. *Cruci ſuffigere.* vt Velleius de piratis, quos Cęſar, inquit, *Cruci ſuffixit.* *In cruce ſuffigere.* vt Hirtius. *Iuba Numidas eos, qui loco amiſſo fugâ ſe receperant, in cruce omnes ſuffixit.* Item *Cruci affigere, & Cruci figere,* crebra in libris. Illud minùs, *Figere* ἁπλῶς & ſine additione. Tertullianus ſic vtitur: *Taceo quòd figitur* (Chriſtus:) *in hoc enim venerat.* Quod idem *Configere* Paulinus Nolanus Epiſcopus dixit:

Agnoſcant trepidi, quem confixere rebelles:

de Chriſto ad iudicium venturo. Etſi Tertullianus paullò aliter, *veterem hominem confixum eſſe Chriſto* dicit: quod vulgò, *vnà crucifixum.* Suo etiam & proprio verbo appellarunt, *Cruciare.* Auſonius:

—— *Cruciauerat illic*
Spreta olim, memorem Veneris, Proſerpina Adonim.

Hegeſippus: *Capiebantur innumeri* (Iudæi,) *quingenti fermè ad diem cruciabantur.* quod eſt in crucem agebantur: atque Ioſephus in iſtâ ipsâ re dixerat, ἀνεσταυροῦντο. Paulinus:

—— *Cruciatâ in carne coruſcum*
Agnoſcant trepidi.

Gloſſæ veteres: *Cruciat, crucificat,* σταυροῖ. Nota ibidem & *Crucificat,* quod in iiſdem gloſſis alibi: *Crucificatus,* ἐσταυρωμένος. A *Crucio* ſiue & *Cruce* ipsâ *Cruciarius* dictus is qui in cruce, vel qui eâ dignus. In ipsâ, vt Petronius: *Cruciarij vnius parentes vt viderunt noctu laxatam cuſtodiam, detraxêre pendentem.* Et in Declamationibus Calpurnij Flacci inſcriptio: *Pædagogus crucia-*

De bello Africo. — Figere. — De patientia, ca. III. — Configere. — Natali IX. Felic. — De Reſur. carn. cap. XLVII. — Cruciare. — In Cupidine crucif. — Lib. V. cap. XVIII. — Lib. VI. Excid. cap. XII. — Natal. IX. Fel. — Cruciarius ὁ σταυρωθείς. — In Satyr. — Declamat. XVII. & XXIII.

cruciarius: &: *Peregrinus cruciarius.* de his qui appenſi iam in cruce. At qui eâ digni, per conuicium aut minas quoque ſic nominati. Iſidorus: *Cruciarius, eò quòd ſit cruce dignus.* Apuleius: *Nec tantillum cruciarius ille deterritus.* Ammianus: *Longum eſt, quæ cruciarius ille conflauit.*

Cruciarius ὁ σταυρώσιμος. — Lib. x. — Lib. xxix.

Cap. IV.

Græcorum verba ad Crucem & crucifixionem. Heſychius & Ouidius emendati, iſte etiam explicatus.

Σταυρὸς quid?

ISTA Latinis: Græcis duo ferè Crucis nomina, Σταυρὸς & Σκόλοψ. Illud frequentius: quod tamen propriè non niſi ſtipitem ſignat ſingularem & erectum. Latinè dixeris *Palum* ſiue *Vallum.* Euſtathius: Σταυροὶ ὀρθὰ καὶ ἀπωξυμμένα ξύλα· τὰ καὶ σταύαρα παρὰ τοῖς μὴ λαλοῦσιν εὐγενῶς· γίνονται δὲ παρὰ τὸ εἰς ἀέρα στᾶσιν, ἢ παρὰ τὸ εἰς εὖρος ἵστασθαι. οἱ δὲ αὐτοὶ Σκόλοπες λέγονται: *Stauri ſunt ligna recta & præacuta: quæ & Stauara dicuntur ab iis qui minùs ingenuè loquuntur. facta vox, vel quòd ad aërem ſtent, vel quòd in latum. Hi ipſi & Scolopes dicuntur.* Quod ait, εἰς εὖρος vel *in latum,* de pluribus iunctis verum eſt, vt ſolet in caſtrorum vallo. Neque immuto; etſi ex Heſychio paullò aliter deriuante, poſſim. Ille ſic: Σταυροὶ, οἱ καταπεπηγότες σκόλοπες, χάρακες, καὶ πάντα τὰ ἑστῶτα ξύλα. ἀπὸ τοῦ ἑστάναι σταυροὶ, ἢ ἐκ τοῦ εἰς τὴν αὔραν ἵστασθαι: *Stauri, defixi ſtipites ſunt, valli, & omnia ligna recta ſtantia: ab eo quòd ſtent Stauri, vel quòd ad auram conſiſtant.* Alluſiſſe ad poſtremum hoc etymon Prudentius videatur:

Vnde vox facta? — In Odyſſ. ξ. initio.

—— *Crux iſtum tollat in auras*
Viuenteſque oculos offerat alitibus.

Περὶ στεφ. Hymn. x.

Luciani iocoſa deriuatio.

Hæc Grammatici. ſed Lucianus ingenioſè & pro argumento, in Iudicio vocalium, deriuat à Tau litterâ, quę figurâ crucem refert. Ait ἀπὸ τούτου (τοῦ Ταῦ) καὶ τῷ τεχνήματι τῷ πονηρῷ τὴν πονηρὰν ἐπωνυμίαν συνελθεῖν: *ab iſtâ etiam, inſtrumẽto peſſimo* (cruci) *peſſimum nomen veniſſe.* Atque hoc in fine etiam dialogi iterat. Iam Σκόλοψ propriè, vallum, ſudemq́. ſignificat acutam. Heſychius: Σκόλοπες, ὀξέα ξύλα, ὀρθά: *Scolopes, acuta ligna, recta.* Homerus:

Σκόλοψ quid?

—— Σκόλοπες γὰρ ἐν αὐτῇ [τάφρῳ]
Ὀξέες ἑστᾶσιν.

Iliad. μ. ver. 63.

Ibi

Ibi Euſtathius: Σκόλοπες, ὀρθὰ ξύλα καὶ ὀξέα, ἃ καὶ σταυροὺς ἐκάλουν· ἐφ' οὓς οἱ κρεμασθέντες ἀνεσταυρῶσθαι καὶ ἀνεσκολοπίσθαι ἐλέγοντο: *Scolopes recta ligna & acuta, quæ & Stauros vocabant: in quibus appenſi, cruci aut vallo figi dicebantur.* Et benè, quòd duo illa verba ſuggerit, quibus ipſam crucifixionem ſignabant, Ἀνασταυροῦν & Ἀνασκολοπίζειν. Ita enim plerumque compoſitè, ad elationem ſcilicet fixionemque in alto notandam: etſi aliàs etiam ſimpliciter, Σταυροῦν & Σκολοπίζειν. Sunt & alia duo verba, quibus vulgò valdè vſi, Προσηλοῦν & Κρεμᾶν ſiue Ἀνακρεμᾶν. quorum illud clauationem ipſam in ligno propriè notat, hoc ſuſpenſionem. In illo, ſcriptoris aliquis error videtur apud Heſychium: Προσήλωται, ἀνέστεπται. atque ego reſcribam, ἀνεσταύρωται. *Heſychius correctus.* In iſto, ſæpe interpretum, qui ad ſuſpenſionem vulgariam & in laqueo aptant. Ita quod Arrianus narrat de Mu-

Lib. VI. ſicano: τοῦτον κρεμάσαι Ἀλέξανδρος κελεύει ἐν τῇ αὐτοῦ γῇ: aliter verſum legi, cùm ſic debuerit: *Hunc Alexander crucifigi in ſuá regione iubet* Curtius ſatis præit, qui ſcribit *in crucem ſublatum.*

Lib. XIII. Ita quod Diodorus Siculus in eiuſdem Alexandri rebus, de Tyro captâ: τοὺς δὲ νέους πάντας, ὄντας οὐκ ἐλάττους τῶν δισχιλίων, ἐκρέμασεν: idem Curtius rectè: *Duo millia crucibus affixa, per ingens litoris ſpatium pependerunt.* Et exempla pluſcula. Tale apud Latinos ipſum *Suſpendere*, quod ad Crucem referen- *Suſpendere, quid?* dum moneo iuuentutem. Vt in Silio:

Lib. I. *Hunc poſtquam diro ſuſpenſum robore vidit.*

Epiſt. VII. In Senecâ: *Latrocinium fecit aliquis. quid ergo meruit? vt ſuſpendatur.* In Ouidio:

In Ibin. *More vel intereas capti ſuſpenſus Achæi,*
Qui miſer auriferá teſte pependit aquá.

Lib. VIII. Quibus verſibus vera hiſtoria & ſenſus è Polybio reddatur *Ouidius explicatus.* iſte. Antiochus rex per fraudem Achæum ex arce Sardium deduxit, & per inſidias cepit. Καὶ ἔδοξε, addit, πρῶτον μὲν ἀκρωτηριάσαι τὸν ταλαίπωρον, μετὰ δὲ ταῦτα τὴν κεφαλὴν ἀποτεμόντας αὐτοῦ, καὶ καταρράψαντας εἰς ὄνειον ἀσκὸν, ἀνασταυρῶσαι τὸ σῶμα: *Et viſum eſt, primò admutilare illum miſerum & extremas partes ſuccidere, deinde capite eius reſecto & in aſininum culleum coniecto, reliquum corpus crucifigere.* Hæc res: ſperne aliorum inanes logos. Sed & mecum lege, *teſte pependit aquá*: non *triſte* aut *reſte*, quod vul- *Leuiter emendatus.*

gatur.

gatur. Vult enim, cum non in ipsâ auriferâ aquâ, id eſt Pactolo, ſuſpenſum: quî potuit? ſed iuxta eam, atque illâ quaſi arbitrâ & inſpectante. Pactolus autem haud longè Sardes, vbi hæc geſta.

Cap. V.

Diuiſio prima Crucium: & de ſpecie vetuſtiſſimâ dictum, Affixione. Tertullianus per occaſionem correctus, atque Iſis eadem cum Cerere exiſtimata.

Crux ſimplex.

VERBA non vltrà me tenent: rem ordiamur. cui illuſtrandæ duplex genus Crucium ſtatuo, *Simplex* & *Compactum.* Illud voco, *cùm in vno ſimplicique ligno fit affixio, aut infixio.* Quæ crux, meo iudicio, prima fuit, & in aliam ſpeciem à rudi hac ventum. Sed ea quoque duplex, vt tetigi: altera ad *Affixionem*, altera ad *Infixionem.* Nam aliàs ad arbo-

Eius diſcrimen.



rem ſiue ſtipitem alligabant figebántve hominem. vt in *Cupidine crucifixo* Auſonij, quem ſic deſcribit:

Eligitur mæſto myrtus notiſſima luco,
Inuidioſa Deûm pœnis. Cruciauerat illic.
Spreta olim, memorem Veneris, Proſerpina Adonim.
Huius in excelſo ſuſpenſum ſtipite Amorem,
Deuinctum poſt terga manus, ſubſtrictáque plantis
Vincula mærentem, nullo moderamine pœnæ
Adfigunt.

Verba omnia nota: videbis & in arboris ſtipite appenſum, nec manibus expanſis, ſed à tergo deuinctis, denique nec clauis ſed funibus ſubſtrictum:

niſi


Apolog. cap. VIII. niſi fortè in pedibus. Simile in Tertulliano, de Tiberio: qui Saturni *ſacerdotes*, vt inquit, *in eiſdem arboribus templi ſui, obumbratricibus ſcelerum, votiuis Crucibus expoſuit.* In Martyrologio, de Paphnutio: *Ipſe palmæ arbori affigitur, ceteri autem ferro necantur.* Nec ambigimus arbores plerumque huic rei ſeruiſſe, præſertim in grandi numero cruciandorum, ſiue reciſas leuiter & ad Crucem aptatas, ſiue etiam comantes. Sed & in ſtipite ſimplici idem fuit. Ex Tertulliano: *Quanto diſtinguitur à Crucis ſtipite Pallas Attica, vel Ceres Farrea, quæ ſine effigie, rudi palo & informi ligno proſtant?* Nam rudem ecce palum componit & aſſimilat cum Cruce. Sed in eius verbis menda de Cerere Farreâ. Cur enim ſic appellet? an quia far inuenerit? eſto. atqui non omnis Ceres ſic effic̃ta, ſed certa aliqua, & in loco quem voluit expreſſum: ſicut de Pallade, quæ Athenis. Legendum arbitror, *Faria* ſiue *Pharia*: quaſi dixerit Cererem, quæ in Ægypto. Et intelligi credam Iſidem: quæ nomine diuertit à Cerere, numine communicat. Ita Herodotus: Δημήτηρ δὲ, Ισις. In Apuleio, ipſa de ſe Iſis: *Me primigenij Phryges Peſſinuntiam matrem nominãt, me Eleuſinij vetuſtam deam Cererem.* Euſebius de Præparatione: Φασὶ τίνες Αἰγύπτιοι τὸν μὲν Οσιριν εἶναι τὸν Διόνυσον, τὴν δὲ Ισιν τὴν δήμητραν: *Aiunt Ægyptij Oſirim eſſe Bacchum, Iſidem verò Cererem.*

In arboribus appenſio.

XXIV. Septembr.

Apolog. cap. XVI.

Siue in rudi ſtipite.



Tertullianus emendatus.

Ceres Pharia, ſiue Aegyptia.

Lib. XI. de Aſin.

Lib. II. cap. I.

CAP. VI.

Altera Simplicis Crucis ſpecies, Infixio. Seneca, Heſychius, Plato, Plinius, illuſtrati.

Infixio quæ vulgò Impalatio.

ATQVE hæc fuit in Simplici Cruce Affixio: eſt & in eâdem Infixio. qualis? *cùm nudum hominem erecto acutoque ſtipiti infigebant*, eâ formâ & facie quam exempla hæc docebunt. Seneca: *Video iſtic Cruces nec vnius generis, ſed aliter ab aliis fabricatas. Alij capite conuerſo in terram ſuſpendêre, alij per obſcœna ſtipitem egerunt.* (Conſolat. ad Marc. cap. xx.) Duo in iis verbis obſerues, & Cruces varias fuiſſe, quod nunc diducimus: & inter eas, Infixionem. Quam magis etiam aperit idem Seneca: *Cogita hoc loco carcerem & Cruces, & adactum per medium hominem, qui per os emergat, ſtipitem.* (Epiſt. xiv.) Viden' clarè medium hominem ſciſſum & transfoſſum?



Σκόλοψις. ea dicta.

Atque id imagine etiam illuſtrat Heſychius: Σκόλοψιν, ὡς ὄπτησιν· τὸ γὰρ παλαιὸν τοὺς κακούργους ἀνεσκολόπιζον, ὀξύνοντες ξύλον διὰ ῥάχεως καὶ τοῦ νώτου, καθάπερ τοὺς ὀπτωμένους ἰχθῦς ἐπὶ ὀβελίσκων: *Sudifixionem* dixeris, *quaſi Aſſationem. Nam antiquitus maleficos ſudi infigebant, acuto ligno penetrantes ſpinam & dorſum, ſicuti aſſos in verubus piſces.* vbi amplius diſco, propriè hoc eſſe Σκόλοψιν; & Σκολοπίζειν vbi legitur, plerumque referẽdum ad hanc formam. Iſta Crux neſcio an Mæcenati etiam deſcripta: cuius verſus apud Senecam (Epiſt. ci.) iam olim ſic legimus:

Mæcenati lux.

Hanc mihi, vel acutâ
Si ſedeam Cruce, ſuſtine.
Vita dum ſupereſt, bene eſt.

Vult

Vult miſer & adſuſpirat viuere, etiam inter tormenta, & in iſtâ maximè cruciante Cruce, quam ſignanter dixit *Acutam.* Sed ait etiam *Sedere* : benè. Nam ille profectò habitus hominis ab infero in ſuperum ſic transfixi. Hoc ipſum genus Ἀνασκινδυλεύεσθαι, dictum Græcis, quaſi diffindere & diſſecare. Heſychius: Ἀνασκινδυλεύεσθαι, ἀνασκολοπισθῆναι. Plato eo verbo v-

II. De Repub. ſus : Μαστιγώσεται, στρεβλώσεται, τελευτῶν δὲ πάντα κακὰ παθὼν ἀνασκινδυλευθήσεται : *Flagellabitur, diſtorquebitur, denique omnia mala paſſus Cruce diffindetur.* Et Platoni. Plinij etiam verba huc referam narrantis, Polybium cum Scipione in Africâ leones homicidas *cru-* Et Plinio.

Lib. VIII. cap. XVI. *cifixos vidiſſe, quia ceteri metu pœnæ ſimilis abſterrerentur eâdem noxâ.* Quis enim credat operoſam & compoſitam crucifixionem illam fuiſſe? non ego: & accipiam de hac promptâ & fortuitâ in ſtipite infixione, ſiue etiam affixione.

CAP. VII.

In genere de Cruce Compactâ : tum de primâ eius ſpecie, Decuſſatâ. & an hæc ſit Andreana?

AT *Compacta* Crux eſt, quæ *manu facta, idque è duplici ligno.* Ita ſeptuaginta Interpretes Ptolomæani, libro Ioſuæ quà vulgò eſt, *lignum,* & Chaldæo paraphraſte, *Crux,* ipſi verterunt* ξύλον δίδυμον: bene ſanè, ad hanc formam. Hęc eſt plena & vera Crux, in qua brachia etiam explicantur, atque ideo *Patibulum* non ſemel dicta. Huius ſpecies triplex, vt diſtinctè imò curioſè ediſſeram, & ſemel tollam dubitationes aut lites. Eſt *Decuſſata,* eſt *Commiſſa,* eſt *Immiſſa.* Illa prima mihi dicitur, *in quâ duo ligna directa & æquabilia, inter ſe obliquantur.* Decuſſare hoc enim Romani dixerunt. Hieronymus : *Decuſſare, eſt per medium ſecare, veluti ſi duæ regulæ concurrant ad ſpeciem litteræ X quæ figura eſt Crucis.* Nec minùs clarè Iſidorus: *X littera, & in figurâ Crucem, & in numero decem demonſtrat.* Obſcuriùs paullò alij Patres & Doctores noſtri. vt Iuſtinus Martyr: qui illud Platonis in Timæo, Ἐχίαζεν αὐτὸν ἐν τῷ παντί : *Decuſſauit eum in vniuerſo:* adſeueranter ad Chriſtum & Crucem noſtram retulit, quo niſi hoc

** Lignum geminum.*

Patibulum quid propriè?

Crux Decuſſata.

In Hierē. cap. XXXI.

Lib. I. Orig. ca. III.

Aduerſ. Triph.

Iuſtinus explicatus.

 aſpectu?

aſpectu? Iam cùm tranſuerſis obliquatiſque manibus benedictionem Iacobi eôdem aptant: quid niſi hæc forma in oculis? Damaſcenus: Ἰακὼβ προσκυνήσας τὸ ἄκρον τῆς ῥάβδου, ἐναλλαγμέναις ταῖς χερσὶ τοὺς υἱοὺς Ἰωσὴφ εὐλογήσας, καὶ τὸ σημεῖον τοῦ σταυροῦ διαγράφει σαφέστατα: *Jacob adorans extremum virgæ, alternantibus manibus liberos Ioſeph benedicens, etiam ſignum hoc Crucis deſcribit manifeſtiſſimò.* Quid χεῖρες iſtæ ἐναλλαγμέναι etſi non ambiguum, tamen audiamus Cedrenum commodè explicantem. Ἰσραὴλ (idem cum Iacobo) τὰς χεῖρας ἀμείβων, τὴν μὲν δεξιὰν ἐπὶ τοῦ νεωτέρου, τὴν ἀριστερὰν δὲ ἐπὶ τοῦ πρεσβυτέρου τὴν κεφαλὴν τιθείς: *Iſraël manus permutans, dextram quidem in iunioris, ſiniſtram verò in ſenioris caput imponens.* Et Tertullianum in iſtâ ipsâ re: *Impoſitis & intermutatis manibus benedixit, & quidem ita tranſuerſim obliquatis inter ſe, vt Chriſtum deformantes, iam tunc portenderent benedictionem in Chriſtum futuram.* Quomodo *Chriſtum deformarunt* illę manus? imò *Crucem*: & ſic mihi libido aliquando legere: ſed refræno, & accipio Chriſtum crucifixum. Hæc illa eſt quam Andreanam hodie dicimus, validâ & ſatis veteri famâ diuum iſtum in eâ cruciatum. Anne verâ? facit me vt ambigam Martyrologium Romanum: in quo hoc ſaltem * legas, *in Cruce ſuſpenſum.* & magis Hippolytus, qui ſcribit *Crucifixum Patris in Achaiâ, ad arborem oliuæ rectum.* Quid magis contra famam? Atque hæc fixio ad Simplicem noſtram potiùs abeat, longè à Decuſſatâ.



Lib. IV. de Orth. c. XII.

Et Damaſcenus.

De Baptiſ. cap. VIII.

Crux Andreana.

* Vti & in Abdiâ lib. III.

In Comment. Grę-co.

CAP.

CAP. VIII.

Commiſſa Crux quid nobis ſit? exemplis teſtibusque aſſerta, tum etiam veſtigio noſtræ linguæ.

IAM Commiſſam Crucem appello, *cùm ligno erecto breuius alterum ſupernè, & in ipſo capite committitur, ſic vt nihil exſtet.* ea forma examuſſim eſt in T litterâ, quam vno ore omnes cum Cruce componunt. Lucianus vbi Tau accuſatur: τῷ γὰρ τούτου σώματί φασι τοὺς τυράννους ἀκολουθήσαντας καὶ μιμησαμένους αὐτοῦ τὸ πλάσμα, ἔπειτα σχήματι τοιούτῳ ξύλα τεκτήναντας, ἀνθρώπους ἀνασκολοπίζειν ἐπ' αὐτά: *Huius enim corporis filum tyrannos aiunt ſecutos, eiuſque ſpeciem imitatos, ſimili deinde figurá ligna fabricaſſe, & homines in iis fixiſſe.* Palàm eſt Crucem intelligi. Tertullianus: *Ipſa enim littera Græcorum Tau, noſtra autem* T, *ſpecies Crucis.* Iſidorus: *Tau littera ſpeciem Crucis demonſtrat.* Hieronymus: *Antiquis Hebræorum litteris, quibus vſque hodie Samaritæ vtuntur, extrema Tau Crucis habet ſimilitudinem.* Paulinus Nolanus: *Chriſtus non multitudine nec virtute legionum, ſed iam tunc in ſacramento Crucis, cuius figura per litteram Græcam Tau numero trecentorum exprimitur, aduerſarios Principes debellavit.* Adſtruunt etiam picturæ, & noſtra lingua. In illis quidem, paſſim hodie videas D. Antonij vetuſtiſſimi monachi penulæ & manui aſſui aut imponi hanc crucem. An quia Ægyptius ille vir, quibus iam olim notum, & inter ſacra hoc ſignum? Certè in obeliſcis, qui inde Romam vecti, ſculptum ſic vidimus ☥ : cum anulo tamen vel anſulâ supernè, nec ſatis ſolidè ſcio ad quam rem aut vſum. Sed de præcipuâ ipsâ notâ, dignum aliquid notâ Eccleſiaſticæ noſtræ hiſtoriæ prodiderunt. Ruffinus: *Signum hoc dominicæ Crucis, inter illas quos dicunt* ἱερατικὰς *id eſt Sacerdotales litteras, habere Ægyptij dicuntur, velut vnum ex iis quæ apud illos ſunt litterarum elementis. Cuius litteræ ſeu vocabuli hanc aſſerunt eſſe interpretationem,* VITA VENTVRA. Sozomenus: Φασὶ δὲ τοῦ ναοῦ καθαιρουμένου τούτου (τοῦ Σαράπιδος) τινὰς τῶν καλουμένων ἱερογλυφικῶν χαρακτήρων σταυροῦ σημείῳ ἐμφερεῖς ἐγκεχαραγμένους, τοῖς λίθοις ἀναφα-

Marginalia: *Commiſſa Crux.* — III. aduer. Marcion. — De vocat. gent. — In Ezech. cap. IX. — Epiſt. ad Scu. — *Antoniana Crux.* — *Aegyptiis inter notas.* — Lib. II. ca. XXIX. — Lib. VII. Eccl. Hiſt. cap. XV. — *Significatio eius.*

ἀναφανῆναι. παρ' ἐπιστημόνων δὲ τὰ τοιάδε ἑρμηνευθεῖσαν σημαίνειν ταύτην τὴν γραφὴν, ζωὴν ἐπερχομένην. *Aiunt templo iſto* (Sarapidis) *diruto & diſiecto, quaſdim ex iis, quas vocant Hieroglyphicas notas, ſimiles ſigno Crucis inſcriptas lapidibus appar ūiſſe. Ab iis autem, qui doӡti hæc talia, explicatam eam notam, ſignificare vitam venturam.* In Suidâ etiam hiſtoriola hæc breuiter. Ἐπὶ Θεοδοσίου τοῦ μεγάλου βασιλέως καθαιρουμένων τῶν Ἑλληνικῶν ἱερῶν, εὑρέθησαν ἐν τῷ Σαράπιδος νεῷ ἱερογλυφικὰ γράμματα σταυροῦ ἔχοντα τύπους. ἅπερ θεασάμενοι οἱ ἐξ Ἑλλήνων χριστιανίσαντες, ἔφασαν σημαίνειν τὸν σταυρὸν παρὰ τοῖς ἱερογλυφικὰ γινώσκουσι γράμματα ζωὴν ἐπερχομένην. *Theodoſio magno regnante, cùm fana Gentilium diruerentur, inuentæ ſunt in Sęrapidis templo Hieroglyphicæ litteræ habentes Crucis formas, quas videntes ij gentilium qui Chriſto iam addicti erant, aiebant ſignificare Crucem apud peritos Hieroglyphicarum notarum Vitam venturam.* Atqui & à linguâ argumentum petij, ſed noſtrâ. Nos inquam Belgæ hodie, bacillos in hanc formam, quos ægrorum brachiis ſuſtentaculum ſubiicimus, vocamus ipsâ Latinâ voce *Cruckas.*

CAP. IX.

Affirmata Crux Immiſſa è ſcriptis maximè Patrum: ipſi alij per alios, & imaginibus per nos etiam, explicati.

Immiſſa quid? DENIQVE *Immiſſa* crux eſt, *cùm ligno erecto tranſuerſum alterum iniungitur atque immittitur, ſed ſic vt ipſum ſecet.* Ita eminentia hîc ſemper aliqua & capitellum, aliter quàm in Commiſsâ. Etiam anguli hîc ſiue fines quaterni, illic terni. Quis de iſtâ ambiget? Ingerunt eam oculis Picturæ pariter & Scripturæ priſcæ. Sed illas omitto aut differo: hæ variæ & obuiæ ſunt, atque ex iis eligam non colligam, noſtro more. Iuſtinus ſignanter in primis deformat aduerſus Tryphonem. Explicat vetus illud vaticinium de Vnicorni, & ad Crucem ſic aptat. *A Iuſtino deſcripta.* Μονοκέρωτος γὰρ κέρατα οὐδενὸς ἄλλου πράγματος, ἢ σχήματος ἔχοι ἄν τις εἰπεῖν καὶ ἀποδεῖξαι εἰ μὴ τοῦ τύπου ὃς τὸν σταυρὸν δείκνυσιν. ὄρθιον γὰρ ἓν ἐστι τὸ ξύλον, ἀφ' οὗ ἐστι τὸ ἀνώτατον μέρος εἰς κέρας ἐπηρμένον, ὅταν τὸ ἄλλο ξύλον προσαρμοσθῇ, καὶ ἑκατέρωθεν ὡς κέρατα τῷ ἑνὶ κέρατι παρεζευγμένα τὰ ἄκρα φαίνηται, καὶ τὸ ἐν τῷ μέσῳ πηγνύμενον ὡς κέ-



ὡς κέρας καὶ αὐτὸ ἐξέχον ἐστὶν, ἐφ' ᾧ ἐποχοῦνται οἱ σταυρούμενοι: *Vnicornis enim cornua alteri rei aut figuræ haud quiſpiã ſimilia dixerit aut oſtenderit, quàm illi quæ Crucem refert. Rectum enim vnum eſt lignum à quo eſt ſuprema pars in cornu ſublata, cùm alterum lignum aptatum eſt: & vtrimque tamquam cornua illi vni cornu coniuncta, extrema apparent: & illud in medio defixum, & ipſum tamquam cornu eminet, in quo requieſcunt & innituntur crucifixi.* Obſcuriuſcula alibi verba. ſed hac parte liquidiſſima, quòd eminens vnum cornu facit à vertice crucis. Iam alij Patrum, variâ imagine, non ſine laſciuiâ quâdam ingeniorum & ſtili eam deſcribunt & notificant.

In Marc. cap. XI. — Ab Hieronymo,

Vt Hieronymus: *Ipſa ſpecies Crucis, quid eſt niſi forma quadrata mundi? Aues quando volant ad æthera, formam Crucis aſſumũt. Homo natans per aquas, vel orans, formâ Crucis viſitur.*

Apolog. cap. XVI. — Tertulliano,

Vt Tertullianus: *Victorias adoratis, cùm in Tropæis Cruces inteſtina ſint tropæorum. Omnes illi imaginum ſuggeſtus in ſignis, monilia crucium ſunt. Sipara illa vexillorum & cantabrorum ſtolæ crucium ſunt. Laudo diligentiam, noluiſtis incultas Cruces conſecrare.*

In Dialog. Octauio. — Minutio,


Vt Minutius Felix: *Cruces nec colimus, nec optamus. Vos planè, qui ligneos Deos conſecratis, cruces ligneas, vt deorum veſtrorum partes, forſitan adoratis. nam & ſigna ipſa, & cantabra, & vexilla caſtrorum quid aliud quàm inauratæ Cruces ſunt & ornatæ? Trophæa veſtra victricia non tantùm ſimplicis Crucis faciem, verùm & affixi hominis imitantur. Signum ſanè Crucis naturaliter viſimus in naui, cùm velis tumentibus vehitur, cùm expanſis palmulis labitur: & cùm erigitur iugum, Crucis ſignum eſt: & cùm homo porrectis manibus Deum purâ mente veneratur. Ita ſigno Crucis*

Maximo. *aut ratio naturalis innititur, aut veſtra religio formatur.* Vt Maximus Taurinenſis: *Grande eſt Crucis ſacramentum, & , ſi intellegamus, per hoc ſignum mundus ipſe ſaluatur. Nam cùm à nautis ſcinditur mare, priùs arbor erigitur, velum diſtenditur, vt Cruce Domini factá aquarum fluenta rumpantur. Sed & bonus agricola, cùm parat terræ ſolum vertere, non niſi per ſignum Crucis id facere conatur. Dum enim aratro dentale ſubiicit, afficit* (lege *affigit*) *aures, ſtiuam inſerit, figuram Crucis imitatur. Cælum quoque ipſum huius ſigni figurá diſpoſitum eſt. Nam cùm quatuor partibus diſtinguitur, Oriente, Occidente, Meridiano, ac Septemtrione, quatuor quaſi Crucis angulis continetur. Ipſius etiam inceſſus hominis, cùm manus leuauerit, Crucem pingit. atque ideò eleuatis manibus orare præcipimur, vt ipſo quoque membrorum geſtu paſſionem Domini fateamur.* De Cruce Dom. Homil. 11.

Verùm Iuſtino. Et diffuſiſſimè omnium Iuſtinus: Κατανοήσατε πάντα τὰ ἐν τῷ κόσμῳ, εἰ ἄνευ τοῦ σχήματος τούτου (Σταυροῦ) διοικεῖται, ἢ κοινωνίαν ἔχειν δύναται. Θάλασσα μὲν γὰρ οὐ τέμνεται, ἢν μὴ τοῦτο τὸ τρόπαιον ὃ καλεῖται ἱστίον ἐν τῇ νηῒ σῶον μείνῃ. γῆ δὲ οὐκ ἀροῦται ἄνευ αὐτοῦ. σκαπανεῖς δὲ ἐργασίαν οὐ ποιοῦνται, οὐδὲ βαναυσουργοὶ ὁμοίως, εἰ μὴ διὰ τῶν τὸ σχῆμα τοῦτο ἐχόντων ἐργαλείων. τὸ δὲ ἀνθρώπειον σχῆμα οὐδενὶ ἄλλῳ τῶν ἀλόγων ζώων διαφέρει, ἢ τῷ ὀρθόν τε εἶναι, καὶ ἔκτασιν χειρῶν ἔχειν, καὶ ἐν τῷ προσώπῳ ἀπὸ τοῦ μετωπίου τεταμένον τὸν λεγόμενον μυξωτῆρα φέρειν, δι' οὗ ἥ τε ἀναπνοή ἐστι τῷ ζώῳ, καὶ οὐδὲν ἄλλο δείκνυσιν ἢ τὸ σχῆμα τοῦ Σταυροῦ· καὶ τὰ παρ' ὑμῖν δὲ σύμβολα τὴν τοῦ σχήματος τούτου δύναμιν δηλεῖ.* *λαβάρων καὶ τῶν τροπαίων δι' ὧν αἵ τε πρόοδοι ὑμῶν πανταχοῦ γίνονται, τῆς ἀρχῆς καὶ δυνάμεως τὰ σημεῖα ἐν τούτοις δεικνύντες, εἰ καὶ μὴ νοοῦντες τοῦτο πράττετε. καὶ τῶν παρ' ὑμῖν ἀποθνησκόντων αὐτοκρατόρων τὰς εἰκόνας ἐπὶ τούτῳ τῷ σχήματι ἀνατίθετε, καὶ θεοὺς διὰ γραμμάτων ἐπονομάζετε. Apolog. 11. * Vide Not.

Conſiderate omnia quæ in mundo ſunt, an ſine ſigno hoc Crucis gubernentur, aut poſſint præbere ſui vſum. Mare enim non ſcinditur, niſi tropæum iſtud, quod malus appellatur, ſaluum in naui maneat. Terra non aratur ſine eo. Foſſores verò opus non abſoluunt, neque alij item operarij Mechanici, niſi per inſtrumenta quæ formam hanc referant. At humana figura non aliâ re belluis differt, quàm quòd, & recta ſit, & manuum extenſionem habeat, & in facie à fronte protenſum naſum, per quẽ & reſpiratio animalibus eſt, neque aliud demonſtrat quàm ſignum hoc Crucis. Sed & apud vos notæ huius ſigni potentiam declarant: cùm alia quædam, tum tropæa, ob quæ progreſſus & expeditio-* * Vide Not.

peditiones vbique vobis fiunt imperij & potentiæ ſigna in iſtis præferentes, etſi ignorantes hoc facitis. Et Imperatorum qui apud vos mortui ſunt imagines in hac figurâ ponitis, & Deos per litteras appellatis. Quæ pluſcula poſui, quia me quoque inter exſcribendum delectarunt inuentiunculæ iſtæ Patrum. Spero & te, ſi plenè intelleges: atque adminiculum, figuras iſtas, habe.



CAP. X.

In quâ Crucium formâ Chriſtus mortem tulerit? videri in vltimâ, argumento è Patribus & picturis. Ruffini non bona fides notata in verbis Pauli citandis ſiue explicandis.

HABES omnes Crucium ſpecies. In quâ earum ille mortuus, qui morte ſuâ nobis vita? Ne quærendum quidem cenſeam, niſi dubitaſſe & diſputaſſe viderem viros

graues & ſacrorum peritos. ego arbitror & pronuncio, in *Crux quadrangula, quo myſterio.* hac poſtremâ. in illâ inquam, quæ quatuor finibus vniuerſum orbem complexa eſt, non ſine myſterio, quòd toti orbi mortuus, Saluator noſter pependit. Tangit hoc & docet Sedulius: Lib. III.

Néve quis ignoret ſpeciem Crucis eſſe colendam,
Quæ Dominum portauit ouans, ratione potenti,* * Siue, *patenti.*
Quatuor inde plagas quadrati colligit orbis.
Splendidus auctoris de vertice fulget Eous,
Occiduo ſacræ labuntur ſidere plantæ,
Arcton dextra tenet, medium læua erigit axem.

D. Paulus explicatus. Et auctoritas etiam firma à D. Paulo. cuius hæc verba, *Vt poſſitis comprehendere cum omnibus ſanctis, quæ ſit latitudo & longitudo, & ſublimitas & profundum*, plerique Doctorum veterum referunt ad Crucem. (Ad Epheſ. cap. III.) Auguſtinus: *Erat latitudo, in quâ porrectæ ſunt manus; longitudo à terrâ ſurgens, in quâ erat corpus infixum; altitudo, ab illo innexo ligno ſurſum quod eminet; profundum, vbi fixa erat Crux, & ibi omnis ſpes vitæ noſtræ.* (In Pſalm. CIII. & alibi.) Damaſcenus: Ὥσπερ τὰ τέσσαρα ἄκρα τοῦ Σταυροῦ διὰ τοῦ μέσου κέντρου κρατοῦνται καὶ συσφίγγονται, οὕτω διὰ τῆς τοῦ Θεοῦ δυνάμεως τό, τε ὕψος καὶ τὸ βάθος, μῆκος καὶ πλάτος, ἤτοι πᾶσα ὁρατή τε καὶ ἀόρατος κτίσις συνέχεται. (De Orth. lib. IV. cap. XII.) *Sicut quatuor extrema Crucis per medium centrum vinciuntur & iunguntur: ſic per diuinam potentiam Sublimitas & Profunditas, Longitudo & Latitudo, ſiue omnis conſpicua & inconſpicua creatura continetur.* Palàm & ipſe quatuor fines nominat, & verba Pauli huc adaptat. *Ruffini ſingularis ſententia.* Ruffinus cur diſſentit? qui tres modò agnoſcit, & ipſa Apoſtoli verba (nefas!) admutilat & detruncat. *Docet*, inquit, *Apoſtolus Paulus illuminatos eſſe debere oculos cordis ad intellegendum quæ ſit altitudo, latitudo, & profundum. Deſcriptio Crucis eſt. cuius eam partem quæ in terram defixa eſt, profundum appellauit: altitudinem verò illam, quæ in aërem porrecta ſublimis erigitur: latitudinem quoque illam, quæ diſtenta in dextram læuamque protenditur.* (In Symbol.) Mirum, & in verbis Pauli, & in eorum ſenſu *longitudinem* vbique improuidè omiſit, an de induſtriâ eiecit? Culpa, ſi illud: crimen, ſi iſtud. Sed ad rem. Poëtæ quoque & Pictores ſunt à formâ iſtâ. Nonnus diſertè ſcribit, Chriſtum ſublatum Εἰς δόρυ

τετρά-

τετράπλευρον: *in lignum quadrilaterum.* Et in priſcis ſculpturis (illis meritò fides) quadrata conſpicitur hæc forma. Conſtantinus Imp. in Labaro ſuo expreſſit: & Deus ipſe in aëre ei deformarat. In columnis eiuſdem Principis, quæ nunc in cognomine vrbe (heu, quò ea recidit?) Crux eiuſmodi  inſculpta viſitur, & vtrimque ab alatis Geniis ſuſtentatur. Quid, quòd in Numis plurifariam ſic appâret? quorum alibi damus typos. Nec meo ſenſu, ambigi profectò poteſt, in tam veteri Chriſtianorum ſenſu. Tamen ſunt qui de Commiſſâ ſiue de Tau formâ contendunt. nec damno, etſi diſſideo: quia & illi ſi Titulum ſupernè addis, efficere atque imaginari poſſis quaternos iſtos fines. *Crux in lapidibus.*

CAP. XI.

Apud pleraſque gentium Cruces ferè vſitatas. Apud Syros, Iudæos, Ægyptios, Perſas, Afros, Græcos, maximè Romanos. Quando apud eos cœperit? An & apud Germanos?

CRVCES ſatis vidimus: vbi gentium eæ in vſu fuerint, addam. Etſi vno verbo pæne dixerim, vbique gentium receptas. Oriens quidem pleroſque vſurpauit, idque iam olim. De Syris in Eſthêre ſcriptum: *Suſpenſus eſt Aman in patibulo, quod parauerat Mardochæo.* De Iudæis, in Ioſuâ: *qui regem eius (Hai) ſuſpendit in patibulo vſque ad veſperam.* Item in Numeris: *Tolle cunctos Principes populi, & ſuſpende eos contra Solem in patibulis.* Atque in ſacris libris ſępiùs. Ægyptios etiam vſos reperio. vt Thucydes de rege Inaro: προδοσίᾳ ληφθεὶς ἀνεσταυρώθη: *proditione captus, in crucem eſt actus.* Et Iuſtinus, in eâdem Ægypto: *Agathocles occiditur, & mulieres in vltionem Eurydices patibulis ſuffiguntur.* Et Perſas crebrò. Herodotus de Polycrate: Ἀποκτείνας δέ μιν οὐκ ἀξίως ἀπηγήσιος Ὀροίτης ἀνεσταύρωσε: *Interficiens eum (quod indignũ relatu ſit) Orœtes in Cruce ſuffixit.* Ammianus de ſuo æuo: *Ælianus Comes & Tribuni patibulis ſceleſtè ſuffixi:* capti nempe à Perſis. Sed Afros vel omnium creberrimè: qui non in viles modò, ſed illuſtriſſimas perſonas adhibebant. Atque à Senatu Carthaginienſium etiam *Duces,* (Valerij verba ſunt) *bella prauo conſilio gerentes*

Cap. VII. Cap. VIII. Cap. XXV. Lib. I. Lib. XXX. In Thalia. Lib. XIX. Lib. II. cap. VII.

Crux Syris in vſu: Iudæis, Ægyptiis, Perſis, Afris,

rentes, etſi proſpera fortuna ſubſecuta eſſet, Cruci ſuffigebantur:
Græcis. Video & Græcos vſitaſſe. Certè Alexander Macedo Glau- Plutarch. in Alexan.
cum medicum, & Tyrios, & plures crucifixit. Etiam Xan-
tippus Athenienſis Artäyctam Perſam, de quo apud Hero-
Romanis. & quando. dotum in Calliope extremâ leges. Iam Romanis *vetus ve-*
terrimumque (verba Victoris vſurpabo) *ſupplicium patibulo-* In Conſtantino.
rum. Si Liuio fides, ſtatim ſub primis regibus vſurparunt: Lib. I.
& exemplum in Horatio, cui id ſub Tullo parabatur. Etſi
Cicero diſſentire videtur, & horridum illud Carmen ad
Tarquinium Superbum auctorem referre. *I lictor*, inquit, Orat. pro Rabir.
colliga manus. quæ non modò huius libertatis manſuetudinisq; non
ſunt, ſed ne Romuli quidem, aut Numæ, ſed Tarquinij, ſuperbiſ-
ſimi ac crudeliſſimi regis iſta ſunt cruciatus carmina, Caput obnu-
Cicero explicatus. *bito, arbori infelici ſuſpendito.* Quæ tamen aut populariter &
ad cauſſam Cicero dixerit; aut hoc ſentiens, non ab aucto-
re illa Tarquinio fuiſſe, ſed illo maximè digna, & apud eum
crebra. Vtrum horum eſt, video etiam liberâ rep. ſtatim in
vſu cruces. Dionyſius de ſeruis coniuratis: Καὶ αὐτίκα οἱ μὲν ἐξ Lib. V. Antiq.
οἰκιῶν συλληφθέντες, οἱ δὲ ἐκ τῆς ἀγορᾶς ἀχθέντες, ἀνεσκολοπίσθησαν ἅπαν-
τες: *Et ilicò alij quidem è domibus extracti, alij è foris abducti,*
** Infiniti, & vt arena* *omnes in Crucem acti ſunt.* & deinceps * ψαμμακόσιοι, vt cum
Græcis dicam, teſtes. Quid Germani? numquid & illi
An Germani crucifixerint? vſi? diſtrahor. Tacitus videtur dicere: *Proditores & tranſ-* De mor. German.
fugas arboribus ſuſpendunt. ſed fortaſſis ad laqueum & ſuf-
focationem hoc aliquis trahat. Tamen idem *Patibula* etiam
Videri. attribuit: *Quot patibula captiuis, quæ ſcrobes*: quo niſi ſuo & Annal. I.
Romano ſenſu?

CAP. XII.

Apud Romanos vile fuiſſe hoc ſupplicium, & plurimùm ſeruorum. Quas ob cauſſas ij affecti.

PLVRIFARIAM igitur receptæ Cruces, ſed vix tamen
niſi in homines viliores, Romano quidem ritu. Atque
Serui plerumque in Cruce. apud eos ſeruorum ferè hoc ſupplicium, aut plebeiorum
qui iuxta ſeruos. De ſeruis mulier apud Iuuenalem:

Pone Crucem ſeruo. Sat. VI.

Et alia

In Satyrico. Et alia apud Petronium: *Nec Dij ſinant, vt amplexus meos in Crucem mittam.* Ita enim venuſtè ſeruum cruciarium appellat, quâ facie ſermonis Scelus pro ſceleſto. Seruus ipſe apud Plautum comiter fatetur:

In Milite. *Noli minitari, ſcio crucem futuram mihi ſepulcrum,*
Ibi maiores mei ſiti ſunt, pater, auus, proauus, abauus.

Atque adeò peculiare hoc ſeruis, vt nomine *Seruilis ſupplicij* *Seruile ſupplicii quid.*
IV. Hiſt. Crux veniat capienda. In Tacito: *Aſiaticus (enim is libertus) malam potentiam ſeruili ſupplicio expiauit:* Iterùm. II. Hiſt. *Sumptum de eo ſupplicium in ſeruilem modum.* In Auidio Caſſio. In Vulcatio explicatiùs: *Centuriones rapi iuſſit & in crucem tolli, ſeruilique ſupplicio affici.* In Capitolino: In Macrino. *Nam & in crucem milites tulit, & ſeruilibus ſuppliciis ſemper affecit.* Lib. III. Ergo Liuium ſic euolues: *De captiuis, vt quiſque liber, aut ſeruus, ſuæ fortunæ à quoque ſumptum ſupplicium eſt.* *Liuius illuſtratus.* Suæ fortunæ: nempe Crux ſeruo repoſita, gladius aut ſecuris libero. De bello Hiſpan. Ipſum hoc ita in Hirtio legas: *Prehenſi ſerui tres, & vnus è legione vernaculâ. Serui ſunt in crucem ſublati, militi ceruices abſciſæ.* Seruile igitur hoc ſupplicium, ſed non *Cauſſæ grauiores ad crucem.* ob leuem aut cottidianam noxam. Horatius indicat:

Lib. I. Serm. III. *Si quis eum ſeruum, patinam qui tollere iuſſus*
Semeſos piſces, tepidumque ligurrierit ius,
In cruce ſuffigat; Labeone inſanior inter
Sanos dicatur.

Indicat, inquam, graues fuiſſe & in extremo ſupplicio extremas cauſſas. Sed quas illas? ægrè vniuerſas dixerim: quaſdam adnumerabo. Delatura domini. Pertinax apud Capi- *Vt Delatio.*
In Pertin. tolinum, *eos qui calumniis appetiti per ſeruos fuerant, damnatis ſeruis delatoribus, liberauit, in Crucem ſublatis talibus ſeruis.* Sic Herodian. lib. V. Macrino iam Principe, *συκοφάνται ἢ δοῦλοι, ὅσοι δεσπότας κατήγγειλον, ἀνεσκολοπίσθησαν*: *Sycophantæ, aut ſerui, quicumque dominos detulerant, in crucem ſunt acti.* Et in genere, omnis machina *Machinatio.* Lib. V. Sent. Tit. XXI. contra dominicam ſalutem. Paulus: *Si ſerui de domini ſalute conſuluerint* (Mathematicos intellige:) *ſummo ſupplicio, id eſt Cruce, afficiuntur.* Item Fuga, ſed (vt opinor) diuturna, aut *Fuga.* Pro Deiotaro. repetita. Cicero tangit: *Quæ Crux huic fugitiuo poteſt ſatis ſupplicij adferre?* Lib. II. cap. VII. Et Valerius: *Cruce digniſſimi fugitiui.* Quin Ibidem. Scipio, apud eundem, transfugas Romanos, *tamquam patriæ fugiti-*

fugitiuos, Crucibus affixit. Simile ſub Auguſto, in Sexti milite puniendo, qui ferè è fugitiuis: Τὸ μὲν δεδουλευκὸς, ait Dio, τοῖς δεσπόταις πρὸς τιμωρίαν ἀπεδόθη· εἰ δέ του μηδεὶς κύριος εὑρίσκετο, ἀνεσκολοπίζετο: *Seruitia dominis reddita ad pœnam; quorum domini non exſtarent, Cruci ſunt fixa.* Quamquam hîc & alia cauſſa ſuberat, Hoſtilitas in rem Romanam. Hæc & plura in ſeruis: quos mitiores durioréſve domini, grauiùs, mitiùs, pro arbitrio ſunt puniti.

Cap. XIII.

Etiam liberi quidam in Crucem dati, ſed viliores aut nocentiores: vt Latrones, Sicarij, Falſarij, atque alibi & Fures.

Crux indigna liberis. QVID autem in liberis? Rara crux, vt prædixi. Quin remouere prorſus ab hoc genere Lactantius videatur, vbi de Chriſto: *Cur ſi Deus fuit, & mori voluit, non ſaltem aliquo honeſto genere mortis affectus eſt? cur potiſſimùm Cruce? cur infami genere ſupplicij? quod etiam homine libero, quamuis nocente, videatur indignum.* (Lib. IV. Inſt. cap. XXVI.) *Præſertim ciuibus.* Sed frænanda ea aſſertio eſt: & ciue quidem indigna Crux, nec credo vſurpatam in eos niſi præter leges, & per ſæuitiam: viliores liberi, & prouinciales, non ab eâ profectò immunes. Atque hæc crimina in iis cruciaria: *Latrones ſic puniti.* primùm, Latrocinium. Seneca: *Latrocinium fecit aliquis. quid ergo meruit? vt ſuſpendatur.* (Epiſt. VII.) Caue de alio ſuſpendio interpretere. Petronius: *Imperator prouinciæ iuſſit Latrones Crucibus affigi.* (In Satyr.) Apuleius: *Latronem iſtum, miſerorum pignorum meorum peremptorem, Cruci affigatis.* (Lib. III. de Aſin.) Calliſtratus Ic.tus: *Famoſos latrones, in his locis vbi graſſati ſunt, furcâ figendos compluribus placuit.* (Lib. XXXVIII. De pœnis.) Scripſerat ille, *Cruce*, vt pòſt docemus. Cum ipſo Seruatore vtrimque ſecus latrones duo fixi: quos duo Euangeliſtæ diſertè λῃστὰς appellant, Lucas paullò communiùs κακούργους. *Et Sicarij.* Deinde Sicariatus. Paulus: *Inhoneſtiores* (ſicarios) *pœnâ capitis vindicari placuit, humiliores verò in Crucem tollûtur, aut beſtiis ſubiiciuntur.* (Lib. V. Sent. XXIII.) *Et Falſarij.* Tertiò, crimen Falſi. Firmicus: *Facient in crimine falſi comprehenſos in Crucem tolli.* (Lib. VI. Matth. cap. XXVI.) Anne & furtum? ita, ſed non Romę. Lampridius: *Cùm quæreretur à regibus, quid apud eos fures paterentur? illi reſponderunt, Crucem.* (In Alexãd.) *Alibi & Fures.* Et mi-

Et mirum ni è Gallis Germaníſve iſti reges, quorum moribus etiam nunc Fures ad furcam. Alia etiam crimina in hanc pœnam, ne ambigas: ſed ego ſileo, quæ teſtibus aut tabulis non conſigno.

CAP. XIV.

Quæ cauſſa falsò aſſignata in Cruce Chriſti? videri Innouationem & Seditionem eſſe.

CVM hæc vidimus, piè non curiosè quæro, in Seruatore noſtro quis prætextus (nam cauſſa nunquam fuit) ad Crucem? Blaſphemiam aliquis dixerit, ex vocibus aut iudiciis Iudæorum. Atque ipſi ſanè ita apud Pontificem accuſant, & huic noxæ teſtes quæruntur, & ipſe denique Pontifex eius damnat. Attamen, ſi legem ſpectes, hi tales lapidibus, non cruce puniti. An non veriùs ac ſimpliciùs, totum illud iudicium, etſi iudicij diſſimile, Romanis moribus legibusque directum? Mihi videatur. & reſpondeam damnatum innoxium noſtrum agnum, quaſi Seditionis nomine & Regni affectati. Certè Romanâ lege, *auctores ſeditionis aut tumultus, pro qualitatis dignitate, aut in Crucem tolluntur, aut beſtiis obiiciuntur.* Quòd autem ſic etiam apud Pilatum accuſatus, Lucas clarè: *Hunc inuenimus ſubuertentē gentem noſtram, & prohibentem tributa dare Cæſari, & dicentem ſe Chriſtum regem eſſe.* Credidit, nec credidit Pilatus: & Titulum tamen cauſſamque mortis inſcripſit, *Rex Iudæorum.* Ex Iudæorum quidem libris ſi rem decidimus, intricamur: nec vſquam traditum clarè quæ noxa ad crucem, niſi quod Philo prodidit de Homicidis. *contra quos* ait *Legiſlatorē mille mortis genera, ſi potuiſſet, dilecturum fuiſſe: cùm non potuit,* τιμωρίαν ἄλλην προσδιατάττεται, κελεύων τοὺς ἀνελόντας ἀνασκολοπίζεσθαι: *pœnam aliam adiūxit, iubens homicidas & ſicarios crucifigi.* Sed tuâ pace Philo, vbi hoc Legiſlator? nuſquam expreſsè. hoc tantùm vniuersè: *Quando peccauerit homo, quod morte plectendum eſt,* & *adiudicatus morti appenſus fuerit in patibulo.* Peccatum non deſignat: & fruſtrà credo fore, ſi quis nunc quærat. Tamen Theologi vidento. ego* ἐν ἀλλοτρίῳ χορῷ πόδα οὐ τίθημι.

Chriſtus non ob blaſphemiam fixus.

Potiùs ob regni cupidinem.

Lib. v. Paulus, Tit. xxII.

Cap. xxIII

Apud Iudæos noxa cruciaria hodie incerta.

Libello de ſpeciali lege.

Deuteron. cap. xxI.

* *In alieno choro pedem non pono.*

CAP. XV.

Crux interdum liberè & laxè vagata: in hoſtes, in ſeditioſos, in Chriſtianos, in fæminas denique.

IN hos ergo tales ex ordine & more Crux vſurpata. Interdum regnum ei largius, & præſertim apud reges. Nam hi ex libidine ſæpe ita ſæuierunt in hoſtes aut rebelles, & vno tempore multos. Alexander Magnus, vt ſuprà tetigi, *duo millia Tyriorum*, captâ eorum vrbe, *crucifixit*. Alius Minutus Alexander in Iudæâ, ἑστιώμενος ἐν ἀπόπτῳ μετὰ τῶν παλλακίδων, ἀνασταυρῶσαι προσέταξεν Ἰουδαίων ὡς ω': *Conuiuans in publico & conſpicuo loco vnà cum pellicibus, iuſsit in Crucem dari Iudæorum ad octingentos.* Quinctilius etiam Varus, ex eâdem gente, ob neſcio quem motum, ἀνεσταύρωσε περὶ διςχιλίους: *crucifixit circiter bis mille.* At Titus in obſidione illâ exitiali, *quingenos, & plures, in ſingulos dies Crucibus affixit*: καὶ διὰ τὸ πλῆθος χώρα τε ἐνελείπετο τοῖς Σταυροῖς, καὶ Σταυροὶ τοῖς σώμασι: *& ob multitudinem terra Crucibus, & Cruces corporibus deerant.* Nota, nota: hiſtoricâ hæc fide, non attollendi cauſsâ dicuntur, & ab eo qui vidit, Ioſepho. Nec ego miſeror. abi peſſima natio, hæc præmia Crucis illius, quam impiè poſuiſti noſtro & tuo (voluiſſes modò) Seruatori. Iam & Auguſtus confecto bello Siculo, * *ſex millia ſeruorum, quorum domini non exſtabant, in Crucem egit.* Et in Chriſtianos Tyranni crebrò adhibuerunt, atque eos numeroſos. Lego vno tempore, vno loco, *ad millia decem ſic interfecta.* Atqui nec à fæmineo ſexu abſtinuerunt hoc ſupplicium. & Tiberius, ob adulteratam in templo Iſidis Paulinam, τούς τε ἱερέας ἀνεσταύρωσε, καὶ τὴν Ἴδην ὀλέθρου γενομένην αἰτίαν: *& Sacerdotes crucifixit, & Idam* (ancillæ nomen) *quæ corruptelæ cauſſa fuerat.* E Chriſtianis etiam Beata Eulalia, *vngulas flammasque perpeſſa, demum cruci affixa martyrij coronam accepit.* Sed & in Corſicâ, *ſancta Iulia virgo crucis ſupplicio coronata eſt.* Plura in Martyrum hiſtoriis exempla reperies, &, ſi voles, addes.

Hoſtes ſic puniti.

Aut turbidi.

Grandi numero ſæpe.

* Eſt idem quod ex Dione ſuprà ca. XII.

Interdum & fæminæ.

Ioſeph. lib. XIII. Antiq. cap. XXII.

Ioſeph. lib. II. Excid. cap. III.

Idem lib. V. Excid. cap. XXVIII.

Oroſius lib. VI. cap. XVIII.

Martyrol. XXII. Iun.

Ioſeph. XVIII. Antiq. ca. VI.

Martyrol. XII.

Idē XXII. Maij.

IVSTI

IVSTI LIPSI DE CRVCE LIBER II.

CAP. I.

Tranſitio ad Modum figendi. præmiſſum de atrocitate huius ſupplicij, quod Summum & Extremum dictum.

DIXI ſatis *Quid* Crux & *Cuiuſmodi* fuerit, *Vbi* & *Quare* vſurpata: pergo longiùs, & vniuerſum hoc pœnale ędificium exſtruo, per ſingula etiam membra. Dicam enim *Quomodo* vſurpata: & non animis ſolùm, ſed pænè oculis ſubiiciam ſæuitiam & fœditatem eius ſupplicij: quæ ſanè magna. Nec temerè Cicero *crudeliſſimum teterrimumque* appellauit: & poëta Nonnus *Crudele hoc ſupplicium.* *v. In Verr.* *In cap. xix. Ioan.*

— ἐλέγχιστόν τινα πότμον: *damnatiſſimum quoddam fatum.*

Quin etiam Iuriſconſulti, nomine *Summi ſupplicij*, velut ob eminentiam, deſignant iſtud. Paulus: *Summo ſupplicio, id eſt Cruce, afficiuntur.* Ab eâdem mente *Supremum* Vlpianus dixit: *Si liberi ſint, ad beſtias dari; ſi ſerui, ſupremo ſupplicio affici.* cùm enim aliud non exprimat, & de ſeruis reſponſum ſit, iure capio Crucem. cur non ignem? inquies: cùm Tertullianus etiam dixerit & cenſuerit, *Summam ignium pœnam*? Quia ex Iuriſcònſultorum mente, Crux etiam ſupra ignem. Certè Paulus hoc ordine *Summi ſupplicij tria genera* recèſet: *Crucem, Cremationem, Decollationem.* Præit, vt vides, Crux: & cum cauſsâ, ſi infamiam, magnitudinem, & præſertim diuturnitatem pœnarum in eâ attendis. Dicta hæc ipſa *Extrema pœna.* vt in Apuleio de ſeruo cruciando: *Certum extremæ pœnæ, quæ more maiorum in eum competit.* An & ſic Arnobius? *Crucem mereatur extremam, quiſquis vobis dominis ſupplicarit.* Quod tamen etiam laxè, & de peſte aut pernicie capit interpretari.

Summum dictum, *Lib. v. Sẽt. tit. xxi. L. viii.* *Supremum* *Ad leg. Corn. Falſi* *Ad Martyr. cap. iv.* *Lib. v. Sẽt. tit. xvii.* *Et Extremum.* *Lib. x.* *Lib. i. Aduer. Gent.*

CAP. II.

Duplex figendi Modus, Vulgaris & Rarus. In illo Flagellatio ex more ſemper anteiuit.

Diuiſio dicendorum. SED ſæui fœdique quid in hoc ſupplicio fuerit, Modus ipſe dixerit: quem graphicè imus repræſentatum. Vt magis poſſit; partimur, & duplicem eum facimus: *Vulgarem, & Rarum.* Illum, *qui receptiſſimus, & quo vulgò vtebantur.* Alterum, *qui magis ſepoſitus, nec in tam aſſiduo vſu.* De illo priùs: & quidem ordine hæc tria, *Quæ ante fixionem, Quæ in ipſa, Quæ poſt ipſam.* *Flagellati ante crucem.* Ante fixionem duo adhibita: *Fagellatio & Deductio.* Flagellatio quidem ſollennis anteceſſor, & rarò in crucem dati niſi ſic purpurati. Apud Liuium, de ſeruis coniuratis: *Multi occiſi, multi capti, alij verberati crucibus affixi.* Lib. XXXIV. Verberatos ecce prædixit. Alexander apud Curtium, moris huius retinens, eos qui Petram obſtinatè defenderant, Lib. VIII. *omnes verberibus affectos, ſub ipſis radicibus Petræ crucibus iuſſit affigi.* Iudæi, apud Ioſephum, μαστιγούμενοι καὶ προβασανιζόμενοι τοῦ θανάτου πᾶσαν αἰκίαν, ἀνεσταυροῦντο: Lib. V. Excid. cap. XXXII. *flagellati & præcruciati ante mortem omne genus verberibus, crucifigebantur.* Philo item narrans Iudæos Alexandriæ in crucem actos à Flacco: hoc addit: Contra Flaccum. μετὰ τὸ αἰκισθῆναι ἐν τῷ θεάτρῳ: *poſtquam flagellati fuiſſent in theatro.* Sollennis ergo mos, imò lex: & horrendum Carmen diſertè canebat: *Verbera intra aut extra pomœrium:* & tum denique ſuccinebat: *Arbori infelici ſuſpendito.* Apud Liu. lib. I.

CAP. III.

Flagellorum & Virgarum diſcrimen. Illa magis vilia, & magis acerba eſſe. ſolere & talis aſperari.

VERBERATI igitur: ſed vtrùm virgis an flagellis? Illas interdum reperio: ſed magis crebrò iſta. Diſcrimen enim eſſe ſcimus: & quia Virgæ honeſtiores, inhoneſtiſſimo huic ſupplicio adtributa Flagra. *Flagra cruciariis propria. Cicero explicatus.* Cicero illudens & cauillans in Labienum: *Porcia lex virgas ab omnium ciuium corpore amouit; hic miſericors flagella retulit.* Orat. pro Rabir. perd. Quomodo retulit? vnà cum Cruce ſcilicet, cui hæc adiuncta. Dixi inho-

inhoneſtiora fuiſſe. Ita, & propriè ſeruorum. Sic apud Terentium,

Adelph. ——— *ad necem operiere loris.* SAN. *loris liber?* Terentius.

Exclamat & indignatur, vt in re inſolenti, quòd libero intentata lora. Et ab hac notâ ſeruilem conditionem Menæ Horatius approbat:

Epod. Od. IV. *Sectus flagellis hic triumuiralibus* Horatius.
Præconis ad faſtidium.

Vide Fabr. in Semeſtr. Significat à Triumuiris (Imperium iis & animaduerſio in ſeruos) cæſum flagris publicè, idque ſub præconis voce. L. x. de pœnis. Itaque & Macer Ic. tus ſcripſit, *Ex quibus cauſſis liber fuſtibus, ex his ſeruum flagellis cædi.* Macer. Et Impp. reſcripſerunt, mulierem habere iuſtas diuortij cauſſas, L. VIII. C. I. de repud. *ſi ſe verberibus, quæ ingenuo aliena ſunt, afficientem maritum probauerit.* Flagra hæc ipſa intelligunt: quæ cùm ab ingenuis, tum à fæminis remota maximè. Atque vt nouum & ſeuerum in Licinio Pontifice narrat Valerius: Lib. I. Cap. I. quòd ei virgo Veſtalis, *quia parum diligens ignis æterni cuſtos fuiſſet, digna viſa eſt, quæ flagro admoneretur.* Valerius. L. VIII. de pœnis. Flagella autem hæc aſpera: adeò vt Vlpianus ſcripſerit, *miniſtrorum immanitate, multos ſub eiuſmodi flagellis interiiſſe.* Et Lib. I. Ser. III. *Horribile* etiam id Horatio viſum agnominare:

Nec ſcuticâ dignum, horribili ſectere flagello. Flagella taxillata.

Quod magis fuit, cùm ea inſitis talis aut oſſiculis exaſperabant. Factum Romæ, atque alibi. Euſtathius dici notat ἀςραγαλωτὰς μάςιγας, τὰς ἐξ ἀςραγάλων ἐνειρμένων κατεσκευασμένας: *Flagra talaria, quæ talis inſertis inuolutisque confecta ſunt.* Apud Lib. IV. Athenæum quiſpiam recenſet, in Parthis optimates quoque & Satrapas, vbi viſum Regi, ῥάβδοις καὶ ἱμᾶσιν ἀςραγαλωτοῖς μαςιγοῦσθαι: Lib. VIII. *virgis & loris taxillatis cædi.* Apuleius agnoſcit, & *Flagrum pecuinis oſſibus cathenatum*, ſcitè appellat. Ille idem Gallis Matriſdeûm adſcribit. *Arrepto flagro*, inquit, *quod ſemiuiris illis proprium geſtamen eſt, contortis tæniis lanoſi velleris prolixè fimbriatum, & multiiugis talis ouium teſſellatum, indidem ſeſe multinódis commulcant ictibus.* Galli vſtitata. Et Plutarchus appoſitè ad Contra Colot. eius lucem: Οὐδὲ μάςιγος ἐλευθέρας δεόμενος, ἀλλὰ τῆς ἀςραγαλωτῆς ἐκείνης, ᾗ τοὺς Γάλλους πλημμελοῦντας ἐν τοῖς μητρῴοις κολάζουσι: *Nec qui liberæ verberationis egeat, ſed flagri illius taxillati, quo Gallos*

 aliquid

aliquid offendentes in ſacris Magnæ matris coërcent. An tale aliquod flagri genus, quo Chriſtus etiam noſter cæſus? imaginantur aut pingunt per pietatem nonnulli. Haud ego aſſero: ſed illud Euangeliſtæ, cæſum eſſe & quidem flagro. Sic enim Matthæus, corruptâ ipsâ Latinâ voce: Τὸν δὲ Ἰησοῦν φραγελλώσας παρέδωκεν ἵνα σταυρωθῇ. *Jeſum cùm flagellaſſet, tradidit vt crucifigeretur.* Ἱμάσθλην, id eſt, loreum flagellum appellat Nonnus.

Chriſtus flagris cæſus.

Ῥιγεδανῇ Χριστοῖο δέμας φοίνιξεν ἱμάσθλῃ,

Horribili Chriſti corpus rubefecit habenâ.

Cap. IV.

Solitos ad Columnam verberari; atque aliàs per viam. De ipsâ columnâ cui ſacrum corpus annexum.

Sed obſerua. Flagellatio hæc non vno ſemper loco, aut tempore. Aut enim ante Deductionem vtebantur, idque domi, aut in prætorio: quod in Seruatore factum. aut in ipsâ Deductione, per viam: quod moris fuit magis priſci. Si domi, ligabant interdum ad columnam. Firmamenta huic ritui non tam multa reperio, reperio tamen. Artemidorus vbi ſomnium narrat ſerui, qui viſus ſibi ab hero δέρεσθαι, *deglubi & turpiter tangi: addit*, προσδεθεὶς κίονι πολλὰς ἔλαβε πληγάς: *columnæ alligatus, multas accepit plagas.* Phileas etiam apud Euſebium, ſæuitiam in Martyres, qui Alexandriæ, referens: Ἄλλοι δὲ πρὸς τοῖς κίοσιν ἀντιπρόσωποι ἐδεῦντο: *Alij autem ad columnas vultibus inter ſe aduerſis, aſtringebantur:* & de flagellatione ſentit. An & Plautum ſic accipimus?

Plurifariã flagellatio.

Ad columnam domi.

Lib. VIII. Eccl Hiſt. cap X.

Plauto lux

—— Abducite hunc

Intrò, atque adſtringite ad columnam fortiter. Bacchid.

Ego quidem: etſi ad cuſtodiam modò id factum aliquis pertendat. Sed de Seruatore noſtro non ambiguum, piis quidem & in religione antiquis. Etſi enim Euangelia non exprimunt: tamen ſecuti Patres. Prudentius clarè, & cum ritus quoque priſci atteſtatione:

Id Chriſto factum.

Nouo Teſtam.

—— atque columnæ

Annexus, tergum dedit, vt ſeruile, flagellis.

Hiero-

Epiſt. ad Euſtoch. Hieronymus & ſuo æuo exſtitiſſe commemorat. *Oſtendebatur illi* (Paulę) *Columna, Eccleſiæ porticum ſuſtinens infecta cruore Domini, ad quam vinctus dicitur & flagellatus.* Indicat fulcri vſum habuiſſe in ædificio templi: quod ipſum Prudentius. Ibidem. *Perſtat adhuc, templúmque gerit veneranda columna.* Etſi Bedæ tempore in medio Eccleſiæ fuiſſe, ipſe teſtatur. De Glor. Mart. cap. II. Meminit huius quoque, & miraculorum per eam, Gregorius Turonenſis. Hæc domi flagellatio, & ad columnam: quid per viam? ſub furcâ id factum, de quâ in *loco dicam. *Lib. III. cap. III.

CAP. V.

Crucem ſuam tuliſſe, aut totam, aut eius partem.

AD Deductionem venio, in quâ duo obſeruo, *Ludibrium & Tormentum.* Ludibrium, quòd ipſi coacti crucem ſuam ferre, aut certè eius partem: vt verè eſſet illud quod dicitur, *Suo ſibi iumento malum.* Artemidorus: *Crucem humeris ferebant.* Lib. II. cap. XLI. βαςάζειν τινὰ τῶν δαιμόνων χθονίων κακούργῳ μὲν ἰδόντι Σταυρὸν αὐτῷ σημαίνει, ἔοικε γὰρ καὶ ὁ Σταυρὸς θανάτῳ, καὶ ὁ μέλλων προσηλοῦσθαι πρότερον αὐτὸν βαςάζει: *ferre aliquem Deorum inferorum, malefico quidem id videnti Crucem prodicit. Similis enim & Crux morti; & qui in eâ figendus, priùs eam portat.* Plutarchus etiam comparatione quadam vtili: De tardâ Dei vindictâ. Καὶ τῷ μὲν σώματι τῶν κολαζομένων ἕκαςος τῶν κακούργων ἐκφέρει τὸν αὐτοῦ Σταυρὸν, ἡ δὲ κακία τῶν κολαςηρίων ἐφ᾽ ἑαυτὴν ἕκαςον ἐξ αὐτῆς τεκταίνεται: *Et corpore quidem quiſque maleficorum ſuam effert Crucem: malitia autem cruciatuum quemque in ſe, ex ſe, gignit & fabricatur.* Benè hoc & ſalubriter Plutarchus: Petron. Satyr. *& Dij Deæque* (ait quiſpiam) *quàm malè eſt extra legem viuentibus? quidquid meruerunt, ſemper exſpectant.* Sed repono me in gradum. Ferebant Crucem. atque ita Iohannes de Chriſto: *Fecit Chriſtus.* Cap. XIX. βαςάζων τὸν Σταυρὸν αὐτοῦ ἐξῆλθεν εἰς τὸ λεγόμενον κρανίου τόπον: *baiulans ſuam Crucem, exiuit in locum Caluariæ dictum.* Quâ ſolâ cauſsâ vetera quædam vaticinia aut imagines Doctores noſtri ad Chriſtum trahunt. Vt Tertullianus hoc de Iſaaco. *Vates teſtati ſunt.* Aduerſus Iudæos cap. X. *Cùm,* inquit, *Iſaac à patre hoſtia duceretur, & lignum ipſe ſibi portaret, Chriſti exitum iam tunc denotabat, in victimam conceſſi à Patre, lignum paſſionis ſuæ baiulantis.* Idem

Idem in Iſaiæ verbis iſtis: *Cuius imperium factum eſt ſuper humerum ipſius. Solus*, ait, *nouus rex Chriſtus nouæ gloriæ poteſtatem & ſublimitatem in humero extulit, id eſt, Crucem.* Et Chriſtus ſanè totam plenamque Crucem tulit. Ni feciſſet, quid opus erat auxiliatore & ſubſequâ, qui adleuaſſet? Alij non ſemper totam: atque ideò cautè prædixi, *eius partem.* Nam qui ritu veteri ſub furcâ cæſi ducebantur, * ferebant non niſi iſtam. Imò interdum nec iſtam. Nam fac in arbore aliquâ crucifixum, & ſubitò: profectò, præter ſe, nihil tulit.

Eod. lib.

* Vide lib. III.

CAP. VI.

Deductos cum vexatione, Stimulis etiam actos.

Tracti per viam.

TORMENTVM etiam in Deductione: quia trahere, diuexare, & ſtimulis agere per viam ſolent. Dionyſius de tractione: δι' ἀγορᾶς αὐτὸν μαστιγούμενον ἐκέλευεν ἕλκειν: *per forum flagellatum ipſum, trahere eos iuſſit.* Nec dubium eſt quin impulerint, deiecerint, erexerint, per ſæuitiam aut per luſum. De Stimulis etiam non temerè addo. & apertè auctor adfirmandi Plautus, apud quem conſeruo ſeruus:

Lib. VII. Antiq.

Et ſtimulis foſſi.

Plautus illuſtratus.

O carnificinum cribrum! quod credo fore,
Ita te forabunt patibulatum per vias
Stimulis, ſi noſter huc reuenerit ſenex. Moſtellar.

Habes *Stimulos*, idque in *Patibulato* (ad furcam aſtricto) & *per vias*. Iungit iterùm cum Cruce Plautus: *Stimulos, Laminas, Cruceſque.* & aliàs meminit, ſed ſic vt ſeorſim eos fuiſſe ſciamus inter cruciatus & tormenta, ſicut laminas & ignes. Pictores noſtri aſſerculum ſiue tabellam imæ Chriſti veſti appingunt, quæ clauis præacutis conſita pedibus calcibuſque euntis illidatur: nunquid alludentes ad hanc Deſtimulationem? quæ tamen ſtimulis aliis facta. quos oblongos, ſiue è ſudibus præacutis, ſiue & ferro præfixis, geſtabant ad hunc vſum. Sumptum à bubus, quos ſic exſtimulabant. Sed niſi ea Pictorum mens, ipſi vidento: ego inuentiunculæ eius nec auctor ſim, nec interpres.

Aſinar.

CAP.

CAP. VII.

In ipſâ Fixione nudi in crucem dati: an altam, an in terrâ depoſitam? id quæſitum, & vtrumque firmatum.

ISTA ſunt quæ Ante fixionem: nunc quæ in ipſâ. Tria conſidero, *Suſpenſionem, Aſtrictionem, Inſcriptionem.* Suſpenſio præit, & ante illam etiam Nudatio. quia ſimul ad crucem ventum, ſpoliabant hominem, & ſic in eam dabāt. *Nudati ante fixionem.* Receptum hoc in pleriſque ſuppliciis, velut Naturæ ſuaſu, quæ nudos induxit in vitam, & educit: etiam in iſto. Artemidorus: Σταυροῦσθαι ἀγαθὸν τῷ πένητι· καὶ γὰρ ὑψηλὸς ὁ σταυρωθείς. τοὺς δὲ πλουσίους βλάπτει· γυμνοὶ γὰρ σταυροῦνται. *Lib. II. cap. LVIII.* *Crucifigi bonum pauperi, quia ſublimis eſt crucifixus: noxium verò diuiti, quia nudi crucifiguntur.* In Chriſto factum hoc obſerues: quem Euangeliſtæ narrant recepiſſe veſtes poſt flagellationem iam deducendum, & poſuiſſe iterùm deductum. Ergo nudi dati in crucem: ſed Iacentem an Erectam? *Quomodo in crucem dati.* Pro Iacente, Acta vetera de Pionio Martyre: *Pro Iacēte.* *Vltrò ſe veſtimentis ſpoliauit, & in cælum ſuſpiciens ac Deo gratias agens, ſuper lignum ſeipſum extendit, militique tradidit vt clauis configeretur.* Satis clarè: atque etiam mox clariùs: *Eum igitur ligno fixum erexerunt.* Dici nihil poteſt, quin fixio hîc in Iacente facta fuerit, quæ pôſt erecta. Et ratio etiam aliqua ſuadet. Nónne enim facilius hominem ſic affigere ſupinum & inclinatum: quàm tollere in erectam, pendulum, labentem, fortaſſe & reluctantem? videtur. Tamen quòd in Erectam, pluſculi adfirmant teſtes. *Pro Sublatā.* Cicero in Gauianâ cruce deſcribendâ: *Lib. V. in Verr.* *Quid attinuit, cùm Mamertini more atque inſtituto ſuo Crucem fixiſſent poſt vrbem in viâ Pompeiâ, te iubere figere in viâ quæ Rhegium ſpectat?* Et verba & rei ſeriem vide, obſeruabis fixam primò crucem, & tum in eam datum. Idem in Rabirianâ: *In campo Martio Crucem ad ciuium ſupplicium defigi & conſtitui iubes.* Stabat iam defixa, dum cauſſa diceretur, & cruciarium ſuum exſpectabat. Galba apud Suetonium, *Cap. IX.* cuidam inclamanti ſe ciuem Romanum eſſe, *multo præter ceteras altiorem & dealbatam crucem ſtatui iuſſit.* Statui, ac tum ſuffigi. Ioſephus de Iudæo quodam à Roma-

à Romanis capto: Ὁ δὲ Βάσσος προσέταξε καταπηγνύναι σταυρὸν, ὡς αὐτίκα κρεμῶν τὸν Ἐλεάζαρον: *Baſſus iuſſit defigi crucem, tamquam ſtatim ſuſpenſurus in eâ Eleazarum.* Denique & libro Eſdræ: *Vt omnis homo qui hanc mutauerit iuſsionem, tollatur lignum de domo ipſius, & erigatur, & configatur in eo.* Vtrobique hîc erectio, fixionem antecedit. Nec video quid obduci poſſit: niſi iſtud infirmum, ſtatutas quidem, ſed ſub aduentum noxij iterùm demiſſas. Quis credat? aut irriti laboris quæ ratio? Abnuunt etiam phraſes veteres, quas ſcimus plerumque adſimiles rebus ipſis. Dicunt enim *Tollere*, *Agere*, *Ferre*, *Dare* in crucem: quæ omnia elationis ſunt aut molitionis. Item in ipſis ſontibus, *Excurrere*, *Aſcendere*, *Salire*, in crucem: quæ mihi videntur conuenire non niſi in Erectam. Priorum phraſium exempla nota atque obuia ſunt: poſteriorum cape iſta. Plautus: Lib. VII. Excid. Iud. In cap. VI. Reiectio cauilli. Iterùm pro Sublatâ.

> *Ego dabo ei talentum primus, qui in crucem excucurrerit.* Moſtellar.

Prudentius:

> *Crux illa noſtra eſt, nos patibulum aſcendimus.* Περὶ στεφ. Hym. X.

Plautus:

> *Credo hercle aduenìens nomen mutabit mihi,* Bacchid.
> *Facietque extemplo Cruciſalum me ex Chryſalo.*

Sed & teſtes, in ipsâ narratione, pro Erectâ. Nonnus de Christo:

> Εἰς δόρυ τετράπλευρον, ἐπήορον, ὑψόθι γαίης
> Ὄρθιον ἐξετάνυσσαν.
> *In lignum quadratum, altum, terraque leuatum,*
> *Rectum extenderunt.*

De eodem Nazianzenus: In Chriſto patiente.

> Αὐτίχ' ὅμιλος οὐρανοδρόμῳ ξύλῳ
> Ἀνῆγον, ἦγον, ἦγον εἰς ἄκρον τέλος.
> Ὀρθὸς δ' ἐς ὀρθὸν αἰθέρ' ἐστηρίζετο,
> Ἐσκλῶνα δ' ἐγκάρσιον ἄλλον εὐθέως
> Ἔτειναν, ἐξέτειναν, ἥλωσαν χέρας,
> Πόδας δὲ καθήλωσαν ἐν πηκτῷ ξύλῳ.

Quorum verſuum (haud ſanè * optimorum, liberè dicam) hæc ſententia. *Ductum & ſubductum in altam crucem, ad vltimum eius finē: rectum ita ſtatutum: tum ad tranſuerſarium lignum manus*

* Neque ſcio an ipſa Tragœdia germana Nazianzeni.

manus fixas: denique & pedes ad ſtipitem defixum. Atque iſta pro Erectâ. In diſſenſu autem nos quid definimus? conſenſum, quâ licet. Dicimus vtrumque vſurpatum, ſępiùs tamen hoc poſtremum. Imò interim neceſſariò hoc poſtremum. Pone enim in arbore ſuſpenſos (ſæpe factum:) quomodo demitti ea potuit, & tunc attolli?

CAP. VIII.

Clauis figi ſolitos, interdum funibus adſtringi.

De vitâ beatâ cap. XIX. SED iam ad *Adſtrictionem* tranſeo; quæ facta clauis, aut funibus, ſed plurimùm illis. Seneca: *Cùm refigere ſe crucibus conentur, in quas vnuſquiſque veſtrûm clauos ſuos ipſe adigit.* Ita legendum, *non adiicit.* Illi, inquit, conantur tollere ſe de crucibus ſuis: vos contrà, magis magiſque affigitis, & clauos adigitis in lignum. Meminit & Apollo in oraculo quopiam, de Chriſto:

Apud Lactant. lib. IV cap. XIII.

> Γόμφοις καὶ σκολόπεσσι πικρὴν ἀνέτλησε τελευτήν:
>
> *Clauisque & palis mortem exantlauit acerbam.*

Loquitur de hac eius morte per crucem: quia, vt Artemidorus ait, ἐκ ξύλων καὶ ἥλων γέγονεν ὁ σταυρός: *ex lignis & clauis crux confecta eſt.* Atque ab hac re Græcis paſſim ipſa crucifixio, προσήλωσις dicta: quaſi dicas *claui-fixio.* Vlpianus in Demoſthenem explicat προσηλῶσθαι, σταυρῷ προσηλῶσθαι τοῖς ἥλοις: *cruci affigi clauis.* Et fortaſſe eò reſpexit Strabo cùm de Cantabris dixit, ἀναπεπηγότας ἐπὶ τῶν σταυρῶν: *ſuffixos in crucibus.* Ergo de clauis certum: an etiam de funibus? ſunt exempla. Auſonius ſuum Cupidinem facit

Lib. II. cap. LVIII.

Contra Mid.

Lib. III.

> *Deuinctum poſt terga manus, ſubſtrictaque plantis*
>
> *Vincula mærentem.*

Lib. II. cap LVIII. Et communi *ligandi* verbo in hac re Artemidorus vſus: Σταυροῦσθαι, inquit, αἰδεὶ ἀγάμῳ γάμον προσαγορεύει, διὰ τὴν δέσιν: *Crucifigi* (in ſomnis) *viro cælibi nuptias deſignat, ob ligaturam,* quia ſcilicet ligno iungitur copulaturque. Plinius inter magicas ineptias *Spartum* etiam *è cruce* numerat, id eſt ſparteos funes. Quid, quod D. Andreas ita alligatus? Abdias

Lib. XXVIII cap. IV.

apertè, & cauſſam etiam addit: *Proconſul mandat quæſtionariis, vt ligatis manibus & pedibus, non clauis affixus ſuſpenderetur, quo diutino cruciatu deficeret.* Ex quo colligas, habitum id magis ſæuum. Etſi prima fortaſſe crucifixio talis, & in Liuij priſcis ſcriptiſque libris legas: *Arbori infelici reſte ſuſpendito.* Reſte, inquam, additur: quod tamen heri ac nuper eiecerunt correctores. An ſic quoque appenſi latrones bini, qui cum Chriſto? Vulgò ſentiunt, nec aliter pingunt. Tamen falsò: quia illi, pariter ac Chriſtus, fixi. Nonnus adfirmat.

Lib. III. Hiſt. Apo.

Lib. I.

In cap. XIX.

κέντροις ἀντιτύποισιν ἐπὶ Σταυροῖο δέθεντες:

In cruce præduris clauis fixi, inque ligati.

Et magis Hiſtoria priſca, quæ eſt de Helenâ Conſtantini matre. Ea cùm veniſſet ſacra & Deo-homini trita loca, cupidine viſendi & venerandi: de Cruce etiam inquiſiuit noſtrâ illâ ſeruatrice. Fodit, tres reperit, ac diu animi anceps hæſit quæ eſſet illa vera. Nam Titulus, quo dignoſci potuiſſet, iacebat ſeorſim diſiectus. Denique miraculo & diuinâ indicatione opus fuit ad diſcernendum. Quid autem opus, ſi veſtigia clauorum modò in vnâ? Argumentum certum eſt, & res ipſa per Eccleſiæ annales.

CAP. IX.

In quibus partibus claui, & quo numero?

CLAVOS autem iſtos, ſiue & funes, in manibus pedibuſque fuiſſe ſatis notum. Nonnus de Seruatore:

Καὶ ποσὶ καὶ παλάμῃσι σιδήρεα κέντρα κομίζων:

Et pedibus manibuſque ferens ſtimulos ferratos.

Tertullianus de veteri vaticinio: *Foderunt manus meas & pedes*] *quæ propria atrocitas crucis.* Habent *atrocia* libri ſcripti: & rectè, vt amat loqui ille ſcriptor. At quàm multi iſti claui? enimuerò diſſident. Alij de ternis aſſerunt. vt Nonnus, qui Chriſtum depingit.

Aduerſ. Iud. cap. X.

Quot claui in pedibus.

Tres quidam volūt.

——ἀμείβητῳ δὲ πεπαρμένον ἄζυγι γόμφῳ

Διπλόον ἦτορ ἔχοντα μιῇ τετορημένον ὁρμῇ,

Ποσσὶν ὁμοπλεκέεσσιν.

Facit

Facit ecce *magno & ſingulari clauo pedis vtriuſque pectuſculum*
In Chriſto patiente. *transfigi, & quidem vno ictu, idque pedibus mutuò impoſitis & complicatis.* Clarum eſt. etiam illud Nazianzeni, pariter de Chriſto, vbi cruce deponitur:

Γυμνὸν τριςήλῳ κείμενον ξύλῳ λαβών:

Nudum triclaui repoſitum ligno auferens.

At contrà tamen tendunt alij, & ſuggerunt quaternos. De *Alij quatuor.*
De Glor. cap. VI. eodem Chriſto Gregorius Turonus: *Clauorum dominicorum, quòd quatuor fuerint, hæc eſt ratio. Duo ſunt affixi in palmis, &*
Serm. De Paſſione. *duo in plantis.* Sed & Cyprianus melior maiorque auctor παθητικῶς ſcripſit: *Clauis ſacros pedes terebrantibus.* Quid, quòd Plautus ex more aſtruere videtur tantos?

Moſtellar. *Ego dabo ei talentum, primus qui in crucem excucurrerit,*
Sed eâ lege, vt offigantur bis pedes, bis brachia.

Niſi is tamen ibi ſenſus. vt ſeruulus ad maiorem quaſi cau- *In Plauto noua explicatio*
tionem, & ne facilè ſe refrigeret, voluerit non ſemel manus pedesque, ſed bis ſingula figi: ita inquam, vt bini in quoque membro eſſent claui. Quàm magis conſidero, tam ma- *Pluribus clauis fixi.*
gis hoc dictum cenſeo: cùm id quoque reperiam, per ſæui-
IV. Nouēb. tiam multiplicatos alibi clauos. Vt in Martyrologio: *Agricolam plurimis clauis Cruci affigentes interemerunt.* Interdum &
XXIX. Nouemb. in aliâ corporis parte. In eodem Martyrologio: *Philomenus manibus pedibusque, ac demum capite clauis confixo, martyrium conſummauit.* Itaque ſi morem veterem vides; arbitrarium fuit de clauis, & fruſtra litigemus. Si de Chriſto tamen quæritur; neſcio, & in diſſenſu Patrum non eſt meum arbitrari.

CAP. X.

Ordo & Modus affigendi. An lignum aliquod in Cruce ſuppedaneum?

ADDO magis de figendi modo. Is fuit, vt manus pri- *Manus primùm fixæ.*
mùm figerent, inde pedes. Graphicè Lucianus in Dialogo vbi Prometheus figitur. Vulcanus Mercurio loquitur: Ἀνεςαυρώσθω, ἐκπετασθεὶς τὼ χεῖρε ἀπὸ τουτὶ πρὸς τὸ ἐναντίον: *Crucifigatur, extenſus ambas manus ab hac parte in aduerſam.* Atque initium à manu dextrâ. Ibidem Mercurius Prometheo:

Ἀλλ' ὄρεγε τὴν δεξιάν. σὺ δ' ὦ Ἥφαιστε, κατάκλειε, καὶ προσήλου, καὶ τὴν σφῦραν ἐῤῥωμένως κατάφερε· δὸς καὶ τὴν ἑτέραν, κατειλήφθω εὖ μάλα καὶ αὐτή: *Sed præbe dexteram. tu autem Vulcane, aſtringe, & confige, & malleum fortiter demitte. Da & alteram, quò illa etiam rectè aſtringatur.* Tum itum ad pedes. Sed ambigas, Manúſne fuerint toti moli ferendæ? Apparet enim corpus omne (præſertim ſi quis pedes inflecteret) pependiſſe à manibus ſolis. Ego ita arbitror. Quídni? Duræ & neruoſæ illę partes, & lentę frangi. Fortaſſe nec in mediâ ſemper manus volâ claui fixi, ſed ſuperiùs paullò quà cum brachio coit, id eſt circa carpum. Plautus facit ſuſpicari, qui diſertè ſcribit *brachia offigi*, non manus. Sed puto equidem amplius. ſi corpus grauius, aut manus tenuior, adminiculum ſæpè fuiſſe funes. Illos quoque additos, & circa humeros aut pectus medium, ad crucem adſtrictos. Hoc malim, quàm cum aliis aſſerculum ſiue tabellam inducere, in quâ innixi & fixi ſimul pedes. Nimis accurata ea fabrica, imò delicata. Tamen in Chriſti cruce Gregorius Turonicus agnoſcit; quiáne fuit, an quia piè imaginatus eſt? Ipſe quidem ſic: *In ſtipite erecto foramen factum manifeſtum eſt. pes quoque paruæ tabulæ in hoc foramen inſertus eſt. ſuper hanc verò tabulam, tamquam ſtantis hominis, ſacræ affixæ ſunt plantæ.* Nec ſcio an illuc Innocentij hæc referenda: *fuerunt in cruce dominicâ ligna quattuor, ſtipes erectus, & lignum tranſuerſum, truncus ſuppoſitus, & titulus ſuperpoſitus.* Nam vidi qui de *Trunco* ſic acciperent: etſi vox videtur abnuere: quæ parùm apta ad minutam illam tabellam. Verba etiam plura & ſequentia Innocentij cùm examino, ſentire cum dixerim non de hac impoſitâ, ſed verè (vt loquitur) *ſuppoſito trunco*, è quo ipſa crux ſurgat. Ita enim ſenſiſſe videtur: truncum aliquem fuiſſe, ſiue fulciendæ cruci in imo appoſitum (ἀντηρείδα Græci id genus obliqui ſuſtentaculi vocant;) ſiue ſub ipſo recto ſtipite in terrâ, cui ille immiſſus, vt firmior ſtaret. Neque ego aſſero id factitatum: ſed mentem ſcriptoris pono. Trahunt etiam Irenæum iſtuc, qui crucem ſic deformat: *Ipſe habitus crucis fines & ſummitates habet quinque: duos in longitudinem, & duos in latitudinem, & vnum in medio vbi requieſcit qui clauis configitur.* En, inquiunt, medius ille

An ferre potuerint pendulum corpus?

An ſemper in ipſâ volâ fixi?

De tabellâ ſuppedaneâ


De Glor. Mart. cap. VI.

Serm. I. de vno Mart.

Lib. II. cap. XLII.

finis

finis tabella eſt, in quâ corpus requieſcit. Fateor verba huc ire, nec temerè contenderim de alienâ mente. Tamen Iuſtinus martyr, è quo ſumpta hæc videntur, ſic de iſto fine: Καὶ τὸ ἐν τῷ μέσῳ πηγνύμενον ξύλον ὡς κέρας καὶ αὐτὸ ἐξέχον ἐστὶν, ἐφ᾽ ᾧ ἐποχοῦνται οἱ σταυρούμενοι: *Et illud in medio defixum lignum, vt cornu ipſum etiam eminet, in quo feruntur & quaſi inuehuntur, qui crucifiguntur.* Cornu id appellat, & notare vult: quomodo aptè in planâ hac tabellâ? Videndum ne vterque ille ſcriptor aliud intellegat à iam dicto ſenſu. Diuidunt crucem in quinque fines (*Apices* Tertullianus ſcitè appellat:) quattuor illos, qui noti ſunt & incurrunt: quintum, quem in mediâ cruce collocant, vbi lignum tranſuerſum ſcindit tranſitq; ſtipitem defixum. Hac conſideratione, quinque ſunt fines: & vnus ille ſtipes (ſed ſectus) facit ternos. Quod autem aiunt *inuehi* & *requieſcere*: verum eſt. corpus acclinatur ei & quaſi innititur à tergo. Auguſtinus hoc ſenſu ſcripſit; *Longitudinem crucis à terrâ ſurgentem, cui corpus erat infixum.* An totum corpus? imò pedes tantùm quod liquet: ſed adfixum innixumque intellegit, nec ſcio an *innixum* ſcripſit. Tamen in picturis ſculpturiſque etiam priſcis veſtigium tabellæ huius exſtare audio: non ergo temerè ſpreuerim. non certè à Chriſti cruce: de aliis, audacius. Quod enim veſtigium in ſcriptoribus antiquis?



Aduerſ. Triph. Iud.

Vide ſup. Lib. I. cap. IX.

Lib. III. aduerſ. Marc. cap. XIX.

Vide ſuprà lib. I. cap. X.

CAP.

CAP. XI.

De Titulo, quid is Latinis? quomodo aſſcriptus, aut prælatus.

Titulus quid Latinis?

POST Aſtrictionem *Inſcriptio.* Quid ea eſt? Cauſſa ſupplicij, & ipſum crimen, & Romanâ voce *Titulus:* quâ & Iohannes eſt vſus. Atque item Nonnus:

> Γράμμα, τόπερ καλέουσι Λατινίδι Τίτλον ἰωῇ. In cap. XIX

Matthæus Αἰτίαν benè & ſignanter dixit. Gloſſæ Græcanicæ veteres: Αἰτία, *cauſſa, materia, titulus.* Eædem Latinę, *Titulus,* ἔλεγχον. Latini etiam paſſim pro cauſsâ. Vt poëta:

> *Et poteris titulum mortis habere meæ?*

Valerius: *Fine vitæ noſtræ variis & occultis cauſsis expoſito, interdum quædam immerentia ſupremi fati titulum occupant.* Atque hic Titulus præferri aut apponi ſolet damnatis. Præferri, vt in Suetonij Caligulâ: *Præcedente titulo qui cauſſam pœnæ indicaret, per cœtus epulantium circumducitur.* Epiſtola Lugdunenſium, de Attalo Martyre: Περιαχθεὶς κύκλῳ τοῦ ἀμφιθεάτρου, πίνακος αὐτὸν προάγοντος, ἐν ᾧ ἐγέγραπτο ῥωμαϊστὶ, Οὗτός ἐστιν Ἄτταλος ὁ χριστιανός: *Circumactus per amphitheatrum, tabellá ipſum præeunte, in quâ Latinè ſcriptum, Hic eſt Attalus Chriſtianus.* Sed & appendi, aut apponi damnatis ſolet. Suetonius Domitiano: *Patrem familiâs detractum è ſpectaculis in arenam canibus obiecit cum hoc titulo, Impiè locutus parmularius.* Quintilianus oſtendit Gladiatores quoque ſic productos: *Quidam vt patrem ſepeliret, auctorauit ſe. Die muneris productus ſub titulo cauſſæ, rudem populo poſtulante accepit.* Sed facit propriè ad Crucem Dionis locus, de ſeruo, quem dominus agi in crucem, idq́ue per forum iuſſit: μετὰ γραμμάτων τὴν αἰτίαν τῆς θανατώσεως δηλούντων: *Cum litteris* (ſiue Titulo) *quæ cauſſam mortis aperirent.* Sæpe etiam neglecto aut ſpreto titulo contenti Superdictione fuerunt, id eſt vt Præconis præeuntis voce populo id nuntiaretur: de quo more alij, & ego aliàs.

Lib. IX. cap. XII. — *Damnatis anteferri ſolitus:* — *Cap. XXXVIII.* — *Apud Euſeb. lib. V. cap. I.* — *Vel iis apponi.* — *Cap. X.* — *Declam. CCCII.* — *Lib. LIV.* — *Loco eius, ſæpe vox præconis.*

CAP.

CAP. XII.

Poſt fixionem, quomodo mortui in cruce? languore, aut fame. Vitalitas quorumdam.

BENE iam & fideliter fiximus: quid poſt fixionem? *Mors varia in Cruce, ſed ferè lenta.* hæc tria, *Mors, Corruptio, Cuſtodia.* Mors, lenta, moleſta, & vel à ſtillante paulatim ſanguine, vel à fame. Quid ſi etiam ab auium ferarumque laniatu? videbimus, & ſingillatim diducemus. De ſanguine quem demittebant fixi, clarum eſt, nec teſtimonij eget: & tum eâ cauſsâ, tum ex acri verberatione quæ præiuerat, credo inualidiores multos obiiſſe. Lib. VIII. cap. VIII. At de fame, Euſebius vbi Martyres narrat crucifixos in Ægypto: Τηρούμενοί τε ζῶντες, εἰσότε καὶ ἐπ' αὐτῶν ἰκρίων λιμῷ διαφθαρεῖεν: *& ſeruati ſunt viui, donec in ipſis patibulis fame morerentur.* Itaque legas quoſdam diu in crucibus vixiſſe, vt ingenitum ſcilicet robur erat, aut vires. *Pluſculos dies quidam vixere.* Martyr. XXX. Nouemb. Beatus Andreas *in cruce ſuſpenſus, in eâ populum docens,* (ô athletam Deo dignum!) *biduo ſuperuixit.* Martyr. V. Septemb. Victorinus ſub Neruâ, *iuſſus ſuſpendi capite deorſum, ita per triduum vixit.* Quod ſanè miror in ſchemate illo minimè apto ad longam vitam. Magis etiam iſtud: quòd Martyr. III. Maij. *Timotheus & Maura in Cruce nouem diebus viui pendentes, ac ſe ipſos in fide corroborantes, martyrium conſumpſerunt.* *Loquentes & ſermocinantes.* Vnde hæc vis aut vitalitas, niſi à vitæ ipſo fonte? Quāquam & alij quidā animoſè egiſſe in extremiſſimis iſtis rebus legantur. velut Lib. XXII. Bomilcar ille apud Iuſtinum: *qui patibulo ſuffixus in foro medio, magno animo crudelitatem ciuium tulit: adeò vt de ſummâ Cruce, veluti de tribunali, in Pœnorum ſcelera concionaretur.* Quidam *Alij illudentes.* De vit. bea. cap. XIX. etiam petulanter: vt proteruuli apud Senecam, *qui ex patibulo ſpectatores ſuos conſpuunt.* Atque etiam adnotaui, quoſdam miſeratione Principis, aut Magiſtratuum è Cruce ablatos, pòſt vixiſſe. Ioſephus in vitâ ſuâ recitat: *Redibam,* inquit, *è vico quodam, & vidi multos ex hoſtibus* (Iudæis) *crucifixos: & tres ex iis adagnoſcens, cum quibus antè mihi conſuetudo, valdè in animo dolui, & cum lacrimis progreſſus, dixi Tito. Ille autem ſtatim depoſitos eos mandat diligentiſſimè curari, atque ex iis duo inter ipſam curam obierunt, tertius ſuperuixit.*

Cap. XIII.

Quoſdam à volucribus, aut feris etiam viuos laceratos, & pleroſque omnes mortuos. interdum & lanceis interfectos.

Ab auibus laniati.

At de laniatu etiam addidi, & cauſſam illam quoque feci mortis. Haud temerè. quia ſic ligati; & cùm ſe non commouerent, dati reuera * ἑλώρια, vt cum poëtâ dicam, κυνέεσσιν Οἰωνοῖσί τε πᾶσι. Atque id etiam viui. Prudentius:

** canibus laniena Atque auibus cunctis.*

—— Crux illum tollat in auras, Περὶ στεφ. Hym. XI.
Viuentesque oculos offerat alitibus.

Horatio lux,

Horatius aſpexit:

Non hominem occidi. non paſces in cruce coruos. Lib. I. epiſt. XVI.

quia ſicarij ſcilicet & homicidæ dari ſolent in crucem. Item

Iuuenali,

Iuuenalis:

Vultur iumento, & canibus, crucibusque relictis
Ad fœtus properat, partemque cadaueris affert.

Quin reperio in ſententiâ iudiciali quoque id aliquando expreſſum. Actis Martyrum: *Claudius, Aſterius, Neon, cruci affigantur, & corpora eorum auibus laceranda relinquantur.* Itaque

Apuleio.

Apuleius proprium hunc refert *Patibuli cruciatum, cùm canes & vultures intima protrahunt viſcera.* Addit autem & *Canes:* & diſcas licet cruces non ſemper fuiſſe per-altas. Quomodo enim, ſi canes attingerent, atque etiam lupi? Nam & hos Catullus addit in Epigrammatio, quod mihi quidem non niſi circumlocutio videtur cruciariæ huius mortis. Lib. VI. De Aſin. in fine.

Opinio de Catulliano Epigrammatio.

Si Comini arbitrio populi, tua cana ſenectus
Spurcata impuris moribus, intereat:
Non equidem dubito, quin primùm inimica bonorum
Lingua exſecta auido ſit data vulturio:
Effoſſos oculos voret atro gutture coruus,
Inteſtina canes, cetera membra lupi.

Lanceis transfixi quidam.

Iſtæ mortes. niſi quod interdum lanceis etiam tranſuerberatos lego, an ad accelerandum fatum, an explorandum? Illud fuit in Marcelliano & Marco: *quibus ad ſtipitem ligatis in pedibus eorum affixi ſunt claui; cumque tranſiſſet vnus dies & nox, iuſſit ambos* (Fabianus iudex) *lanceis per latera verberari.* Martyr. XVIII. Iunij.

At illud

At iſtud in noſtro Domino; cui miles iam mortuo lanceâ latus aperuit, ſcilicet periculum an bonâ fide obiiſſet.

CAP. XIV.

Crurifragium à Cruce remotum. Quid fuerit, in quos receptum, & quomodo?

NON autem & crura iis fracta, inquies, atque ita interempti? Vulgò inualuit hæc opinio, ſed vulgò. Qui penetrant & examinant, vident diſparata hæc ſupplicia & ſeorſim fuiſſe. *Crura non iis fracta.* Induxit vulgum, quòd in ſacrâ hiſtoriâ latronibus duobus crura fracta leguntur. Atque ſciant pro moribus Iudæorum id fuiſſe: atque illic fortaſſe tantùm. *Niſi fortè in Iudæâ.* Lactantius monuit: *Suffixus itaque Chriſtus cùm ſpiritum depoſuiſſet, neceſſarium carnifices non putauerunt oſſa eius ſuffringere, ſicut eorum mos ferebat.* Ait cautè *eorum mos*: nempe Iudæorum. (Lib. IV. cap. XXVI.) Et cur hoc Iudæi? *Cur ibi?* ne fraus legi fieret, quæ iuſſerat ad Solem occaſum ſuſpendioſos deponi. At deponi niſi mortui non debebant: diutius autem plerique viuebant: ergo hac aut aliâ viâ mors feſtinanda. Aliâ etiam dico viâ: nec crediderim fuiſſe hanc ſolam. Lex quam tango, eſt in Deuteronomio, & vertit ſic doctor Afer: *Si autem fuerit in aliquo delicto, ita vt iudicium mortis ſit, & morietur, & ſuſpendetis eum in ligno, ſed & ſepulturâ ſepelietis eum ipsâ die.* (Tertull. Aduerſ. Iud. cap. X.) Ergo crurifragium propriè nihil ad Crucem: tamen quia ſe ingerit, & vile, atque item ſæuum eſt iuxta crucem, breuiter de eo dicam. *De Crurifragio.* Vox ipſa proba & vetus. Gloſſæ priſcæ: *Crurifragium*, σκελοκοπία. atque alibi *Crurifrangium* rectè etiam ſcribunt. Nam *Tago & Tango*, & *Frago & Frango*, dixerunt: ſed prior ſcilicet ſcriptio magis pro archaiſmo. Diuiſit elegantiæ gratiâ Apuleius: *Vxor diras in eum deuotiones deprecata, & crurum eius fragium abominata.* (Lib. IX. de Aſin.) vbi *adominata* pro vero magis & pro ſenſu. Ipſa res antiqua, & iam Plauti, & antè æuo, paſſim Crurifragium minati ſeruis. *Olim in vſu.* In eius Aſinariâ: (Aſinar.)

> —— *Crura hercle offringentur,*
> *Age impudice, niſi iſtum percies.*

Et credam, vt crucem ipſam, peculiare fuiſſe ſeruis. Seneca: *Ferè in ſeruos.*

neca: *Magnam rem ſine dubio fecerimus, ſi ſeruulum infelicem in ergaſtulum miſerimus. Quid properamus verberare ſtatim, crura protinus frangere?* Suetonius Auguſto: *Thallo à manu, quòd pro epiſtolâ proditá denarios quingenos accepiſſet, crura effregit.* Idem in Tiberio: *Vtrique mox* (miniſtro cuipiam, & tibicini) *quod mutuò flagitium exprobraſſent, crura fregiſſe.* Ergo in ſeruis: ſed ita, vt liberi non immunes. ſiue in crimine, ſiue potiùs per ſæuitiam vindicantis. Ita M. Mario Gratidiano Cornelius Sulla *perfringi crura, erui oculos, amputari manus iuſſit.* Et Spendiani rebelles in Africâ, cùm Pœnorum optimates cepiſſent, Κολοβώσαντες, καὶ συντρίψαντες τὰ σκέλη, ἔτι ζῶντας ἔρριψαν εἴς τινα τάφρον: *admutilantes, & crura conterentes, adhuc viuos proiecerunt in foueam aliquam.* Et in Martyres noſtros plurifariam ſic ſæuitum. Euſebius de his quæ in Arabiâ aut Cappadociâ: τῶν Μαρτύρων ποτὲ πέλυξιν ἀναιρουμένων, ποτὲ δὲ τὰ σκέλη καταγνυμένων: *Martyribus aliás ſecuribus interfectis, aliás Crurifragio punitis.* Martyrologium memorat *Hadrianum Nicomediæ, cum aliis vigintitribus, omnes ſub Diocletiano martyrium crurifragio conſummaſſe.* Idem de pluribus, atque innominatis: *Commemoratio SS. Martyrum, qui in perſecutione Maximini fractis cruribus necati ſunt.* Et ſæpiùs. Modus huius ſupplicij, vt incus cum malleo, vel vecte ferreo inferretur, ac tibias incudi imponerent, validis ictibus ſic frangendas. Colliges ex Actis Martyrum priſcis, quæ Surius vulgauit. Sublatum hoc ſupplicium à Conſtantino Victor aſſeuerat, de quo in * loco.

[Margin: De Ira III cap. XXXI. — Cap. LXVII — Cap. XLIV. — *Interdum & liberos.* — Sen. de Ira III cap. XVIII. — Polyb. I. — *Martyres ſic occiſi.* — Lib. VIII. cap. XII. — IV. Martij. — *Ratio frangēdi crura.* — XXIII. Maij. — Tom. V. die VIII. Sept. — * Lib. III. cap. XIV.]

Cap. XV.

Corrumpi in cruce paſſi ſunt, & nefas ſepelire.

Corrvptio iam poſt Mortem. Quam ſic intellego, quòd nec mortuos deponerent, ſed tabo illic paſſi ſunt diffluere, & à Sole ac pluuiâ corrumpi. Valerius impreſsè hoc narrat de Polycrate, qui ab Orœte cruci affixus: *E quâ,* inquit, *putres eius artus, & tabido cruore manantia membra, atque illam læuam, cui Neptunus annulum manu piſcatoris reſtituerat, ſitu marcidam, Samos lætis oculis aſpexit.* De quo ipſo

[Margin: *Corrupti in Crucibus.* — Lib. VI. cap. IX.]

Afer

Tertull. de Animâ. Afer noſter, vt ſolet, ſuccinctè: *Polycrati Samio filia Crucem proſpicit de Solis vnguine & lauacro Iouis.* Tangit hiſtoriam, & ſomnium quod in Herodoto, & tu ab eo pete. Sed hæc mens ſomnij, ſublimem in cruce madidandum à Ioue cùm plueret, à Sole vngendum cùm is calidus è nudo corpore ſaniem eliceret adipemque. Hanc in cruce putrefactionem intellexit Theodorus Cyrenæus, cùm Tyranno minanti eam reſpondit: *Suâ nihil intereſſe, humi, an ſublimi putreſceret.* Neque aliam Artemidorus, cùm malum diuitibus ominatur à ſomniatâ cruce: τὰς γὰρ σάρκας ἀπολλύουσιν οἱ σταυρωθέντες: *Carnes enim amittunt qui in cruce fixi.* Ita inquam, amittunt: ſiue tempore & defluxu: ſiue & lanienâ volucrum ferarumque, de quâ dixi.

Lib. III. — *Tertullianus explicatus.*

Apud Cic. & Valer. — *Et Artemidorus.*

Lib. II. cap. LVIII.

CAP. XVI.

Cuſtodia & miles ad Crucem, ne quis detraheret.

ITAQVE hoc fine aſſeruati in Cruce, & deponi rarum omnino fuit. Niſi quod Philo tamen notat, *receptum moribus fuiſſe in Natali Imperatoris, aut ſimili die feſto quoſdam è crucibus deponi, & permitti ad ſepulturam: at Flaccum contrà, nouos etiam tum iis affixiſſe.* Ne quis autem deponeret, miles & cuſtodia aſsêdit. Petronius: *Miles cruces aſſeruabat, nequis corpora ad ſepulturam detraheret.* Plutarchus in Cleomene: Ὀλίγαις δὲ ὕστερον ἡμέραις οἱ τὸ σῶμα τοῦ Κλεομένους ἀνεσταυρωμένον φυλάττοντες, εἶδον εὐμεγέθη δράκοντα τῇ κεφαλῇ περιπεπλεγμένον, καὶ ἀποκρύπτοντα τὸ πρόσωπον, ὥστε μηδὲν ὄρνεον ἐφίπτασθαι σαρκοφάγον: *Paucis pòſt diebus, ij qui Cleomenis cruci affixum corpus cuſtodiebant, viderunt magnum ſerpentem capiti eius circumplexum, & faciem velantem tegentemque, ne qua carniuora auis attingeret.* Vbi vtrumque habes, & cuſtodiri ſolitos mortuos; & aues faciem in primis inuolaſſe. Poſſis ad hanc cuſtodiam illud Euangeliſtæ referre: Ἔχετε κουστωδίαν, ὑπάγετε: *Habetis cuſtodiam, abite.* Quæ Pilati vox fuit ad Iudæos petentes aſſeruari monumentum. Videtur autem intelligere cuſtodiam, quæ paullò antè ad crucem. niſi quis malit, *Habete cuſtodiam*; quaſi ab imperante, & indignanter dante. Vox enim Græca in vtrumuis valet.

Contra Flacc. — *Rarò ablati è cruce.*

In Satyr. — *Cuſtodes inibi.*

Matth. XXVII. — *Ambiguus intellectus in Euangeliſtâ.*

IVSTI

IVSTI LIPSI DE CRVCE LIBER III.

CAP. I.

Tranſitio ad Rarum figendi Modum. Furca diuiſa, & hîc de Ignominioſâ dictum.

ABVNDE, quæ ad *Vulgarem* crucifigendi modum, diximus: *Rarus* ſupereſt, quem ipſum pari curâ imus expunctum. Eum ſuprà deſcripſimus (& vox præfert) *ſepoſitum, & minùs in aſſiduo vſu*. Sepoſitum *æuo*, Inuſitatum vel *Schemate* vel *Fine*. De his tribus ordine & partitè dicam (iuuat in his talibus) & in lucem fortaſſe protraham, quæ vſque adhuc parum claro oculo conſpecta. Æuo ſepoſita *Furca* eſt: olim quidem in creberrimo vſu, ſed quæ paulatim deſiit atque aboleuit. Mentio crebra non in hiſtoriis ſolùm, ſed Comœdiis priſcis: mentio tamen magis, quàm explicatio. ego hîc faciam, & pro copiâ ingenij dabo in ſplendorem. Vt poſſim, duplicem illam facio, *Veterem* & *Nouam*. Priorem, quæ priſcis Romanis (non enim apud alias gentes legi) vſitata: atque hanc iterùm duplicem. *Ignominioſam* & *Pœnalem*. Illa eſt, *quâ collo impoſitâ ſerui circumduci ſolent ob culpam aliquam, oſtentui & ad irriſum.* Iſidorus: *Furcifer dicebatur olim, qui ob leue delictum cogebatur à dominis, ignominiæ magis quàm ſupplicij cauſâ, furcam circa vrbem ferre, prædicans peccatum ſuum, & monens ceteros ne quid ſimile peccarent.* Plutarchus in Coriolano, *Humanè habitos ſeruos à priſcis dominis* notat. & addit: ἦν δὲ μεγάλη κόλασις οἰκέτου πλημμελήσαντος, εἰ ξύλον ἁμάξης ᾧ τὸν ῥυμὸν ὑπερείδουσιν ἀράμενος, διεξέλθοι παρὰ τὴν γειτνίαν. ὁ γὰρ τοῦτο παθὼν καὶ ὀφθεὶς, οὐκέτι πίστιν εἶχεν, ἐκαλεῖτο δὲ Φούρκιφερ: *Erat autem magna caſtigatio ſerui delinquentis, ſi lignum*

Quid rarus modus? Is diuiſus.

Furca duplex.

Iterùm duplex. Ignominioſa.

Lib. x. Orig.

lignum currus, quo temonem ſuſtentant, tollens & ferens exiret circa viciniam. Id enim paſſus, & ſic conſpectus, non vltrà fidem habebat, & vocabatur Furcifer. Talia idem in Quæſtionibus Romanis. Et Gloſſæ veteres: *Furcifer*, σταυροκόμιστος, δικρανοφόρος. οἱ πταίοντες ἀντὶ τιμωρείας δίκρανον ἐν τοῖς τραχήλοις ἔχοντες περιεκόμιζον, διὰ τῆς πόλεως περιαγόμενοι: *qui patibulum fert, qui furcam. Qui peccauerant, pro pœnâ furcam in collo habētes circuibant, per vrbem vndique ducti.* Atque hęc illa prima eſt, ab ipsâ re & fine *Ignominioſa* à me dicta: quę origo aut exemplar tamen *Pœnalis.*

CAP. II.

De Furcâ Pœnali, & cæſos ſub eâ ad mortem.

EA eſt, *quâ item collo impoſitâ circumducti, ſed cum verberibus & pœnæ cauſſâ.* Atque adeò mors plerumque huic conſequa: ſiue ſub ipsâ Furcâ ad necem cæſis, ſiue cum eâ in crucem latis. Seorſim vtrumque explicabo, & firmabo. *Sub furcâ cædi.*

Neron. cap. XLIX. Sub eâ ad mortem cæſi: ex Suetonio, *qui pœnam more maiorum* interpretatur, *nudi hominis ceruicem inſeri furcæ, corpus virgis ad necem cædi.* *Ad mortē.* In Nerone. Atque idem etiam Victor: *Senatus ſententiâ conſtitutum, vt, more maiorum, collo in furcam coniecto, virgis ad necem cæderetur.* Ac reperio exempla etiam in hiſtoriâ, etſi haud crebra. Liuius *inceſtum cum Veſtale ſic punitum ** Vide Feſtum in Probrum.* Lib. XXII. oſtendit: *L. Cantilius ſcriba Pontificum, quos nunc minores Pontifices appellant, qui cum Floroniâ ſtuprum fecerat, à Pontifice Max. eouſque virgis in Comitio cæſus, vt inter verbera exſpiraret.* Lib. IX. Antiq. Dionyſius in culpâ ſimili, & de iis qui Vrbiniam ſtuprarāt: τῶν δὲ διαπραξαμένων τὴν ἀνοσίαν φθορὰν, ὁ μὲν ἕτερος ἑαυτὸν διεχειρίσατο, τὸν δὲ ἕτερον οἱ τῶν ἱερῶν ἐπίσκοποι συλλαβόντες, ἐν ἀγορᾷ μάστιξιν αἰκισάμενοι, καθάπερ ἀνδράποδον, ἀπέκτειναν: *Ex iis autem qui illicitam corruptionem patrauerant, alter ſeipſum interemit, alterum ij qui ſacris præerant* (ij ſunt Pontifices) *comprehendentes, in foro flagris ſecantes, tamquam mancipium, interemerunt.* Nam etſi neuter furcæ hîc mentionem faciat, tamen cum verberibus ad necem datos denarrent, probabile id ita ritu priſco factum: hoc magis, quòd Dionyſius quaſi indicans addidit, καθάπερ ἀνδράποδον, *ſeruilem in modum.* Quod autem

autem liberi etiam ſub furcâ interdum cæſi, exemplum in Epitomâ Liuij clarum, de C. Maticno: qui *accuſatus apud Tribunos quòd exercitum in Hiſpaniâ deſeruiſſet, damnatusque, ſub furcâ diu virgis cæſus, & ſeſtertio nummo vęniit.* Nam etſi ille non ad veram mortem cæſus, tamen ad ciuilem, & libertatem ciuitatemque pariter amiſit. Atque ideò dixi *plerumque* mortem conſequam: cùm & in Plauto legam:

Non ad mortem.

Lib. LV.

Et ob eam rem in carcerem ted eſſe compactum ſcio,
Et poſtquam es emiſſus, cæſum virgis ſub furcâ ſcio. Menæch.

Quæ obiiciuntur ſeni viuo etiam & videnti.

CAP. III.

Ligatos ad Furcam in crucem ſolere tolli, Furcam & patibulum videri eadem, aut haud longè diſſita.

SED cum Furcâ in crucem latos etiam dixi: quod rei noſtræ facit, atque id tale fuit. Ligati ad Furcam, & ſub eâ cæſi, per viam ducebantur; fixi deinde ad eam, tollebantur in crucem. Firmamus veterum ſcriptis. Arnobius: *Seruum peſſimè meritum per Circi aream mediam traduxiſſe cæſum virgis, &, ex more, multaſſe pòſt patibuli pœnâ.* Ita legimus, non *pœnam.* Et quod ait, *ex more*, huic rei ſeligimus: quaſi receptum videlicet & tralaticium poſt cæſionem hanc, ſuſpendi. Nam etſi Arnobius non expreſſit ſub Furcâ cæſum: tamen ita fuit, & in ipsâ hac narratiunculâ alij omnes cõſenſu produnt. Liuius: *Seruum quidam paterfamiliâs nondum commiſſo ſpectaculo, ſub Furcâ cæſum, medio egerat Circo.* Cicero: *Seruus per Circum, cùm virgis cæderetur, Furcam ferens ductus eſt.* Valerius: *Cùm ſeruum ſuum verberibus multatum ſub Furcâ, ad ſupplicium egiſſet.* Denique Lactantius, qui & Patrisfamiliæ nomen expreſſit: *Antonius Maximus* (potiùs *Autronius*, ex Macrobio) *diuerberatum ſeruum ſub Furcâ, medio Circo ad ſupplicium egerat.* Ergo ſub Furcâ ad ſupplicium acti: ſed nunquid in eâ appenſi? Ita. quia hæc Furca non aliud quàm Patibulum fuit. Certa auctoritas Macrobij: qui de illo ipſo facto. *Autronius*, inquit, *Maximus quidam ſeruum ſuum verberatum*

Cum Furcâ appenſi.

Lib. VII. aduerſ. Gent.

Arnobius obiter correctus.

Lib. II.

De Diuinat. I.

Lib. I. cap. VII.

Lib. II. cap. VIII.

Furca & patibulum eadem.

Lib. I. Saturn. cap. X.

ratum, patiboloque conſtrictum, per Circum egit. Quid hoc eſt, *patibulo conſtrictum*, niſi quod alij omnes *Furcam* dixerunt, & Liuius de Horatio, *ſub Furcâ vinctum*? Nam ita res fuit. Alligari brachia manusque ad hanc furcam ſolent: atque Moſtell. ita circumduci, mox in eâ attolli. In Plauto legis, *Diſpeſſis* *Plautinus locus facta lux.* In patibul. *manibus patibulum habere.* item: *ire patibulatum per vias.* Et quod Nonius ex eo citat: *Patibulum ferre per vrbem, deinde affigi cruci.* Nota verba & ſeriem: *Ferre,* deinde *Affigi.* Quę ipſa in Licinij hiſtorici fragmento apud eundem Nonium: *Ad patibulos* (ita mutato genere, pro *patibula) deligantur, & circumferuntur, cruci defiguntur.* Clarè omnia. Habes, vt in Macrobio, ligari conſtringique ad patibulum; habes, circumferre; habes defigi. *Circumferre* inquam. nam quod vulgò eſt *circumferuntur*, vereor vt rectum ſit. quia non profectò circumlati, ſed ipſi pedibus ſuis ibant: niſi tamen ca- *Correctus Licinius Macer.* pias quaſi circumductos. Sed ego malim, *circumferunt* reponi. vt ſit ligatos ad patibula, ea ipſa circumtuliſſe. Ita Plau- Caſinâ. tus: *Tu quidem hodie canem & furcam feras.* Nam ibi Furcam, quod patibulum aliàs, dixit. ſicut & hîc: *Cum furcâ in vrbem, tanquam Carbonarium.* Atqui docendum etiam eſt, inquies, in eâ appenſos: Nónne res clamat? Si enim Furca idem *In ipsâ furcâ appenſi.* quod patibulum: quid ambigas? Conſtat certè in patibulo ſuſpenſos. Sed firmo & teſtibus. Feſtus: *Furcillæ ſiue Furcilla, quibus homines ſuſpendebant.* Cedò de quibus aliis hoc accipies? Plinius: *Supplicia annua canes pendunt, inter ædem Iuuentutis & Summani, furcâ ſambuceâ, arbore fixi.* Vix eſt vt aliter intelligas, quàm in furcâ ad arborem fixos. At clariſſimè Lib. VI. Matheſ. cap. XXXI. iam Firmicus: *Seuerâ animaduertentis ſententiâ patibulo ſuffixus, in crucem crudeliter erigetur.* En, primò patibulo ſuffigitur, deinde tollitur in crucem. Atque hinc illa phraſis, *Patibulo crucis affigi*: quia patibulum ſcilicet, hoc ſenſu, pars crucis. Diſtinguit & Tacitus: *Patibula, ignes, cruces.* & quod *Patibulum propriè à Cruce diuerſum.* patens hæc tranſuerſaque pars ſic dicta, Seneca indicat: *Alij brachia patibulo explicuerunt.* ſicut inferior defixuſque ſtipes, *Crux* propriè dictus.

CAP. IV.

Quæ forma Furcæ fuerit, obſcurè traditum in veterum ſcriptis.

SED qualis hæc ſuſpenſio, & quâ verâ germanaque facie
Quid Furca quæſitū? ipſa Furca; vt ingenuè dicam, hæreo, & velut inter Solem & Orcum erro. Video, non video; probo, improbo; & planè quod Græci dicunt, τὴν γνώμην ταλαντεύω. Suidas Furcam ſic deſcribit: Φοῦρκα παρὰ ῥωμαίοις ξύλον δίδυμον: *Furca Ro-*
Plutarchi deſignatio. *manis eſt lignum duplex ſiue geminum.* Plutarchus paullò magis In Cauſſis.
videtur aperire: διπλοῦν ξύλον ὃ ταῖς ἁμάξαις ὑφιστᾶσιν: *duplex lignum quod curribus ſubiiciunt.* Tamen hoc ipſum ſatis γενικῶς & ἀορίστως. itaque diſtinctiùs alibi: ξύλον ἁμάξης ᾧ τὸν ῥυμὸν ὑπερείδουσι: In Coriolano.
lignum currus, quo temonem ſuſtentant. Atque addit: ὃ γὰρ Ἕλληνες ὑποστάτην καὶ στήριγμα, τοῦτο ῥωμαῖοι φοῦρκαν ὀνομάζουσι: *quod enim Græci Hypoſtaten & Sterigma* (ſuffulcimentum & ſuſtentaculum) *id Romani appellant Furcam.* Benè & clarè pro ſuis Græcis: nos an ſcitiores? In Heſychio hoc ſaltem reperio: στήριγγας (idem quod στηρίγματα) *dici à quibuſdam*, τὸ δικρουν ὅπερ ὑποτιθέασι τῷ τῆς ἁμάξης ζυγῷ: *illud biceps aut furcatum, quod ſubiiciunt cur-*
Dubitatū de Heſychij loco. *rus iugo.* Iuuat, an moratur? iſtud potiùs, quoniam Ζυγὸν ſcribit ſiue *Iugum*, quod Plutarchus *Temonem* & ῥυμόν. Vtri accedimus? Plutarcho magis, nec video quid Iugo fulciendo ſubieceris, quod dependet & fertur collo boum. Ergo, me
Fortaſſis emendandus. quidem arbitro, Heſychius, in vicinis voculis, ſic corrigatur. Atque ex iſtis rem factam habeamus, ſi nota veterum curruum membra. Opinamur tamen ſimilia noſtris fuiſſe, & Dionyſium etiam audiamus. In eo, vbi pœnam deſcribit ſerui illius Autronij Maximi (de quo pluſcula ſuprà) hęc le- Lib. VII. Antiq.
Dionyſij verba de Furcâ. go: Ἀνὴρ ῥωμαῖος οὐκ ἀφανὴς θεράποντα ἴδιον ἐπὶ τιμωρίᾳ θανάτου παραδοὺς τοῖς ὁμοδούλοις ἄγειν, ἵνα δὴ περιφανὴς ἡ τιμωρία τοῦ ἀνθρώπου γένηται, δι᾽ ἀγορᾶς αὐτὸν μαστιγούμενον ἐκέλευσεν ἕλκειν, καὶ εἴ τις ἄλλος ἦν τῆς πόλεως τόπος ἐπιφανής. οἱ δὲ ἄγοντες τὸν θεράποντα ἐπὶ τὴν τιμωρίαν, τὰς χεῖρας ἀποτείναντες ἀμφοτέρας, καὶ ξύλῳ προσδήσαντες παρὰ τὰ στέρνα τε καὶ τοὺς ὤμους, καὶ μέχρι τῶν καρπῶν διήκοντι, παρηκολούθουν ξαίνοντες μάστιξι γυμνὸν ὄντα: *Vir Romanus haud ignobilis, ſeruum ſuum ad mortis ſupplicium tradens conſeruis aliis ducendū, vt conſpicua & illuſtris pœna homi-*

hominis eius fieret, per forum verberibus affectum trahere ipſos iuſſit, & ſi quis alius in vrbe locus celebris. Qui autem ducebant eum ad pœnam, manus eius ambas extendentes, & ad lignum alligantes, quod circa pectus & humeros ad manuum volam pertingeret, ſequebantur flagris cædentes ſic nudum. Iam Plautus imagine etiam videtur voluiſſe expreſſam: *Plauti comparatio.*

Caſinâ. *—— ego remittam ad te virum*
Cum furcâ in vrbem, tamquam carbonarium.

CAP. V.

Ex iis tres ſententiæ erutæ, & ſingulæ explicatæ. Tertiam πιθανωτάτην videri.

HÆC ſunt quæ apud veteres quidem legerim rei huic illuſtrandæ. Nos ex iis ſententias, an ſomnia noſtra? proponemus: impetrabili tamen veniâ, ſicubi in antiquitatis illis tenebris ſubſiſtemus, aut labemur. Sententias, dixi. nam tria ſunt quæ ex deſcriptiunculis elicio iam dictis. *Opiniones tres de Furcâ.* Primùm, Furcam potuiſſe eſſe facie quâ noſtrum hodie Patibulum: atque idipſum reliquias & exemplar eſſe à pœnâ priſcâ. *Prima.* Ait Plutarchus, *currui aut temoni ſubiectum fuiſſe.* quid olim, neſcio: tale aliquid in noſtris curribus ſupra ipſum axem. Ait Dionyſius, *per humeros, per pectus iiſſe*: hoc in iſto, ſi collo imponas. Obſtat tamen huic, quod diſertè aiunt ξύλον διπλοῦν, δικρουν, δίδυμον. *lignum duplex, biceps, geminum.* Nam certè hoc triplex lignum eſt: etſi iſta quoque forma Furca olim dicta. Sententia altera, Lignum fuiſſe geminum, quod à tergo per humeros, & ante per pectus, hominem medium includeret, atque ita rectum ad expanſas vtraſque manus iret. *Secunda.* Forma, quam Dionyſius ingerere videtur & ſuadere. Quid tamen hîc ſimile Furcæ? quomodo in vtroque iſto ligno homo ſuſpenſus? Nam anterius illud incõmodauerit, imò ad guttur ſtangularit. Sed nec in curribus quid ſimile, ſcio. Sententia tertia. Furcam, veram eſſe furcam: quam * hodieque dicimus, & quam Varro indicat, vbi Vallum ἐτυμολογεῖ: *quòd ſingula ibi extrema* *Tertia: atque ea firmata.*

* Etiam Belgæ, *Vorcam*, à Latino.

IV. De L.L.

bacilla

bacilla furcillata figuram habeant litteræ V. Pro hac ſententiâ multa ſunt. Primùm quòd *Furca* δίκρανος, in bonis priſciſque Gloſſis. item *Furcifer*, δικρανοφόρος. Atqui δικράνους Heſychius deſcribit τὰς ἀπὸ μιᾶς ἀρχῆς ἐπὶ δύο ἐκνεύσας, οἷον δύο τέλη ἐχούσας: *eas quæ ab vno initio & capite in duo deſinunt, tamquam duos fines habentes.* Eſt planè figura Varroniana, & litteræ iam dictæ. Quid, quod in curribus hodie, quà Temo cum axe coit, Furca eſt ſuſtentando illi aut fulciendo? Quâ mente in Sidonio, de Baccho:

Vite capiſtratas cogebat ad eſſeda tigres,
Intrabat duplicem quà temo racemifer arcum.

Denique cum deſcriptione Dionyſij mihi conuenire videtur examuſſim. Da Furcam iſtam paulatim diuaricantem; ab humeris per pectus, & inde manus veniat; eſt illud ipſum lignum quod deſcripſit. Iam Plauti Carbonarium, quò niſi huc referas? Ecce qui lignarios faſces aut carbonum ſaccellos hodieque ferunt, furcam iungunt. cuius caput cum exſtantiâ aliquâ bacillorum à tergo eſt; longiores duo fines diuerſi per pectus deſcendunt, & manu vtrâque (quaſi ad contranixum) ſuſtentantur. Atqui, inquies, manus hîc non in alto expanſæ. Fateor non in alto, expanſæ tamen: & cùm funibus traherentur, ligatis ad extremas manus, etiam protendebantur tollebanturque. Quin alius locus Plauti eſt, qui videatur ab hac modeſtâ expanſione, ſi attendis. Nam in Milite, ſeruus quiſpiam in oſtio ſtabat, mulierculã redituram exſpectans, & nequa elaberetur. Ad eum ſeruus alter:

Iniectio remota.

Credo ego iſtoc tibi exemplo eundum eſſe actutum extra portam,
Diſpeſſis manibus, patibulum cùm habebis.

Benè eſt, inquit. formâ & ſtatus in te, qui mox erit; cùm herus alligatum te patibulo per vrbem ducet. Atqui in ſtetiſſe ego eum opinor, manibus ante ſe proiectis & leuiter diductis, habitu quo ſolent captantes & apprehenſuri.



CAP. VI.

Ratio ſuſpendendi per ſingulas illas formas expoſita, atque etiam oculis propoſita.

TRES ſententias ſuper Furcæ formâ habes: tu elige: etſi nos ad vltimam vides proclinatos. Quomodo autem nunc Suſpenſio? Pro formis diſtinguenda eſt. Si prima placet, res facilis. in trunco abſciſo, in paxillo infixo, imò in fiſſurâ ſupernè factâ, potuit firmiter appendi. Imaginem (oculorum enim magis res quàm verborum eſt) infrà habes. Si altera, tùm ſic cenſeo, ductos quidem cum duplici ligno ad Crucem, ſed non cum vtroque in eam actos. Quod ante pectus, depoſitum putem: manus fixas in altero, atque id ipſum in trunco, paxillo, fiſſurâ (vt priùs) firmatum. Imaginem vide. Nec abſurda aut vero nimis extranea ſententia eſt: cùm & Patibulum reperiam ſingularem eiuſmodi rectumque ſtipitem dictum. Nonius ex Titinio citat:

In primâ Furcâ appenſio.

In ſecundâ.

Patibulum vnus ſtipes etiam.

 ſi quiſ-

* Malim, *præterhæc*, vt *poſthac*, *antehac*.

*—— ſi quiſquam hodie * præter hanc*
Poſticum noſtrum pepulerit, patibulodhoc
Ei caput defringam.

In Patibulum.

Et interpretatur *Seram*, *quâ oſtia occluduntur*, *quò hac remotâ valuæ pateant.* Credo eum ex ipſo argumento fabulæ ſic proferre, & quòd ianitor aliquis atque oſtij cuſtos hæc dicat. Certè quidem Sera eſt lignum tranſuerſum quod oſtiis opponi ſolet, in poſtem vtrimque immiſſum. Hodie quoque vſus. Itaque Gloſſæ: *Sera*, μοχλὸς θύρας. Et Poëta aliquis *—— excute poſte ſeram.* Atque ego ampliùs arbitror. etiamſi olim Furca aliâ facie fuerit: tamen commodi cauſsâ, & quia pronior faciliorque hæc appenſio, ſucceſſiſſe ſingulare hoc rectumque lignum, & id tuliſſe in humeris, manibus inibi reuinctis, in eoque mox figendis. At ſi tertia ſententia ſedeat, facilis ſuſpenſio. ſiue in ipsâ Furcâ defixâ in terram ſimpliciter; ſiue cum eâ in altiorem arborem aut lignum ſint ſublati. Figuræ videantur.

Furcæ ſpecies. Ouid in Amor. *In tertiam appenſio.*



CAP.

CAP. VII.

De nouâ Furcâ, quæ noſtrum Patibulum. Tribonianum ſubſtituiſſe paſſim in Legum libris.

De veteri Furcâ, ſic cenſemus, cum lege reſipiendi & reſiliendi, ſi quis meliora. Mutare in his talibus non mihi probrum. *Noua* ſequitur quam dixi, quia inferioris æui inuentũ. Ea eſt *inſtrumentum è ligno triplici, formâ Iugi veteris, cui appenſos homines laqueo ſtrangulamus.* Hodie quoque vſum & ſpeciem hanc habet in pleráque Europâ. Non & priſcis cognita? non arbitramur. Pœna quidem laquei Homero expreſſa, qui facit impudicas ancillas ab Vlyſſe ſic puniri. atque idem infamem καὶ μὴ καθαρὸν θάνατον (ita loquitur) *& impuram mortem* oſtendit: vti & Plinius, qui *præpoſteram* dixit. quia *ſpiritus intercluditur, cui exitus quærebatur.* Sed à Græcis vſurpatam vix reperias: nec à Romanis quidem in publico. etſi ij, in carcere, damnatis gulam* laqueo frangebant. Credo cœpiſſe, cùm crux deſiit; & vicariam illi factam. Iſidori quidem æuo nomen hoc & vſum habuit. *Patibulum vulgò*, inquit, *Furca dicitur* (ita nunc quoque in Hiſpaniâ, vbi ille ſcripſit) *quaſi ferens caput. Suſpenſum enim & ſtrangulatum hæc exanimat.* In libris legum, quas Tribonianus atq; eius adiuuæ collegerunt, ſatis frequens hoc nomen: &, vt opinor, ſignificatione nouitiâ: quia ſublato Crucis ſupplicio, quídni etiam Furca vetus? Itaque ipſos Iuriſconſultos vſurpaſſe, non habet fidem aqud* iuris & moris antiqui peritos. qui verè notant, ſubſtitutum id pro Cruce: cauſsâ apertâ & liquidâ, quia Conſtãtinus lege latâ ſuſtulerat Crucem. Ergo ipſi quoque, qui leges collectum ibant in æui illius & ſequentis vſum. Exempla plura ſunt, & notata aliis: quædam etiam vbi inconſpectio. vt in iſto Calliſtrati, de Pœnis: *Famoſos latrones furcâ figendos placuit.* Inconſpectè, inquã, imò ineptè. Quid? ad Furcam nouam homines figuntur? certum eſt aſtringi. Sed fuerat *Cruci figendos*: mouerunt alterũ, altero retento, quod non debebant. Simile in Vlpiani de Pœnis: quod exſcriptor etiam fortaſſe corrupit. *Decuriones in metallũ dari non poſſunt, nec furcæ ſubiici. Cruci* in Vlpiano fuerat:

Marginalia: *Quid noua Furca?* — *Laqueo an priſci necauerint.* — *Sed non vt appenderent. — Lib. v. Orig. — *Quando id cœperit?* — * Cuiaciũ, Fabrum, alios. — L. xxix. — L. ix.

fuerat: ſed quis dixerit, *Cruci ſubiici*? Itaque* *ſubfigi*, vel *ſuffigi*, verum cenſeam; & eamdem παραβλεψίαν hîc agnoſcam.

* Vt in libris aliquoties ſcriptum vidimus, cauſſam corruptelę.

CAP. VIII.

De Raro modo in Schemate. & primùm de Inuerſá ſuſpenſione.

Varij figendi modi.

ADFATIM de Furcâ, quæ inter *Raros* figendi primus Modus fuit. Alter, qui *Schemate* à vulgari diuerſus. Intellego, *cùm alio atque alio habitu hominem affigebant*. Id quoque factitatum, vt ingenioſa crudelitas eſt in pœnas. Ioſephus, vbi narrat Iudæos iuſſu Titi crucifixos: Προσήλουν δὲ οἱ στρατιῶται δι' ὀργὴν καὶ μῖσος τοὺς ἁλόντας, ἄλλον ἄλλῳ σχήματι, πρὸς χλεύην: *Affigebant milites, ab irá & odio, eos quos ceperant, alium alio ſchemate, ad ludibrium.* Hæc ſchemata varia fuêre; quæ in lectione vidi, tangam. Eſt illud, quod *Inuerſum* dixeris, cùm hominem in caput ſuſpendunt, pedibus ſublatis. Seneca: *Alij capite conuerſo in terram ſuſpendêre.* Euſebius oſtendit Martyribus in Ægypto id factum, καὶ ἄλλοι πάλιν μὲν ἀνασκολοπισθέντες, οἱ μὲν κατὰ τὸ σύνηθες τοῖς κακούργοις, οἱ δὲ καὶ χειρόνως ἀνάπαλιν κατωκάρα προσηλωθέντες: *Atque alij iterum crucifixi quidam more in maleficis recepto; quidam etiam deteriùs, inuersá figurá, et in caput pendentes.* Quod ipſum in D. Petro, ſed eo rogante, ne aſſimularetur Magiſtro. Abdias: *Et accedens ad Crucem, rogauit vt inuerſis veſtigiis figeretur.* Chryſoſtomus: Χαίροις Πέτρε, ὁ τοῦ ξύλου τοῦ σταυροῦ ἀπολαύσας, καὶ καθ' ὁμοιότητα τοῦ διδασκάλου σταυρωθῆναι οὐ θελήσας ἐν ὀρθίῳ σχήματι, ἀλλὰ μᾶλλον ἐπὶ κεφαλὴν, ὡς εἰς οὐρανὸν τὴν πορείαν ἐπὶ γῆς ποιούμενος: *Gaudeas ô Petre, crucis lignum deguſtans, & ad inſtar Magiſtri crucifixi recuſans in recto ſchemate, ſed magis in caput obuerſus, tanquam in cælum viam à terra faciens.* Et Petrum quidem etiam clauis inibi fixum, idem Chryſoſtomus teſtatur: Ὦ εὐλογημένοι ἧλοι, οἵτινες τὰ ἅγια ἐκεῖνα μέλη διῆλθον: *O benedicti Claui, qui ſacra illa membra penetrarunt!* Sicut & Calliopius martyr, *poſt tormenta, verſo in terram capite Cruci affixus eſt.* Affixus, non deuinctus. Tamen & funibus adſtricti. vt Simeon Metaphraſtes de Philippo Apoſtolo: *Flagris cædunt & verberant, deinde cùm funibus à talis vinxiſſent, ſublimem*

Inuerſo capite.

Lib. v. Excid. cap. XXVIII.

Conſolar. ad Mart. cap. XX.

Lib. VIII. cap. VIII.

Orat. in Petr. & Paul.

Martyrol. VII. April.

limem ſuſpendunt præcipitem. In cruce enim aut ſtipite ſic ſuſpenſum accipio. Nec aliter Ammianum : *Dracontius & Diodotus, iniectis per crura funibus, exanimati ſunt.* Lib. XXII.



CAP. IX.

De obliquâ ſuſpenſione, de varicante, & inter arbores ſciſſione.

REPERIO & obliquos ſuper crucem crucéſve poſitos: vt in Plutarchi Artaxerxe : Is narrat Paryſatidem regis matrem infenſam Eunucho cuipiam, arte eum redegiſſe in ſuam poteſtatem. tum iuſſiſſe ἐκδεῖραι ζῶντα, καὶ τὸ μὲν σῶμα πλάγιον διὰ τριῶν σταυρῶν ἀναπῆξαι, τὸ δὲ δέρμα χωρὶς διαπατταλεῦσαι: *cutem viuo detrahi, & corpus quidem obliquum iacenſque tribus ſtipitibus ſiue crucibus infigi, pellem ſeorſim in palo poni.* Video & inter duos palos diſpeſſis manibus pedibusque alligatos, vt in Martyrologio, de Anaſtaſiâ : *Manibus & pedibus extenſis ligata eſt ad palos.* Video & inter arbores appen- *Obliqua infixio.* *Decuſſata.*

 ſos, &

ſos, &, reductis iis, ſciſſos. De Coronâ martyre: *Ipſa inter arbores ſciſſa, Victor autem decollatus eſt.* Quod ipſum Schema ad Cruces referendum Propertio facilè accredam, qui ſic appellat: Martyr. xiv. Maij.

Arboreaſque cruces Sinis, & non hoſpita Grais
Saxa, & curuatas in ſua fata trabes.

Senecam etiam huc traham, ſi fidem libris priſcis habeo; qui inter genera Crucium recenſet, *diſtracta in diuerſum actis cruribus membra.* Ita libri inquam, quos ego vidi. Eſt tamen vulgò *curribus*, bono & ſuo ſenſu. ad Metium enim reſpiciat: etſi vetus deſitumque id ſupplicium, nec inter vſitata fortaſſe ibi referendum. Epiſt. xiv.

Cap. x.

De modo qui Fine diuerſus. primùm de his qui in Cruce vſtulati.

Tertivs figendi modus Rarior, qui *Fine* diuertit à vulgato. Quem intellego, cùm *cruces aliò ſpectant, & hominem capiunt moriturum in ipſis, non per ipſas.* In exemplis diſces. Tale, cùm appenſi flamâ aut fumo necati. Olim factum ex Cicerone diſcas: qui fratrem obiurgans, *Quid opus fuit*, inquit, *eiuſmodi litteris, quas ad ipſum miſiſti? Illum crucem ſibi conſtituere, ex quâ tu eum antè detraxiſſes. te curaturum fumo vt comburatur, totâ plaudente prouinciâ.* Verba Quincti & minæ eò ſpectant, vt homo in cruce fixus vſtuletur fumo. Alexander etiam Imp. quempiam qui fumum vendiderat, quaſi cōpari pœnâ affecturus, *ad ſtipitem ligari præcepit, & fumo appoſito quem ex ſtipulis & humidis lignis fieri iuſſerat, necauit, præcone dicente, Fumo punitur qui vendidit fumum.* Atq; in Martyribus noſtris hoc genus crebrum. Acta vetera de Pionio: *Confixus clauis in cruce, aggeſtis lignis, flamâ combuſtus eſt.* Nec aliter Polycarpus mortuus, antiſtes Smyrnæorum. ipſi in epiſtolâ: Μελλόντων δὲ αὐτὸν καὶ προσηλοῦν, εἶπεν, Ἄφετέ με οὕτως. ὁ γὰρ δίδους ὑπομεῖναι τὸ πῦρ, δώσει καὶ χωρὶς τῆς ὑμετέρας ἐκ τῶν ἥλων ἀσφαλείας ἀσκύλτως ἐπιμεῖναι τῇ πυρᾷ. Οἱ δὲ οὐ καθήλωσαν, προσέδησαν δὲ αὐτόν: *Cùm pararent eum cruci ſuffigere, dixit, Relinquite me ſic. qui enim dedit exſpectare ignem, dabit & ſine veſtrâ clauorum firmitate, ſolutum manere in rogo. Illi autem non confixerunt eum, ſed ligarunt.* Quin vno

Fumo necati in cruce. Lib. I. ad Q. Frat. epiſt. II. Lampr. in Alex. *Aut flamâ* Apud Euſeb lib. IV. cap. XV.



Martyrol. XXIII. Iunij.

vno etiam tempore plures, *appenſi pedibus in ſublime*(nota hîc & Schema inuerſum) *capite verſo deorſum, ſuffocati fumo, et lento igne conſumpti ſunt.* Non ergo iniuriâ Tertullianus ſcripſit: *Licet nunc Sarmentitios & Semaxios appelletis, quòd ad ſtipitem dimidij axis reuincti, ſarmentorum ambitu exurimur.* ſignificat enim adeò crebrum in maiores illos noſtros & in religione proceres ſuppliciũ hoc fuiſſe; vt in illudium conuitiumq; venerit; & Chriſtiani vulgò *Semaxij*, à ſtipite cui aſtringebantur, & *Sarmentitij*, à ſarmentis quibus vrebãtur, ſint dicti. Atque hoc eſt quod *Axem* vocat alibi *incendio conſtrictum*, id eſt, ad incendium iam cum homine ligatum.

Apolog. cap. vlt. — *Tertullianus explicatus.*

Lib. de pudicit. cap. vlt.

CAP. XI.

De his qui beſtiis in Cruce obiecti.

CRVX & iſta *Fine* alia, cum homines in eâ fixos beſtiis obiiciebant. In publicis ſpectaculis id ſæpe factum. *Beſtiis obiecti in cruce.* Epiſtola Lugdunenſium, de Blandinâ Martyre: Βλανδῖνα ἐπὶ ξύλου κρεμασθεῖσα προὔκειτο βορὰ τῶν εἰσβαλλομένων θηρίων. ἣ καὶ διὰ τοῦ βλέπεσθαι σταυροῦ σχήματι, καὶ διὰ τῆς εὐτόνου προσευχῆς, πολλὴν προθυμίαν τοῖς ἀγωνιζομένοις ἐνεποίει: *Blandina in ligno ſuſpenſa proſtituta eſt eſca & laniena incurrentium ferarum. Quæ & quòd in ſpecie Crucis videbatur, & ob continuam orationem, multam alacritatem iniiciebat certantibus.* Sed factum & non Chriſtianis. vt illi apud Martialem Laureolo:

Apud Euſeb. lib. v. cap. I.

Lib. I.

Qualiter in Scythicâ religatus rupe Prometheus
Aßiduam nimio pectore pauit auem,

 Nuda

Nuda Caledonio ſic pectora præbuit vrſo
Non falsâ pendens in cruce Laureolus.

Martialis explicatus. Nec ſatis capiunt, certè non reuelant, interpretes. Vult, quempiam ſuſtinuiſſe velut in fabulâ perſonam Laureoli: & cùm is pro argumento crucifigendus eſſet, ſed in ſpeciem & moris cauſsâ: rem ex fabulâ Titus fecit, & noxium quempiam ita fixit, & fixum beſtiis etiam obiecit. Dico *obiecit.* atque ita propriè: aliud eſt, dare ad beſtias. Vopiſcus in Aureliano: *Sanè Mneſtheus poſteà ſurrectus ad ſtipitem, beſtiis obiectus eſt:* Surrectus, valet rectus ligatus. *Tertullianus,* Hic eſt *ſtipes*, quem Tertullianus appellat *Leoni conceſſum.* Ita lego, non *Leone*, libello De Pudicitiâ extremo. *Et Suetonius.* Atq; ad hunc ipſum morem infamis & infanda illa turpitudo Neronis: *quâ viros feminaſq; ad ſtipitem deligatos, ipſe feræ pelle contectus, emiſſus è caueâ,* medios inuadebat. Xiphilinus è Dione: Μειράκια καὶ κόρας σταυροῖς γυμνὰς προσδέων, θηρίου τέ τινος δορὰν ἀνελάμβανε, καὶ προσπίπτων σφισὶν ἠσέλγαινεν, ὥσπερ τι ἐσθίων. Sueton. cap. XLIX. In Neron.



CAP. XII.

De mortuorum in Cruce ſuſpenſione.

Mortui in Crucem dati. Ac poſtremò Crux *Fine* alia, cùm non viui ſed mortui in eâ appenſi. Notabis. & quod nobis ſollenne in rotâ exponere ſupplicio iam affectos, ad notam ſceleris & infamiam, id olim in Cruce, & Orientalibus præſertim. De Romanis nondum legi. niſi quòd Cæſar *piratas, à quibus captus eſſet, cùm in deditionem redegiſſet, quoniam ſuffixurum ſe cruci* Sueton. ca. LXXIV.

cruci iurauerat, iugulari priùs iuſſit, atque ita ſuffigi. Sed id per clementiam, & vt ſubtraheret diuturnæ pœnæ. Alij per ſæuitiam & ad infamiam, vt dixi. Ita Carthaginenſes in Hannone. *Plerumque poſt mutilationem.* Iuſtin. lib. xxi. *qui captus virgisque cæſus, effoſſis oculis, & manibus cruribuſque fractis, velut à ſingulis membris pœnæ exigerentur, in conſpectu populi occiditur: corpus verberibus lacerum in cruce figitur.* * Cap. 11. huius libri. Idem Paryſatis in Eunucho, de quo* ſuprà. Item Ptolomæus Ægypti rex, in Cleomene. qui etſi manu ſuâ animosè cecidiſſet, tamen προσέταξε τὸ σῶμα κρεμάσαι καταβυρσώσαντας: *iuſſit corpus crucifigi, cùm cutem priùs detraxiſſent.* Vbi obſeruo obiter, antiquum hunc morem excoriandi in ſuppliciis, Ægyptiis Perſisque fuiſſe, quem & hodie Ægyptij tenent. *Deglubere olim crebrũ Orientalibus.* nam graſſatores ſicariosque ita puniunt, diu viuos, donec ad vmbilicum carnifex perueniat: quod narrat Iohannes Leo, qui cum fide ſatis & iudicio res Africæ & Ægypti ſcripſit. Nec cadauer ſolùm, ſed imagines ſublatæ in crucem. exemplo in Celſo: cuius *corpus à canibus conſumptum eſt, & nouo iniuriæ genere imago in crucem ſublata.* Auctor Pollio in XXX. tyrannis.

CAP. XIII.

E quo ligno Crux fuerit? Item in monte plerumque defixam, ipſam ſæpe altiuſculam.

PEREGIMVS, de Formâ & Modo: duo velut ſucciſiua & extra diuiſionem relicta; nunc adiungo *Materiam* & *Locum.* E quâ materie Crux? ex obuio & prompto aliquo ligno. E quâ noſtri Seruatoris? cenſemus è quercu. *Crux Chriſti è quercu* Primùm quia viri fide digni aſſerunt, fruſta ſacratiſſimi huius ligni quæ hodie exſtant, ſpeciem hanc referre. Tum, quia crebra & frequens in Iudæâ olim & nunc quoque illa arbor. Tertiò, quia robuſtum lignum & fixioni laturæque aptum. Itaque Silius in eo etiam crucifigit.

Lib. 1. *Quem poſtquam diro ſuſpenſum* * *robore vidit.*

Iterum:

Ibidem. *—— Erecto ſuffixum robore mæſtis*
Oſtentabat ouans populis.

* poſſis tamen pro quouis ligno capere, more poëtarum.

* Cedrum, Palmam, Cupreſſū, Oliuam. *Cruces vbi?* Nam quòd ſuperioris aliquot æui ſcriptores tria aut* quatuor genera ligni in Cruce dominicâ agnoſcunt, curioſè magis dictum arbitramur quàm verè. At quis *Locus* cruci? Incertus, & pro arbitrio: tamen plerumque conſpectus aliquis, & iuxta vias. *Iuxta vias.* Exempla enim exempla eſſe deſinunt; niſi aliorum animum oculoſque in ſe vertant. Quinctilianus: *Quoties noxios crucifigimus, celeberrimæ eliguntur viæ, vbi plurimi intueri, plurimi commoueri hoc metu poſſint.* Declam. CCLXXV. Ita Alexander Imp. Eunuchum *in crucem tolli iuſſit per eam viam, quâ erat ſeruis ſuis ad ſuburbana Imperatoria iter frequentiſſimum.* Quin-etiam opida, certa loca habuiſſe videntur, huic rei adtributa. Sic Mamertini, *more atq; inſtituto, crucem fixerunt in viâ Pompeiâ.* Cic. v. in Verr. Sic Romæ iuxta Vrbem Tacitus agnoſcit *Locum ſeruilibus pœnis ſepoſitum:* Annal. xv. quod de Cruce & Crurifragio interpretamur. *In alto.* Hac ipsâ de cauſsâ poſita ea ſæpe in monte. Vt Seruatoris noſtri, in Caluariæ: vt Polycratis, *in excelſiſſimo Mycalenſis montis vertice.* Valer. lib. VI. cap. vlt. Quin ipſa ſæpe alta, præſertim in noxio aliquo inſigni. Irriſio Galbæ huc pertinuit. qui cuidam *imploranti leges & ciuem Rom. ſe teſtificanti, quaſi ſolatio & honore aliquo pœnam leuaturus, mutari, multoque præter ceteras altiorem, & dealbatam, ſtatui crucem iuſſit.* Sueton. cap. IX. Altiorem, vt digniori; albatam,* vt ciui, qui in veſte albâ. *Siue etiã, vt magis notabilis conſpicuaque eſſet. Tale in Iuſtino, de Carthalone: quem pater, *cum ornatu ſuo, in altiſſimam crucem, in conſpectu vrbis ſuffigi iuſſit.* Lib. XVIII. Et Pœni factitarunt in Regulo. Apud Silium:

—— vidi cùm robore pendens
Italiam cruce ſublimis ſpectaret ab altâ.

Ipſæ cruces ſæpe altæ. Iam illa Amanis prealta: qui Mardochæo *crucem quinquaginta cubitorum* poſuit, ſed ipſi aſcendendam. In Eſthere cap. VI. & VII. Sanè pleræque omnes altiuſculæ. atque ideò communiter Tertullianus: *Timebit forſitan caro gladium grauem, aut crucem excelſam.* Ad Mart. cap. IV. Quam ipſam rationem Lactantius in Dominicâ aſſignat. *Nam quoniam,* inquit, *is qui patibulo ſuſpenditur, & conſpicuus eſt omnibus, & ceteris altior: crux potiùs electa eſt, quæ ſignificaret illum tam conſpicuum tamque ſublimem futurum, vt ad eum cognoſcendum pariter & colendum cunctæ nationes ex omni orbe concurrerent.* Lib. IV. cap. XXVI. *Crux omnia amplexa.* O inopinatam, ſed veram dictionem! cui fides maximè

maximè noſtro æuo facta: cùm, virtute & gloriâ magnâ Hiſpanicæ gentis, Nouus etiam orbis venit in Chriſtianas leges.

CAP. XIV.

Crux ſublata, atque etiam Crurifragium fortaſſe. Quando id factum, quæſitum.

NVNC pedem in vltimo velut ſpatio pono, quod eſt *Quatenus* Crux vſurpata. Poſtquam enim Vitam ipſam interfecit, non diu illi vita: & ſuſtulit ex humanis, aut certè Romanis rebus, Conſtantinus. Seriò iam ille Chriſtianus, noluit ſalutare ſignum ſubſeruire ad perniciem; & colendum illud atque eximium, pœnis vileſcere damnatorum. Ergo ſuſtulit. Victor: *Vetus veterrimumque ſupplicium patibulorum, & cruribus ſuffringendis, primus remouit.* Caſſiodorus: *Supplicium Crucis, quod primitùs apud Romanos erat in vſu, lege prohibuit.* Atque efficaciter etiam ſuſtulit: nec poſteà reperies reductam. Auguſtinus: *Anteà homines cruci figebantur; quod poſteà edicto prohibitum, manet.* Scholiaſtes Iuuenalis ad illud —— *Partemq; cadaueris adfert,* notat: *Hominum.nam antiqui crucibus figebant.* Non ergo eius æuo. atq; ex eo diſcas non nimis antiquum ipſum, etſi antiqua doctum. Quando autem ſuſtulit? ſerò, nec niſi ſub imperij extrema. Colligo, quia illo iam imperante mentio etiam crucium: quid, quòd apud ipſum? Lex in eius nomine exſtat Theodoſij Codice: quâ ſerui ac liberti, *qui dominos aut patronos accuſare aut deferre tentauerint, denegatâ audientiâ, patibulo adfiguntur.* Iam Iulius Firmicus, qui eius regno ſcripſit, non ſemel Crucis meminit vt recepti ſupplicij atque vſitati. Suprà exempla reperies, atque adde iſtud de latronibus: *Hi*, inquit, *in crucem tollentur, aut publicâ animaduerſione damnati crudeliſſimâ nece peribunt.* Atquin illa ipſa Firmicus ſcripſit, ſub finem eius imperij, & liberis iam adultis. Diſces ex fine libri primi. Ergo ſerò, vt dixi, & ſub vitæ finem. Indicat clarè Sozomenus, qui inter omnes ab eo leges hanc recenſet poſtremam. Ἀμέλει τοι πρότερον, inquit, νενομισμένην ῥωμαίοις τὴν τοῦ σταυροῦ τιμωρίαν

Conſtantinus crucem è ſuppliciis tulit.

In Conſtant.

Hiſtor. Tripar. cap. IX.

Quæſt. in Vet. Teſt.

Tempus inueſtigatum.

Lib. IX. Tit. V.

Lib. VIII. cap. XX.

Lib. I. cap. VIII.

μωρίαν νόμῳ ἀνεῖλε τῆς χρήσεως τῶν δικαστηρίων: *Denique priùs vſitatam Romanis crucis pœnam, lege ſuſtulit ex vſu tribunalium ac iudiciorum*. Ait, δικαστηρίων: an hoc indicans, quòd nondum ſublata ex vſu omni priuato? & quòd dominis etiam in ſeruos vetus ſuum ius? cogitandum ſit. Sicut & illud, ſatíſne Victor ex vero de Crurifragio pariter ſublato ſcripſerit, verbis quæ iamantè dedi. Ratio vix eſſe videtur. Quid enim Cruci aut Chriſto etiam cum Crurifragiò? niſi quia latrones fortaſſe iuxta Chriſtum. Ridiculum videatùr. & ſi fuit; illud magis ſit, quòd martyres multi eo tætro ſupplicio ſint interfecti. Sed profectò ſub Conſtantio eius filio viuum id reperio. *Apollinares ambo*, ait Ammianus, *pater & filius, vt mandatum eſt, fractis cruribus occiduntur*. Firmicus etiam agnoſcit: *Hi tales aut in crucem tolluntur, aut illis crura publicà iudicum animaduerſione franguntur*. Vbi notabis, palàm, vt diuerſum, à cruce ſeiungi: quod ſuprà monui.

Appenſa verba Sozomeni.

An Crurifragium vnà ſublatum.

Lib. XIV.

Lib. VIII. cap. VI.

Cap. XV.

Honores quos Conſtantinus Cruci habitum iuit. Signis ea & vexillis impoſita, aut inſerta.

Hic exitus Pœnalis Crucis fuit: & iam à Conſtantini primordiis Salutaris noſtra cœpta honorari. Cauſſa & origo à victoriâ contra Tyrannum. Nam cùm Maxentium aggreſſurus eſſet, ἀγωνιῶντι διὰ ταῦτα, τύπος αὐτῷ σταυρικὸς μεσούσης ἡμέρας δι' ἀστέρων ἐφάνη κατ' οὐρανὸν, καὶ γραφὴ περὶ τὸν σταυρὸν ῥωμαϊκοῖς στοιχείοις, Ἐν τούτῳ νίκα. Ἐκ χρυσοῦ τοίνυν αὐτίκα σχεδιάσας σταυρὸν κατὰ τὸν φανέντα τύπον αὐτῷ, καὶ τοῦτον κελεύσας στρατιᾶς αὐτοῦ προπορεύεσθαι, τοῖς τοῦ Μαξεντίου συρρήγνυται καὶ ὑπερτερεῖ: *ambigenti & animo anxio ob iſta, figura ei crucis media die, ſtellis effecta, apparuit in cælo, & ſcriptura circa eam Romanis litteris, In hoc vince. Igitur ex auro ſtatim ſubitario opere efformans crucem, iuxta ſpeciem quæ apparuiſſet, & hanc iubens prægredi exercitum, cum Maxentianis prœlium commiſit, & ſuperauit*. Itaque ſtatim victrix illud ſignum militaribus ſignis inſeruit, & maximè Labaro quod inter ea primum. Prudentius ad ipſam Romam:

Honos primus Cruci.

Zonar. in Conſtantino.

In ſignis militaribus

Contra Symmach.

Agnoſcas

Agnoſcas Regina lubens mea ſigna neceſſe eſt,
In quibus effigies crucis aut gemmata refulget,
Aut longis ſolido ex auro præfertur in haſtis.

Dupliciter Poëta notat Crucem inſitam ſignis, ſemel in vexillorum purpurâ, gemmis intextam & expreſſam: iterum in haſtarum vertice ſuperſtantem, ſolido auro formatam. Sed, vt dixi, in Labaro maximè ea conſpicua. de quo Prudentius:


Chriſtus purpureum gemmanti textus in auro
Signabat labarum.

Quomodo Chriſtus? quia & nomen eius in ipſo velo expreſſum, & crux nihilominus in haſtâ. Euſebius diffusè: Ὑψηλὸν δόρυ χρυσῷ κατημφιεσμένον, κέρας εἶχεν ἐγκάρσιον, σταυροῦ σχήματι πεποιημένον. ἄνω δὲ πρὸς ἄκρῳ τοῦ παντὸς, στέφανος ἐκ λίθων πολυτελῶν καὶ χρυσοῦ συμπεπλεγμένος κατεστήρικτο. καθ' οὗ τῆς σωτηρίου ἐπηγορίας τὸ σύμβολον δύο στοιχεῖα, τοῦ Χριστοῦ παραδηλοῦντα ὄνομα, διὰ τῶν πρώτων ὑπεσήμαινον χαρακτήρων, χιαζομένου τοῦ Ρ κατὰ τὸ μεσαίτατον: *Sublimis haſta auro circumueſtita, cornu tranſuerſum habebat effictum in formâ crucis. Suprà verò, in ipſo culmine omnium, corona è lapidibus pretioſis & auro contexta infigebatur: iuxta quam ſalutaris appellationis ſymbolum, duæ litteræ Chriſti nomen exprimentes, per primos dumtaxat characteres, litterâ Græcanicâ* P *ſcilicet decuſſatâ & ſciſſâ per medium ipſo* X. Neque cruces modò ſignis inſeri voluit; ſed hoc amplius, ſolas: καὶ τῶν χρυσῶν ἀγαλμάτων, ὁποῖα πρότερον αὐτοῖς ἔθος ἦν, τὸ μηδέν: *& aurearum imaginum cuiuſmodi anteà ſolebant, nullas.* Intellegit aureas imagines vultusque Imperatorum. Forma ecce in Nummis.

Duplex nota in Labaro.

Lib. I. cap. xxv. De vitâ Conſtant.

Euſeb. De vitâ Conſt. lib. IV. cap. xxI.



Cap. XVI.

Crux in Militum armis: in Imperatorum capite & manibus; & pro inſigni.

Nec verò in Signis ſolùm Crux expreſſa,ſed etiam ipſorum militum armis. Euſebius: Ἤδη δὲ κἀπ' αὐτῶν τῶν ὅπλων τὸ τοῦ σωτηρίου τροπαίου σύμβολον κατασημαίνεσθαι ἐποίει: *Iam verò in armis ipſorum militum ſalutaris tropæi ſignum iuſſit exſtare.* Quibus armis? duplicibus,Clypeis & Galeis: ſed ita,vt Chriſti quidem ipſum nomen (litteris & notis, quibus in Labaro) clypeis inſcriberetur, Galeis autem imponeretur ſupernè Crux ipſa. Prudentius ſic diſcriminat: Ibidem.

In clypeis Chriſtus.

Crux in Galeis.

clypeo-

Contra Symmach.

——— *clypeorum inſignia Chriſtus*
Scripſerat, ardebat ſummis crux addita criſtis.

Et meritò Chriſtus in clypeis, eo ritu quo ſolent nomina Imperatorum. Atque etiam hodie Conſtantinopoli ſunt columnæ, à Conſtantino, vt putatur: in quarum baſibus clypei cum his notis 

Sed & crucem in ſuum caput & ad Diadema Imperator tranſtulit, hícne, an alius? In Hieronymo quidem lego: *Regum purpuras & ardentes diadematum gemmas patibuli Saluatoris pictura condecorat.* Et credo ab ipſo eſſe Conſtantino: qui, *& in figurationibus ſolidorum & imaginibus propriis ſignum crucis iuſſit inſcribi.* Id Sozomenus quoque aſſerit: Πλαττομένῳ τε ἐν νομίσμασι, καὶ εἰκόσι γραφομένῳ, ἐκέλευσεν ἀεὶ συγγράφεσθαι καὶ συντυποῦσθαι τοῦτο τὸ θεῖον σύμβολον· καὶ μαρτυροῦσιν εἰς ἔτι νῦν εἰκόνες αὐτοῦ ἐπὶ τούτου οὖσαι τοῦ σχήματος: *Impreſſo autem ſibi in nummis, aut picto in imaginibus, iuſsit ſemper adprimi & adpingi iſtud diuinum ſymbolum: & teſtantur etiamnunc imagines quæ in eo ſchemate exſtant.* Statuam etiam ſibi erigi fecit Romæ in vrbe mediâ, quæ manu hoc ſalutare ſignum teneret, cum inſcriptione quam apud Euſebium, qui volet, leget. Et exemplum ſecuti Imperatores alij, in quorum * Nummis hodieque cruces variè videmus. Aliâs victoriæ ſunt quæ manu eas leuent; aliâs ipſi, idque dupliciter. aut enim ſolam eam geſtant, aut globulum cui ea infixa. De globulo Suidas etiam tangit, & cauſſam aperuit, in Iuſtiniano. Qui, inquit, ἔστησε τὴν ἑαυτοῦ εἰκόνα ἐπὶ κίονος ἐφ' ἵππου. καὶ τῇ μὲν ἀριστερᾷ χειρὶ φέρει σφαῖραν, ἐμπεπηγότος τοῦ σταυροῦ ἐν αὐτῇ, ὑποσημαίνοντος ὡς διὰ τῆς εἰς τὸν σταυρὸν πίστεως, τῆς γῆς ἐγκρατὴς γέγονε, σφαῖρα μὲν γὰρ ἡ γῆ, διὰ τὸ σφαιροειδὲς τοῦ αὐτῆς σχήματος. πίστις δὲ ὁ σταυρὸς, διὰ τὸν ἐν αὐτῷ σαρκὶ προσηλωθέντα θεόν: Iuſtinianus *imaginem ſuam poſuit ſuper columnam in equo. Ea ſiniſtrâ manu fert globum, cruce in eo infixâ: ſignificante quòd per fidem in crucem, terræ dominus ſit factus. Globus enim terra eſt, ob hanc eius rotundam formam: fides autem crux, ob Deum qui carne in eâ affixus.* Nec tamen Iuſtinianus inuenti eius au-

Epiſt. ad Lætam.

Hiſtoria Tripart.

Lib. I. cap. IX.

De vitâ Conſt. I. cap. XXXIII. & alibi.

Crux in Diademate

Et in effigie Imperatoris.

Manu eam tenet.

* Etiā quorumdā, qui nec Chriſtiani. Occo notat in *Gallieno & Romulo* Auguſtis.

In globo fixa.



Heraclij Imp. nummus aereus.

ctor: exſtant Theodoſij aliorumque nummi ſic inſigniti diu ante illum. Quin obſeruo Principes Byzantinos in progreſſibus publicis crucem hanc prætuliſſe ſuâpte manu. Ioannes Curopalates: Ἀπὸ μὲν οὖν τῶν τοιούτων φορημάτων φορεῖ ὁ βασιλεὺς οἷα ἂν βούλοιτο, τὸν δέ γε σταυρὸν ἐν δεξιᾷ φέρει αἰεί. *E reliquis geſtaminibus geſtat Imperator quæ voluerit cunque: Crucem autem dexterá ſemper geſtat.* Atque infrà: Καὶ τῇ μὲν δεξιᾷ χειρὶ κατέχει τὸν σταυρὸν, ὡς συνηθές ἐστι κρατεῖν τὸν βασιλέα ὅταν καὶ τὸ στέμμα φορεῖ: *Et dextrá quidem manu tenet crucem, ſicut ſollenne eſt teneri ab Imperatore, quoties & Stemma fert*, id eſt diadema. Ab hoc ritu etiamnunc crucifer ille globus inter Sacri illius Imperij inſignia: quod tu RVDOLPHE CAESAR per tot inclytos maiores ad te miſſum tenes, tenebisque diu (ita voueo) bono Chriſtiani orbis.

Lib. De Offic. Aulæ. Conſtant.



CAP. XVII.

Laudatiuncula Crucis.

SED iam mihi ſalue

Ὦ ξύλον μακαριστόν, ἐφ' οὗ θεὸς ἐξετανύσθη. Sibylla apud So-

O lignum felix, in quo Deus ipſe pependit. zom. 11.

Quod his elogiis cum Damaſceno lubens meritò afficio, cap 1.

Θυρεὸς καὶ ὅπλον καὶ τρόπαιον κατὰ τοῦ διαβόλου, σφραγὶς ἵνα μὴ θίγῃ ἡμῶν ὁ ὀλο- Lib. IV. De Orig. Fide.
θρεύων, τῶν κειμένων ἀνάστασις, τῶν ἑστώτων στήριγμα, ἀσθενῶν βακτηρία, ποιμαινομένων ῥάβδος, ἐπιστρεφόντων χειραγωγία, προκοπτόντων τελείωσις, ψυχῆς σωτηρία καὶ σώματος, πάντων τῶν κακῶν ἀποτρόπαιον, πάντων τῶν ἀγαθῶν πρόξενος, ἁμαρτίας ἀναίρεσις, φυτὸν ἀναστάσεως, ξύλον ζωῆς αἰωνίου: *Clypeus & armatura & tropæum contra diabolum, ſignaculum ne tangat nos euerſor, iacentium erectio, ſtantium fulcrum, infirmorum ſcipio, paſtorum virga, reuertentium manuductio, proficientium perfectio, animæ conſeruatio & corporis, omnium malorum auerſio, omnium bonorum conciliatio, peccati pernicies, ſtirps reſurrectionis, lignum vitæ æternæ.* Da hanc nobis ô ÆTERNE.

FINIS LIBRI III.

DE CRVCE.

IVSTI

IVSTI LIPSI AD EOSDEM LIBROS NOTÆ.

ALLOCVTIO.

AD TEXTVM *etiam meum, Lector, viſum fuit breuiter hæc notare. Cur non in ipſo? quia non pro omnium guſtu hæc talia, & pleriſque ſatis eſt capita rerum delibaſſe. Cauſſa etiam, quia placuit quædam explicatiùs aut firmiùs iterare. Debui ſanè, vt hoc æuum eſt: in quo calumniæ, vt ille inquit,*

Quaſi herba irrigua, ſuccrerunt vberrimè.

In culpâ ſumus, ſiue quid commiſimus, ſiue etiam omiſimus: & pleriſque pulchrum, non niſi *τὰς ἀκάνθας τῶν βιβλίων ἐκλέγειν. *Ego verò ſcio* neminem eſſe tam felicem, qui non ſubiectus ſit errori, & hoc nō dementis eſſe proprium, verùm hominis. *Itaque ne nunc quidem cùm caueo, ſatis cauero: vtique in iſto vario & diffuſo ſcribendi genere, in quo,* alius alio plura inuenire poteſt, nemo omnia. *Quo magis mirum, quoſdam nobis inſultare: nec cogitare quàm multa ipſi fortaſſe non repperiſſent, ſi primi quæſiſſent. Non ſum tam Lynceus, inquiunt, quàm mihi videor. Egóne? teſtor te ſumme Deus, non videor: & ſiquid olim in calidâ illâ ætate calidius, abiit, & veris me pretiis nunc æſtimo & pendo. Quò longiùs in hac vitæ viâ progredior, magis magiſq́; aſpicio circumfuſam animo caliginem, corpori imbecillitatem. Heracleitus, vt opinor, olim dicere ſolitus,* Se cùm iuuenis eſſet, nihil ſcire; cùm ſenex, nihil ignorare: *mihi planiſſimè contrà euenit, &*

* Spinas librorum eligere.

qui

qui olim aliquid ſcire viſus, nunc parum aut nihil. Et ô miſeri, quid nos, doctrina, fama ſumus? Ipſi puluis, illa opinio, iſta ventus. Atqui etiam tangunt quaſi manum iniecerimus ſcriptis alienis. Vellem parcius: certè non merito meo fit, qui prolixè & libenter honorem ingeniis inuentoribusq; habitum iui, niſi ſicubi Dialogorum ratio & decorum id impediuit. Tale in Saturnalibus. neque negamus virũ magnum multa ante nos in eo argumento obſeruitaſſe: ſed ſcripta eius exſtant; quid detraximus? Illud tamen non arbitror, ibi aut alibi inſigniorem notam aut correctiunculam mala fraude in nomen meum tranſſcriptam. Tetigit aliquis hanc aut illam materiam? quid tum? ego fortaſſis impleui. Et vt ſeriò loquar, lectionis aut collectionis tota iſta res eſt: cur alteri imputemus? Tot iam annos, imò luſtra, in iiſdem illis ſcriptoribus verſor, voluo reuoluo in eaſdem curas: malè me hercules de induſtriâ ingenioq; noſtro ſentit, quiſquis aut non lecta ea nobis cenſet, aut neglecta. Vt è fonte quod haurimus, noſtrum eſt, quiſque tamen ſuo vaſe: ſic quod è communibus illis ſcriptoribus, ſed quiſque pro iudicij ſui modo. Denique legere, aut colligere parum eſt: ſeligere, diſponere, eloqui, poſcit laudem. Hæc & talia ſatiare nos ſcriptionis poterant: melior ratio reuocauit, & ſuaſit publico prodeſſe quâ poſſum. Opes atq; arma noſtra, ſtilus. Quem tamen in alium numquam ſtringam aut proferam: abſit: Chriſtianum me commemini, id eſt, Sacerdotem pacis. Habet quidem gloria, *ait Plinius*, præſertim in ſtudiis, quiddam * ἀκοινώνητον: *nolo in me expetat. & quandocumque moriar, feram mecum hanc conſcientiam, nullius me famæ inuidiſſe, quoſdam meæ. Quod ſi æuum hoc parum etiam gratum ſit: quid noui?* Suum cuique pretium poſteritas rependet. *Tu Lector vale, & iuuantem, aut certè volentem, ama.*

* *Inſociabile.*

NOTÆ

NOTÆ AD LIB. I.

CAPVT II.

GABALVM.] Exoticam vocem eſſe per me ſuſpicabar, didici & Hebræam origine à Mart. Antonio Delrio, doctiſſimo & amiciſſimo viro. nam illis *Gab*, excelſum: *Gabal*, terminus, aut rectus ſtipes in agris. Quid niſi tale crux, quæ erecta, & in excelſo? Reperio & in Perſicarum vocum indice (à Franc. Raphelengio noſtro habui) *Gali* notare excelſum. Iam noſtras vox quantulum abit, qui patibulum *Galgam* appellamus? Sed nec Gallica valdè abludit.

Cruces Caucaſorum.] Potes pro ipſis ſuppliciis accipere, & cruciariâ morte. Auſonius de hac quoque Prometheâ:

Sic inter rupes Scythicas ſtetit alitibus crux.
Vnde Prometheo de corpore ſanguineus ros.

Iunius Baſſus apud Senecam lib. I. Controu. III. *Nihil amplius putabam adiici iſtius audaciæ poſſe, quàm quòd in illâ cruce Veſtam nominauerat.* Nuſquam ſanè crux, ſed virgo deiicienda de ſaxo erat, Veſtam inuocauit, & cecidit illæſa.

AD CAP. III.

Confixum eſſe Chriſto dicit.] Eſt illud Pauli ad Romanos cap. VI. Ὅτι ὁ παλαιὸς ἡμῶν ἄνθρωπος συνεςαυρώθη.

Cruciarius.] Quo modo & *Verberonem, Flagrionem, Maſtigiam* dicimus, verbere, flagro, maſtige dignum. Tertullianus aliter hac voce vtitur. *Febris per cruciarios & mortiferos exitus erogat hominem*: id eſt, cruciantes. Quâ mente & *Vinum crucium* in Lucilio Feſtus obſeruat, inſuaue, acerbum.

AD CAP. IIII.

Σταυρὸς & Σκόλοψ.] Nec tamen nego pluribus etiam verbis in hanc rem vti. Ecce & Ικρίον appellant crucem. Scriptor anonymus apud Suidam: Ικρίῳ Ιουδαῖοι τὸν σωτῆρα προσήλωσαν: *Ligno recto Iudæi Seruatorem affixerunt*. Sunt qui ita hoc verbi explicent & vertant in Thucydidis vitâ quam ſcripſit Marcellinus: Ικρίον ἐπὶ τοῦ τάφου κεῖσθαι. τοῦ κενοταφίου δὲ τοῦτο γνώρισμα εἶναι ἐπιχώριον καὶ νόμιμον ἀττικὸν τῶν ἐπὶ τοιαύτῃ δυςυχίᾳ τετελευτηκότων, καὶ μὴ ἐν Ἀθήναις ταφέντων: Ait quoſdam opinari Thucydidem peregrè & in exſilio mortuum. *Lignum enim ſiue Tabulam ſuper ſepulchrum eius poſitum eſſe. Hoc autem inanis & honorarij tumuli patrium ſignum & ſollenne Atticum haberi, in iis qui tali infortunio obiiſſent, nec Athenis ſepulti eſſent.* Sunt, inquam, qui *Crucem* aut *Furcam* vertant, nec mihi probant. Magis eſt, vt Ικρίον hîc lignum nauale ſit (peregrinantis, aut abſentiæ indicium, quoniam mari ferè ex Atticâ abitur) de quo Heſychium vide. Ille idem Grammaticus addit: Ικρίον, σανίδωμα, ἢ ξύλον ἐν ᾧ κακοῦργοι ξέονται. Melius δέονται. id eſſet, *lignum ſiue axis in quo malefici ligantur.*

Ex verſu 174. Atque ita Euſtathius in Iliad. x. Σανὶς, ἐν ᾗ τοὺς κακούργους ἔδουν. *Aſſer, in quo maleficos ligabant.* Item Ariſtophanes: βασανίζων πάντα τρόπον, ἐν σανίσι δήσας: *Omni modo torquens, in aſſere ligans.* Reperio & in Euſebio Ικρίον pro cruce, & ſuprà adduxi, lib. II. cap. XII. Σανίδα in hac re dixit Herodotus in extremâ Calliope: Ἀπαγαγόντες δὲ αὐτὸν ἐς τὴν ἀκτὴν, σανίδα προσπασσαλεύσαντες ἀνεκρέμασαν. Quod vertunt: *Adductum hunc in litus depactis humi aſſeribus ſuſpenderunt.* Vide an non σανίδι legas potiùs, hoc noſtro ſenſu: *Abducentes eum ad litus, aſſeri affigentes ſuſpenderunt.* Eſſet affixio in ſtipite ſimplex.

Κρεμᾶν.] Ita palàm Plutarchus in Cæſare, de piratis: πολλάκις ἠπείλησε κρεμᾶν αὐτούς: *Sæpe minatus crucifigere eos*, vt Latini omnes loquuntur & narrant. Eſt & Antiochi regis edictum, quo philoſophos regno pellit, & pœnam etiam affectantibus ponit iſtam: τῶν δὲ νεανίσκων ὅσοι ἐὰν ἁλίσκωνται πρὸς τούτοις γινόμενοι, διότι κρεμάσονται, καὶ οἱ πατέρες αὐτῶν ἐν αἰτίαις ἔσονται μεγίσταις: *Iuuenum verò quicumque reperientur apud iſtos, ij ſuſpendentur, & patres eorum hærebunt in maximâ noxâ.* Ita Athenæus recitat lib. XII. ſed vtrùm de hac noſtrâ in cruce ſuſpenſione, an de aliâ in trabe accipimus? in trabe, inquam, ad verberandum flagellandumque. quem morem Græcis Latiniſque fuiſſe, comœdiæ atque alia docent.

Aliorum inanes logos.] Ita verè, inanes. Nam Alciati quale eſt? Ait *Hiſtiæum Mileſium* intelligi, *quem Sardibus præpoſitum Artaphernes & Harpagus cruci fixerunt, capite deſecto & ad regem miſſo.* Ita Herodotus, inquit, libro ſexto. Quod verum eſt: ſed quid Hiſtiæo, cũ Achæo? Reſpõdet, *ideò ſic vocari a poëtâ, quia Hiſtiæus Mileſius fuit, Mileſij coloni Ionum, Iones Achæi. Ergo à patriâ, Achæus.* Quis color in hoc ſermone? Sed nec amicum noſtrum audio ſine auctore ſcribentem: *Achæum intelligi Lydiæ regem, qui ob auaritiam necatus in Pactoli aquis pependit.* *Lib. x. parerg. cap. xxiiij.*

Ad cap. V.

Memorem Veneris Proſerpina Adonim.] Auſonius fabellam aſpicit, quæ eſt iſta. Venus iam olim puerũ hunc deamauerat, & vt ſola frueretur, clàm depoſuerat apud Proſerpinam. Sed hæc mox in eâdem flammâ: ac repetenti Veneri negat dare. Lis eſt, itur ad Iouem. Ille rem ſic componit, vt Adonis, quod ad vſum, in tres anni partes ſecaretur. Primâ, vt Adonis, Adonidis eſſet: ſecundâ, Veneris: tertiâ, Proſerpinæ. Acquieuerunt. ſed enim Adonis pronior in Venerem, ſuum quoque trientem illi tribuit. Hæc Apollodorus lib. III. Bibliothecæ. Ergo iſtud eſt, quod Proſerpina nunc cruce vindicat. Theocritus & ipſe huc aſpexit. Eidyll. xv.

Ἕρπεις ὦ φίλ᾽ Ἄδωνι, καὶ ἐνθάδε κ᾽ εἰς Ἀχέροντα
Ἡμιθέων, ὥς φαντὶ, μονώτατος.
Migras, ô bone Adoni, iſthuc & ad infera regna,
Semideûm, vt dicunt, ſolus.

Nam vult non alteri conceſſum, vt modò ad inferos, modò ad ſuperos iret, & alternis copiam ſui faceret duabus deabus.

Arbores reciſas leuiter.] Ad has, vel ad nudum alium ſtipitem, alluſit

ſit Quinctius in epigrammate quo poëtam Græculum facetè eſt vltus. Ille Philippum & Macedones inſigni victoriâ fregerat, cuius laudem ad Ætolos transferre Alcæus quiſpiam voluit Græcâ leuitate. Scilicet quia in auxiliis Romanis fuerant Ætoli. Scripſerat igitur:

Ἄκλαυστοι καὶ ἄθαπτοι, ὁδοιπόρε, τῷδ' ἐπὶ τύμβῳ
  Θεσσαλίας, τρισσαὶ κείμεθα μυριάδες,
Αἰτωλῶν δμηθέντες ὑπ' Ἄρεος, ἠδὲ Λατίνων,
  Οὓς Τίτος εὐρείης ἤγαγ' ἀπ' Ἰταλίας:
Indefleti, inhumati, his campis ecce iacemus
  Theſſaliæ, cæſi millia ter decies,
Aetolo domiti ſub Marte, & Marte Latino,
  Quos Titus è latâ duxerat Italiâ.

En Ætolos Romanis prępoſitos, & quaſi hi acceſſio illorum. Momordit Titum, & vltus eſt, ſed verſus verſu, Reſcripſit alludens:

Ἄφλοιος καὶ ἄφυλλος, ὁδοιπόρε, τῷδ' ἐπὶ νώτῳ
  Ἀλκαίῳ σταυρὸς πήγνυται ἠλίβατος:
Corticibuſque & fronde carens, hæc monte, viator,
  Alcæo crux defigitur aëria.

Quibus verſibus ſignificat crucem defixam ibi ſtare, quæ hominem illum exſpectet. Plutarchum in Quinctio lege: & ſimul nota, altâ hîc Crucem poni, quaſi in ſcelere inſigni ſuo loco à nobis dictum.

Iſidem verò Cererem.] Ipſe Tertullianus hoc affirmat, de Coronâ militis: *Prima Iſis repertas ſpicas capite circumtulit*. nam quæ hæc Iſis quæ ſpicas repperit, niſi Ceres?

AD CAP. VI.

Neſcio an Mæcenati deſcripta.] Ambiguè profero, quia etſi Mæcenatis verba nobis faciunt, vix tamen Senecæ, qui velut interpretans ſubdit: *Suffigas licet, & acutam ſeſſuro* (ita legendum, non *ſenſuro*) *crucem ſubdas, eſt tanti vulnus ſuum premere & patibulo pendêre diſtrictum.* Atqui *pendêre*, & *patibulo* quidem, vix eſt vt conueniat in noſtrâ Acutam. Niſi ſi tamen patibulum etiam de vno ligno, in quo homo quomodocumque expanſus: quod haud nimis velim ſperni. Si diſplicet: alia interpretatio quærenda ſit crucis hîc *acutæ*. An ideò talis, quia cum dolore acri necat? vt morbi quidam acuti medicis. Lentè probem: & mauelim opinari genus aliquod crucium triſte, rarum, in quo ſtipes, cui homo acclinatur, ſtimulis clauiſque acutis ſit præfixus. vt cùm acquieſcere vellet (*ſeſſuri* vox in Senecâ) pungeretur ac ſcinderetur in corpore auerſo. Nihil ſuper hoc legi, fateor: commentum eſt merum, niſi ſi quid iuuat illa Reguli machina, quæ ſic armata, & in eam ipſe incluſus. Quæ etſi noſtra crux non fuit (aumarium potiùs quoddam & arca) tamen & *crucem* Seneca appellauit epiſtolâ XCVIII. itemque libro de Prouidentia cap. III. Certè quidem *Acutæ* vocem in Mæcenatis verſibus non ſic leuiter & in ventum additam, ipſe indicat Seneca, qui eam attollit ac repetit (tu vide) quaſi in eâ ſententiæ momentum.

Iam olim ſic legimus.] Nempe in curis ſecundis: idque è libris tantùm?

tùm? imò ante me Pincianus, vir fidei & iudicij bonus. Muretus tamen aliter: ſed qui benè examinat, ſtabit à noſtrâ. cuius ſententia, *Hanc vitam mihi ſuſtine & proroga, etiam ſedenti in acutâ cruce.*

AD CAP. VII.

Ipſi verterunt ξύλον δίδυμον.] Quod ipſum pro cruce poſuit incertus ſcriptor apud Suidam: Εὑρὼν δὲ Ἰλλοῦστον φθορέα, ἐκρέμασεν ἐπὶ διδύμου ξύλου: *Inueniens Illuſtum corruptorem, ſuſpendit in gemino ligno.* Id eſt *cruce*: etſi Suidas interpretatur, τὴν παρὰ ῥωμαίοις φοῦρκαν. Vide ipſum in voce Δίδυμον, & Ἰλλοῦστος.

Vt Chriſtum deformantes.] Puto ſcribendum, *vt Chi deformantes.* Intellego. X. litteram Gręcanicam, quæ verè figura manuum illarũ fuit.

AD CAP. VIII.

Penulæ aut manui.] In penulâ aut veſte monachorum crux, imò & cruces, ſi rectè capio Nicephorum Gregoram, qui ſic de Imp. Andronico monacho nouello: Ἄνω μὲν ἐρυθρὸν προὔθηκε τὸν τοῦ θείου σταυροῦ τύπον, κάτω δὲ μέλανα: *Supernè rubrum prætulit diuinæ crucis ſignum, infernè nigrum.* Duas diuerſi coloris cruces appoſitas videtur dicere: niſi tamen vnam intellegit, ſic diſtinctam. Quòd manu autem tulerint, hodieque in Æthiopibus ſiue Abyſſinis ille mos, vti vulgus reliquum cruces è collo pendulas geſtet, monachi hoc amplius etiam manu. Auctor Damianus à Goës in illorum rebus. Illud etiam mihi nouitium lēgi, miſeros oppreſſoſque cruces prætuliſſe, haud aliter quàm olim infulas & velamenta. Ligurinus lib. VIII. de Italis hoc notat, qui ius auxiliumque poſcebant ab Imp. Frederico:

———ex omnibus vndique multi
Vrbibus ac vicis aderant, queruloq; ferebant
Innumeras clamore cruces. hoc quippe querelas
More ſolent aperire ſuas.

Cum anulo vel anſulâ.] Anſulam Becanus facit, & interpretatur (ita ingenium & ſcopus viri fuit) μυστικῶς, quaſi moneamur apprehendere crucem, & eam tenere. Quid ſi oculum eſſe dicam? Iuuat aliquid Macrobius, qui inter notas Ægyptiacas refert, & ſignificare ait Solem. Lib. I. Saturn. cap. XXI. *Oſirim Aegyptij vt Solem eſſe aſſerant, quoties Hieroglyphicis litteris ſuis exprimere volunt, inſculpunt ſceptrum, inq; eo ſpeciem Oculi exprimunt, & hoc ſigno Oſirim monſtrant: quia Solem, Iouis oculum, appellauit antiquitas.* Et ſanè quia ſignum hoc Tau *Vitam venturam* deſignauit: nónne appoſitè Sol aſſcriptus, qui auctor vitæ?

AD CAP. X.

Vnicornis enim cornua.] Curioſè & pænè dixerim moroſè explicat Iuſtinus. ſimpliciùs multò Tertullianus aduerſ. Iud. cap. x. *Tauri decor eius, cornua vnicornis cornua eius, in eis nationes ventilabit pariter vſque ad ſummum terræ. Non vtique Rhinoceros deſtinabatur vnicornis, nec Minotaurus bicornis: ſed Chriſtus in illo ſignificabatur: cuius cornua eſſent crucis extima. Nam & in antennâ nauis, quâ crucis pars eſt, hac extremitates huius cornua vocantur; vnicornis autem medij Stipitis palus.*

*Ἄλων

*Ἄλλων μὲν καὶ τῶν τροπαίων.] Mutilus locus. & aptant quidem hæc ad tropæa vulgaria, ſiue monumenta victoriæ: ego cùm in verba intendo, ambigo: & neſcio quid de faſcibus potiùs ſubolet dictum. *Per illos* (ita verterim δι' ὧν) *progreſſus in publicum ſiunt*: illi verè *ſigna imperij & poteſtatis*. Atque cum inſertâ ſecuri, crucem referunt planiſſimè. Nónne etiam Tropæa? inquies. Quis neſcit? ſed præiuit fortaſſe aliquid de Tropæis illis: hic magis de faſcibus (mihi quidem) dixiſſe videtur. Nec moueor quod Τροπαίων voce vtatur: nónne & ſuprà Malum in naui ſic vocauit? & Euſebius etiam Labarum illum militarem. Poſſunt & verba alia excidiſſe. Nec pono tamen iſta, ſed propono.



Αὐτοκρατόρων ἀποθνησκόντων τὰς εἰκόνας.] Quæ illæ ſunt? quis me docet? In Nummis, in ſtatuis nihil tale video, nec vſquam in cruce propoſitos Principes defũctos. Subdubitabam an ad aquilas reſpiceret, quæ volantium habitu, & in cælum tendentium paſſis alis conſpiciuntur in Nummis, & additum CONSECRATIO. Scilicet quaſi Iouis illa ales animam defuncti ferret in gremium Iouis. Certè quidem eam formam crucis eſſe & Patres monent & res ipſa docet. Sed non placet. Hoc nunc magis, intellegere eum imagines defunctorũ Principum, quæ ordine innexæ in militaribus ſignis. Nec enim viuorum ſolùm illîc effigies, ſed magis mortuorum. De iſto ipſo æuo Conſtantini Euſebius, lib. II. De vitâ eius, cap. XVI. Deſcribit Licinij milites in pugnam, more veterum, id eſt, gentilium excuntes: οἱ δὲ, inquit, πολυπληθείᾳ θεῶν θαῤῥοῦντες σὺν πολλῇ δυνάμει χειρὸς στρατιωτικῆς ἐπῄεσαν, νεκρῶν εἴδωλα θανόντων ἐν ἀψύχοις ἀγάλμασι προβεβλημένοι: *Hi quidem numero deorum freti cum multâ manu militari ingruebant, mortuorum imagines in ſignis inanimatis præferentes*. Et ſcripſi de hoc more in Militiâ Romanâ. Ergo hoc Iuſtinus exprobrat, Vos, inquit, cruces colitis, cùm Imperatorum & quidem Diuorum imagines proponitis in haſtis & vexillis, quid niſi in crucibus? Nam ea illis figura. Reſpexi etiam aliquando ad Tertullianum, in Apologetico: *Quod non ſimulacrum priùs argilla deformat, cruci & ſtipiti ſuperpoſita?* Sed hoc diffuſum nimis eſt, nec tangit Imperatores tantùm.

AD CAP. XI.

Populariter & ad cauſſam Cicero dixerit.] Quòd hiſtoricâ fide, non opinor. Plinius non ei fautor lib. XXXVI. cap. XV. *Nouum & inexcogitatum anteà poſteaq; remedium inuênit ille rex* (Tarquinius ſuperbus) *vt omnium ita defunctorum figeret crucibus corpora, ſpectanda ciuibus, ſimul & feris volucribusq; laceranda.* Nam liquet eum loqui de mortuis & iis qui ſe interficerent laborum tædio, quos ille crucifixit. At non id in viuis vſurpauit primus, vt ait, vltimuſque.

Arboribus ſuſpendunt.] Haud iniuriâ ambigo, ad vtram pœnam referam, laquei, an Crucis. Nam nec verba alterutrùm euincunt, nec alia exempla. Lego in Martyrologio, die XIIII. Martij, de duobus

Monachis, *quos Longobardi ſuſpendio necauerunt in arbore.* In ipſis Longobardorum Legibus, Tit. C.XIIII. *Si ſeruus regis Morth fecerit, ita decreuimus vt componatur ipſa perſona ſicut adpreciatus fuerit: & ſeruus ipſe ſuper foſſam mortui appendatur, & in eum vindicta detur, & ſit cauſſa finita*. Plurium (antiquorum quidem) nunc non memini: & hæc ipſa incerta, nec diiudicauerint litem.

IVSTI LIPSI
NOTÆ AD LIB. II.
CAPVT II.

CAPVT *obnubito.*] Quod pleriſque puniendis factum, præſertim ſi gladio. Hegeſippus lib. v. cap. XLVII. *Dum percuſſor moratur, clauſis iam faſciolâ oculis, ſeſe proripuit ad Romanos*. In vitâ Cypriani: *Poſteà verò B. Cyprianus manu ſuâ oculos ſibi texit.* Sed & cùm ducerentur ad carcerem, aut ad mortem, caput tegebatur. Tacitus IIII. Annal. *Trahebatur damnatus, quantum obductâ veſte & adſtrictis faucibus niti poterat, clamitans*. Ammianus lib. XIIII. *Carnifex rapinarum ſequeſter, & obductio capitum, & bonorum vbique mulctatio*. Imò & torquendis hoc factum. In Curtio lib. VI. de Philotâ. *Dum obligantur oculi, dum veſtis exuitur, deos patrios, gentium iura inuocabat*. Propriè autem de crucifigendis, vetus illud carmen quod iam explico: & in libro Eſther, cùm Aman ad crucem rapitur, *Statim operuerunt faciem eius*.

AD CAP. III.

Ἀστραγαλωτὰς μάστιγας.] Addo, ſi noſſe lubet, quaſdam etiam dictas στραγγαλωτὰς, iſtis haud abſimiles, contortas ſcilicet & nodoſas. Suidas: στραγγαλιῶδες, διεστραμμένον. Καὶ στραγγαλωτὴ μάστιξ. Addit deinde verba incerti ſcriptoris: Ὁ δὲ ἐκέλευσεν αὐτὸν μαστιγοῦσθαι τῇ στραγγαλωτῇ μάστιγι.

AD CAP. V.

Quid opus erat auxiliatore & ſubſequâ, qui adleuaſſet?] Ita vulgata quidem opinio eſt, dumtaxat adleuaſſe. At D. Hieronymus in Matthæum cenſet etiam tuliſſe, ſed ſeorſim & poſt Chriſtum. Nam cùm Ioannes apertè ſcribat Chriſtum tuliſſe, alij tres Euangeliſtæ Simonem Cyrenæum: ipſe conciliat, & *hoc intelligendum eſt*, inquit, *quòd egrediens de Prætorio Ieſus ipſe portauerit Crucem ſuam: poſteà obuium habuerint Simonem, cui portandam crucem impoſuerunt.*

AD CAP. VII.

Super lignum ſe ipſum extendit.] Quid ſi de tranſuerſario tantùm ligno capias, in eo figi ſolitos, & deinde ſubduci atque appendi? Pugna omnis ceſſet; & breuiter fortaſſe rem dixi.

AD

AD CAP. VIII.

Clauis aut funibus.] Neſcio an Lucanus non vtroſque memoret in his occultioris ſententiæ verſibus: qui quoniam toti ad crucem, ponamus, & retegamus. Lib. 6. de magâ Theſſalâ.

——— Laqueum nodoſq́; nocentes
Ore ſuo rupit, pendentia corpora carpſit,
Abraſitq́; cruces, percuſſaq́; viſcera nimbis
Vulſit, & incoctas admiſſo Sole medullas:
Incertum manibus chalybem, nigramq́; per artus
Stillantis tabi ſaniem, viruſq́; coactum
Suſtulit, & neruo morſus retinente pependit.

Quod ait *laqueum & nodos nocentes:* alij *nocentum* edunt: atq; ita haud incommodè ad vincula aptes, quibus noxij ad cruces aſtricti. Tamen in aliquot ſcriptis libris, *recentes.* & id malim: credamque ad ſuſpendioſos dumtaxat referendum, & qui ſeipſos illaquearunt. Reliqua iam de Cruce: & *percuſſa viſcera nimbis, & incoctas ſole medullas.* ſignanter dixit de corporibus quæ (vt lib. II. cap. XV. ſcripſi) in crucibus relicta, ſitu marcida & tabida fiebant, quatenus volucres non laniarent. Iam *Incertum manibus chalybem,* clauos intelligi liquebit, ſi emendes *Inſertum.* Nam hos quoque appetitos ad Magicas artes Apuleius oſtendit, in deſcribendâ ferali illâ officina, lib. III. *Hîc nares & digiti, illic carnoſi claui pendentium.* Sed & amplius de his funibus addo. Videri, quorundam iudicio, neceſſarios fuiſſe in omni fixione. Nam volunt manus ligatas, ne ſe ſubducerent ad ictum aut commouerent. tum etiam vt firmiùs & cum adminiculo penderent. deinde & alterum funem ad pectus, corpus ambiiſſe ſub ipſas alas, eoque ſubleuatum hominem & atractum in ſummam crucem. Id porrò factum admotis vtrimque ſcalis. Eius ſententiæ vir ſtirpe & moribus antiquis Ioannes Boiſotus eſt, qui amicè hoc ſuggeſſit. Et ſanè de ſcalis, apponere eas pænè neceſſarium videtur, vtique ad Erectam crucem. Quomodo aliàs ſubduxeris, aut fixeris? Etiam de funibus ſunt quæ ſuadeant, præter antè dicta. vt Hilarius de Trinitate lib. X. *Penduli in cruce corporis pœnæ, & colligantium funium violenta vincula, & adactorum clauorum vulnera.* Iungit ſimul & funes & clauos, vt Lucanus. Etiam illud Christi vaticinium in Petri mortem, poſcit funes Ioannis cap. XIX. *Extendet manus tuas, & alius te cinget.* Cinctio iſta vinculorum in cruce eſt. Theophylactus: Τὴν ἐπὶ τοῦ σταυροῦ ἔκτασιν καὶ τὰ δεσμὰ δηλοῖ: *Extenſionem in cruce & vincula notat.* Tertullianus in Scorpiaco: *Tunc Petrus ab altero cingitur, cùm cruci adſtringitur.* Videndum an non in Auſonij Cupidine ſimile, qui adſtrictus deſcribitur, & mox addit, *Adfigunt.* Atque ecce in tabulâ formam duplicem fixionis, pro duplici ſubductione.

Aeſchylus μασχαλιστῆρα *appellat, in Prometheo.*

Tres





Tres

Tres repperit.] An & duas latronum tranſtulit, non cultus ſed memoriæ cauſsâ? Videtur ex Suidâ, ſi tamen ex meo nunc ſenſu corrigendus. In voce φόρος inquit: κάτωθεν τοῦ φόρου κεχωσμένοι ὑπῆρχον δύο στρατηγοὶ τῶν δύο λῃστῶν, καὶ βικίον μύρου ᾧ ἠλείψατο ὁ χριστός, καὶ πολλὰ ἕτερα σημειοφορικὰ, τεθέντα μὲν παρὰ κωνσταντίνου τοῦ μεγάλου, ἀφανισθέντα δὲ ὑπὸ τοῦ μεγάλου θεοδοσίου: Nam puto legendum δύο σταυροὶ. Qui verò fuerint στρατηγοὶ, ſiue *duces duorum latronum?* nec id ſit idonei vllius ſenſus. Vertam igitur: *Infra forum deſſæ erant duæ cruces duorum latronum, & vaſculum vnguenti quo Chriſtus vnctus, & alia multa inſignia, poſita quidem à Conſtantino magno, ſublata verò ſub Theodoſio magno.* Admonitus poſteà per litteras ſum à Ioanne Liuineio amico noſtro, ſeriò & ſine ambitione docto, vitium eſſe ab imperitiâ tranſſcriptorum. qui cùm in autographo reperiſſent στροὶ, quod compendiaria illâ ſcripturâ σταυροὶ erat, fecerunt flagitiosè στρατηγοὶ.

Ad cap. IX.

Αμερίμνῳ γὲ.] Ita benè & doctè Franc. Nanſius, cùm anteà eſſet ὁμορίμνῳ. Et ſanè claui iſti grandes: atque ita ipſe Nonnus idemtidem σιδήρεια κέντρα appellat *Stimulos ferreos.*

Contrà tendunt alij & ſuggerunt quaternos.] Atque ego, etſi negaui me decidere, pronior ſum in hanc partem. In templis Græciæ hodie intellego paſſim Chriſtum cruci affixum, diſparatis pedibus ſic pingi. Vidimus id ipſi Venetiis in gentis eius templo, tum & alibi in antiquioribus picturis. Audio & Treuiris clauum qui aſſeruatur, diſertè in memoriis antiquis ſcribi *clauum pedis dextri.* Addo autem, Conſtantinum Imperatorem quoſdam ex his clauis (id quoque multitudinem ſuadet) inſeruiſſe capiti ſtatuę quam ſuo nomine Conſtantinopoli poſuit. Zonaras: Ο δὲ θειότατος αὐτοκράτωρ εἰς οἰκεῖον ὄνομα τὸ ἄγαλμα (τοῦ ἀπόλλωνος) ἐστήσε, τῇ κεφαλῇ τούτου τινὰς τῶν ἥλων ἐναρμοσάμενος, οἳ τὸ σῶμα τοῦ κυρίου προσεπαττάλευσαν τῷ σωτηρίῳ σταυρῷ.

Ad cap. X.

Extenſus ambas manus.] Proprium hoc Crucis, extendi. Itaque Euangeliotum vetus Gothica tranſlatio (auctor Antonius Morillonus) vertit idemtidem Crucifigere, Usfraemen/ quaſi dicas extendere, & quidem propriè de pannis, quos in palis vallisque diſtendit fullo. Ea extēſio ad manus maximè refertur. Artemidorus lib. I. c. LXXVIII. Εἰ δέ τις ὑψηλὸς ἐπί τινος ὀρχοῖτο, εἰς φόβον καὶ δέος πεσεῖται. κακοῦργος δὲ ὢν, σταυρωθήσεται, διὰ τὸ ὕψος καὶ τὴν τῶν χειρῶν ἔκτασιν: *Si quis ſublimis in loco quopiam ſaltet, in periculum & metum incidet. maleficus autem exiſtens, crucifigetur, ob altitudinem & manuum extenſionem.* Epictetus apud Arrianum, ab hac cauſſâ comparat falsè eos qui in balneis ſe diſtendunt & lauandos fricandoſque præbent, cum crucifixis; libro IIII. Diſſertat. cap. XXVI. Ιν' ἐν τῷ βαλανείῳ ἐκδυσάμενος, καὶ ἐκτείνας σεαυτὸν, ὡς οἱ ἐσταυρωμένοι, τρίβῃ ἔνθεν καὶ ἔνθεν: *Vt in balneo exutus & teipſum diſtendens, vt ſolent crucifixi, fricêris hinc atque illinc.*

Veſtigium huius tabellæ exſtare audio.] Imò & video: ac miſit ad me Dionyſius Villerius vir veteri doctrinæ & mihi valdè amicus ectypon nummi Græcanici veteris, qui aureus aſſeruatur in monaſterio Laetienſi in Hannoniâ, quem ecce habes.



Inſcriptio in eo eſt: Κόσμου τὸ λύτρον, αἷμα τοῦ θεοῦ λόγου: *Mundi redemptio, ſanguis dei verbi*. Miſſus is nummus cum aliis ſacris donariis eſt ab Henrico Imperatore, tunc Conſtantinopoli, anno Chriſti ∞.CC.VIII.

AD CAP. XI.

Περιαχθεὶς κύκλῳ τοῦ ἀμφιθεάτρου.] Id dicunt Circumduci; ſicut Traduci, cùm oſtentui dumtaxat per ora populi ducebantur, & ſæpe alibi puniendi Suetonius in Tito, cap. VIII. *Hos* (Delatores) *nouiſſimè traductos per amphitheatri arenam, partim ſubiici in ſeruos ac venire præcepit, partim in aſperrimas inſularum auehi*. Neſcio an Martialis verſus, qui iamdiu cubat in morbo, ſic ſanandus, lib. I. de hiſipſis Delatoribus & Titi facto:

Turba grauis paci placidæq́ inimica quieti,
Quæ ſemper miſeras ſollicitabat opes:
Traducta eſt titulis, nec cepit arena nocentes,
Et delator habet quod dabat exſilium.

Titulis enim vult traductos Delatores. quomodo? nónne omnium vnus eſt communis? non hîc: quia additum, quos & quàm illuſtres quiſque detuliſſet. Exempli cauſsâ: *Hic eſt Titius qui Camerinum detulit. Hic, qui Lateranum*, & talia. In libris legitur: *Traducta eſt gætulis*, in aliis, *Tradita Gætulis*: & emendarunt, *Traducta eſt Gyaris*, quod ego & ratio facilè refellant.

Πίνακος αὐτὸν προάγοντος.] In tabellâ enim hæc talia ſcribi ſolent: ſicut & Titulus Seruatoris. Cyprianus de montibus Sinâ & Syon: *Pontius Pilatus impulsâ mente à Deo accepit Tabulam, & titulum ſcripſit tribus linguis: & in capite ligni clauis tribus Tabulam cum nomine regis Iudæorum confixit*. Ex cuius verbis vides etiam Tabulam non ſuper lignum (vt multi repræſentant & pingunt) ſed in ipſo ſupremo ligno clauis fixam.

De quo more alij.] Inter eos P. Faber libris Semeſtrium; vbi & ſparſim plura de Cruce, & quædam ſelecta atque edecumata.

AD CAP. XIV.

Diſparata hæc ſupplicia.] Notauit & publicè ante nos monuit Cæſar Baronius, vir ſacra profanaque doctus in Martyrologio. Sed cur frangebant iis, quos ſtatim mortuos vellent, crura? An non cauſſa in Plinio? Ille lib. XI. cap. XLV. notat in iis vitalitatem eſſe: atque addit: *Namque in ipſâ genus vtriuſque commiſſurâ, dextrâ læuaq́, à priore parte, gemina*

gemina quædam buccarum inanitas ineſt: quâ perfoſſâ, ceu iugulo, ſpiritus fugit. Aliud autem eſt à fragio crurum, *Exſecare crura:* quod in Ammiani lib. XXII. leges, in oratione Iuliani: *Quiſque agmini cohærens incedat, ſciens quod, ſi remanſerit vſquam, exſectis cruribus relinquetur.* Hoc enim proinde eſt, quaſi dixiſſet, neruis aut ſuffraginibus inciſis. Vetus ſæuitia, & Annibali vſurpata in Romanos. Ennius: *His pernas ſuccîdit iniqua potentia Pœni.* Potentia Pœni more Græco, eſt Pœnus. Liuius de ea ipsâ re, in clade Cannenſi: *Quoſdam iacentes viuos ſucciſis feminibus poplitibuſq. inuentos fuiſſe.* nempe ne attollerent ſe, & vt deſolati morerentur. Vſurpatum eſt Tyrannis in Chriſtianos. Sozomenus lib. I. cap. X. de Paphnutio & Maximo: quos, inquit, Μαξιμῖνος ἐν τοῖς μετάλλοις ἐργάζεσθαι κατεδίκασε, τοὺς δεξιοὺς αὐτῶν ἐκκόψας ὀφθαλμοὺς, καὶ τὰς ἀριστερὰς ἀγκύλας ἀποτεμών: *Maximinus ad opus metalli condemnauit, dextros eorum oculos excutiens, & ſiniſtri pedis ſuffragines abſcindens.* Euſebius oſtendit aduri etiam ſolere, lib. VIII. cap. XII. vbi quorundam meminit τοὺς λαιοὺς πόδας κατὰ τῶν ἀγκυλῶν καυτῆρσιν ἀχρειουμένων: *qui ſiniſtris pedibus, circa poplites, ferro aduſtis, inutiles facti eſſent.*

Libri non immunes.] Lego in Euſebij lib. VI. cap. XIX. de Apollonio Martyre, cùm is ſub Commodo Principe delatus eſſet vt Chriſtianus, accuſatori, ex lege crura fracta fuiſſe. Verba huic rei: ὅτι μὴ ζῆν ἐξὸν ἦν, κατὰ τὸν βασιλικὸν ὅρον, τοὺς τῶν τοιῶνδε μηνυτὰς, αὐτίκα κατάγνυνται τὰ σκέλη: *quoniam viuere nefas, iuxta legem Principis, talium delatores, ſtatim crura ei fracta ſunt.* Sed cuius Principis hæc lex tam commoda in Chriſtianos? Non opinor ipſius Commodi. Nunquid M. Aurelij? de quo Tertullianus Apolog. cap. V. *Qui ſicut palàm ab eiuſmodi hominibus* (Chriſtianis) *pœnam dimouit; ita alio modo palàm diſperſit, adiectâ etiam accuſatoribus damnatione, & quidem tætriore.* Et quod ait de *damnatione tætriore*, poſſis vel ad Crurifragium iſtud referre: vel ad Viuicomburium, quo affici accuſatores Chriſtianorum iubet eiuſce Principis epiſtola apud Onufrium in Faſtis expreſſa.

AD CAP. XV.

A Sole ac pluuiâ corrumpi.] Exemplum huic rei etiam in libris ſacris, vt Reg. II. cap. XXI. *Dedit eos* (ſeptem viros) *in manus Gabaonitarum, qui crucifixerunt eos in monte coram Domino. Tollens autem Reſpha filia Aia cilicium ſubſtrauit ſibi ſupra petram ab initio meſſis, donec ſtillaret aqua ſuper eos de cælo, & non dimiſit aues lacerare eos per diem, neque beſtias per noctem.* Hoc de pluuiâ: de ſole, in Artemidoro lib. V. Ἔδοξέ τις λαμπάδας ἀπὸ τῆς ἑστίας μὴ δύνασθαι ἀνάψαι, καὶ ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ ἀνάψαι, ἐσταυρώθη. καὶ κατὰ τοῦτον τὸν τρόπον τῷ οὐρανίῳ πυρὶ ἐθάλπετο: *Viſus aliquis faces è foco non poſſe accendere, & à cælo eas accendit, crucifixus eſt. atque hoc modo igne cæleſti concalefactus.*

AD LIB. III. NOTÆ

CAPVT III.

VERBERATVM *patibuloq́ conſtrictum.*] An ergo huc referas Dionis etiam illud lib. XLIX. de Antonij ſæuitiâ in Iudææ regem Antigonum? τὸν δὲ Αντίγονον, inquit, ἐμαςίγωσε ςαυρῷ προσδήσας (ὃ μηδεὶς ἄλλος βασιλεὺς ὑπὸ τῶν ῥωμαίων ἐπεπόνθει) καὶ μετὰ τοῦτο καὶ ἀπέσφαξεν: *Antigonum flagellauit cruci ſiue furcæ alligans (quod nemo alius rex à Romanis vnquam paſſus erat) ac poſteà interfecit*. Verba ita præferre videntur: nec abhorreat ab Antonij impotentiâ, vt ſeruiliter ſæuierit etiam in regem. Tamen verius puto vt capias vertaſque *Palum*. Vt palo, inquam alligatus fuerit, ſolẽni Romanis more, & tum ſecuri percuſſus. Quod ipſum huic Antigono factum, etſi Dio non expreſſit, notauit Strabo, citante Ioſepho (nam hodie non exſtat) lib. XVI. Antiq. cap. I. Αντώνιος Αντίγονον τὸν Ιουδαῖον ἀχθέντα εἰς Αντιόχειαν πελεκίζαι, καὶ ἔδοξε μὲν οὗτος πρῶτος ῥωμαίων βασιλέα πελεκίσαι: *Antonius Antigonum Iudæum Antiochiam perductum ſecuri percutit, & viſus eſt primus Romanorum ſecuri ſubieciſſe regem*. Idem Plutarchus in Antonio.

Patens hæc tranſuerſaq́ pars ſic dicta.] Strictè & propriè inquam. Aliàs quis neſcit totam crucem ſæpe venire in hoc nomen? Salluſtius vtro modo acceperit haud dixerim, in loco vitiato. Fragmentum eſt apud Nonium è IV. Hiſtor. *In quîs notiſſimus quiſque aut malo dependens verberabatur, aut immutilato corpore improbi patibulo eminens affigebatur*. Lego *mutilato corpore*: quia mos ille frequens Orientalibus, vt priuſquam crucifigerent admutilarent, aut etiam per tormenta necarent. Exempla habes in hoc libro, cap. XII. & alibi. At illud *improbi*, quî reformandum ignoro. Tentaui olim *in proris*. An & *imprope*? quod ſic compoſitum pro ſimplici, vt *inante* & talia, apud Tertullianum reperies Exhortat. ad Caſtitat. Cap. X. An etiam *improbè*? vt ſit corpus fuiſſe improbè mutilatum? Credo enim hæc narraſſe de ſæuitiâ Mithridatis in Cyzicenos, quos terrâ mariquè obsêdit.


AD CAP. V.

Facie quâ noſtrum hodie patibulum.] Quæ ſententia fuit Antonij Morilloni, viri ſummi futuri ſi diutiùs vixiſſet. Argumenta habebat (vidi & legi in epiſtolâ eius ad Lindanum, quam heredes adſeruant) quod id referret formam Iugi: ferre autem iugum, ignominia & quaſi comminatio huiuſce mortis. itaque illinc petenda forma. Amplius, Liuius ait lib. I. Romanos *ſpectaſſe furcis duodenos à terrâ ſpectacula alta ſuſtinentibus pedes*: eas furcas proclinantia vtrimque ligna fuiſſe cum tertio tranſuerſario ſupernè immiſſo, quod genus *Capreolos* Latini vocant; & nos hodie *Schragas*: ergo hanc eſſe faciem furcæ. Tertiò Hebræos

bræos hodieque ſuum Tau ſic pingere: cum eo autem comparari paſſim: tale igitur eſſe. Credo etiam addere (non firmiter nunc commemini, ſed addi poteſt) Auſonium cum Φ. litterâ Græcâ Crucem comparare: at ea quoque iſtuc abit. Sed hæc ſententia, etſi arguta, proba mihi non eſt ob multas cauſſas, atque hanc vnicam firmiſſimâ, quòd refellunt ſpectiones & monumenta omnia antiqua, omnia inquam conſenſu. Quid Chriſtianis nobis fiet, ſi ipſa imago crucis aliter vbique non pingenda ſolùm, ſed manibus cottidie deformanda? At enim iugum tale olim. Ita, ſed quid ad rem? militaris ſaltem ignominia illa fuit: & liberorum ea hominum, non ſeruorum, vt latura furcæ. De Liuio, nihil impedit Furcas noſtro vulgarique more intellegi, quibus ligna tranſuerſa iniecta, & ſuper ea aſſeres, ad ſpectandum inſiſtendumque. Fit & hodie, & olim primas domos ſic erectas ex Poſidonij ſententiâ puto Senecam alibi tradere, & vti pariter voce *furcæ*. De Hebræis, verum eſt, ſed hodiernis. Priſcas eorum litteras alias & diuerſiformes fuiſſe, periti eius linguæ atque ipſe Hieronymus tradiderunt. Iam de Auſonij verſu, is talis:

Et crucis effigie Palamedica porrigitur Φ.

Lectionem non muto, etſi alij libri proferunt *gruis*: nec id malè. Sed eſto *crucis:* veriſſimum eſt in noſtrâ etiam formâ. quomodo? in cruce inquam veſtitâ, & in quâ homo appenſus. Vide faciem & pendula à ligno brachia, eſt hæc ipſa litteræ forma. Subiicio & formam crucifixionis quam imaginabatur & delineabat Morillonus.



Ad cap. VII.

Impudicas ancillas ſic puniri.] Et eſt ſanè ignaua mors, & *Fæminea* etiam Panegyriſtæ dicta. *Alteri manibus ſatellitum Britannorum gula domi fracta, & inuſta fæmineæ mortis infamia, vt ſcilicet maluiſſe vir ferri amantiſſimus videretur laqueo perire quàm gladio*. Victor *poſtremam* appellauit, viliſſimamque, in Maximiano: *Pœnas mortis genere poſtremo, fractis laqueo ceruicibus luit.*

Patibulum vulgò Furca dicitur.] Quo ipſo ſenſu inferiores Græci dixerunt φουλκίζειν *in furcam agere*, aſperiore illâ litterâ mutatâ. Cedrenus in Iuſtiniano Rinotmetâ: Ἐν τῷ τείχει πάντας

ἐφούλκισεν. quod vertendum eſt, *In muro omnes de furcâ ſuſpendit.* Docet Zonaras qui in ea ipsâ re: Ἐν ξύλοις παρὰ τοῖς τείχεσιν ἀπηώρησε: *In lignis apud muros ſuſpendit.* Credo autem hanc Furcam primò non niſi dimidiatum Patibulum fuiſſe, id eſt, facie adhuc aliquâ Furcæ; paullatim, & quo plures appendi poſſent, immutaſſe.

AD CAP. IIX.

Iniectis per crura funibus.] An magis placet hic ſenſus, Funes ipſos per crura eorum traiectos & tranſmiſſos? Tale in Curtio lego Alexandrum vſurpaſſe in Batin quendam, lib. IIII. *Per talos ſpirantis lora traiecta ſunt, religatumq́; ad currum traxêre circa vrbem equi.* Id factum à rege exemplo Achillis, qui Hectorem ſic fœdauit, vt Curtius inibi notat. Sed tamen Ammianus *Iniectos* ait, non *Traiectos*, nec id ſupplicij credam vulgò vſitatum.

AD CAP. X.

Moriturum in ipſis, non per ipſas.] Præter exempla quæ dedi, hoc rarum videatur in Philippo, de quo Euſebius in Chronico, anno XII. Claudij: *Philippus Apoſtolus Chriſti apud Hierapolim Aſiæ ciuitatem, dum Euangelium populo nunciaret cruci affixus, lapidibus opprimitur.* Quaſi in ipsâ cruce lapidibus obrutus eſſet. Atque hoc quidem in vulgatis libris, in veteri & probo meo manuſcripto veſtigium non eſt horum verborum.

AD CAP. XIII.

Viri fide digni aſſerunt.] Inter eos eximius Theologus Alfonſus Ciacco, qui de ſignis Crucis nunc nuper accuratè ſcripſit.

Iam illa Amanis prealta.] De qua accipienda quæ in Codice Iuſtinianæo leguntur, De Iudæis & cælic. vbi ſcribuntur *Iudæi quodam feſtiuitatis ſuæ ſollenni, Aman ad pœnæ quondam recordationem incendere, & ſanctæ crucis adſimilatam ſpeciem in contemptum Chriſtianæ fidei exurere*, atque id facere deinceps vetantur. Totidem pænè verbis in Codice Theod. lib. XVI. tit. VIII. Ex quibus vides Iudæos Amanis inimici ſui mortem annuâ memoriâ repræſentaſſe, & in cruce ſuſpenſum cum eâ ipsâ combuſſiſſe: ſpecie Amanem, re & mente Seruatorem & noſtram crucem. Ideò meritiſſimò interdicti.

Nouus etiam orbis.] In quo ſanè hoc mirum, cruces repertas fuiſſe plurifariàm in templis atque in ſepulchris. De Indiâ Occiduâ loquor. Quâ origine aut fine? neſcimus, niſi ſi iam tunc prouidus ille Deus exſtare voluit omen & ſignum dominaturæ illic crucis.

AD CAP. XIIII.

Edicto prohibitum manet.] Atqui in Panegyricâ oratione, ſanè diſertâ, quæ Theodoſio dicta, mentio etiam crucis quaſi licitæ & manentis. *Et poſt hanc tu vocem, non illum in crucem tolli, non culleo inſui, non diſcerpi in fruſta iuſſiſti.* Et fieri ſanè poteſt vt apud gentiles, &

Chriſto

Chriſto aduerſos, ſupplicium etiam manſerit. ſicut de Slauis in Helmoldi Chronico ſcriptum lib. 1. *In illis diebus Slaui quendam Danum ſuffixerunt cruci:* In ignominiam ſcilicet diuinæ crucis.

AD CAP. XV.

In hoc vince.] Nummis hoc pluribus expreſſum cernitur, atque etiam quibuſdam vberiùs. *In hoc ſigno vince.* Sanè Chriſtiani libenter appellarunt *ſignum Dei*, aut *Chriſti* ipſam Crucem, quaſi Imperatoris illius teſſeram aut vexillum. Iuſtinianæo Codice vetatur, *ſignum ſaluatoris Chriſti humi vel in ſilice inſculpi.* Quid, quod Græci interpretes ſic legem Scæuolæ accipiunt, XXXVIII. De aur. arg. mund.? *Fieri volo iubeóque ſignum Dei ex libris centum.* Accipiunt, inquam, & reddunt *Crucem.* An verè? minimè. ſcimus *ſignum Dei* ſtatuam eſſe apud Scæuolam ſiue Solis, ſiue indigenæ cuiuſpiam & familiaris dei. Sed pietas, non error, Græcos eò traxit. Monuit ſuper hac interpretatiunculâ Petrus Oranus, iuris & litterarum conſultus, & germanum in modum mihi amicus.

Ἐκ χρυσοῦ σχεδιάσας σταυρὸν.] Quem ſuo æuo exſtitiſſe in Palatio Socrates aſſeuerat, Eccl. Hiſt. lib. 1. cap. 1. Τούτῳ πειϑεὶς τῷ χρησμῷ, κατασκευάζει μὲν τὸ σταυροειδὲς τρόπαιον, ὃ μέχρι νῦν ἐν τοῖς βασιλείοις φυλάττεται: *Huic oraculo fidem habens, conficit ſimile illud cruci tropæum, quod vſque nunc in regiâ ſeruatur.* Idem Cedrenus: τότε σταυρὸν χρυσοῦν σχεδιάσας, ὅς ἐστι μέχρι καὶ νῦν: *Tunc crucem auream efformans quæ etiamnunc exſtat.* Non opinor tamen hanc eſſe, de quâ Suidas: σταυρὸς ἐπὶ τὸ βόρειον τοῦ φόρου μέρος ἵστατο, ὡς εἶδεν αὐτὸν Κωνσταντῖνος, χρυσέμπλαστος ἐν τοῖς ἀκροτηριακοῖς στρογγύλοις μήλοις, ἔνϑα καὶ αὐτὸς καὶ οἱ υἱοὶ αὐτοῦ καϑεωρῶντο χρυσέμβαφοι: *Crux ad partem Borealem fori ſtabat, vt vidit eam Conſtantinus, auro illita in extremis rotundis pomis, vbi & ipſe & filij eius conſpiciebantur aurati.*

——— *gemmanti textus in auro Signabat labarum.*] Dixi ipſi velo nomen intextum: & poëta hîc apertè. Tamen ex deſcriptione Euſebij, videbis & ſuprà velum ſæpe ex auro ſtatui: & exempla in nummis vtriuſque poſituræ dedi. illius tamen magis crebra. Ipſa Labari vox qualis? vereor vt peregrina, certè nouitia, & ſub Traiani aut illud æuum nata. Vetuſtior Tertulliano, qui hodie exſtant, non commeminit. Gregorius Nazianzenus, doctus & fortis Orator, ait Καμάτων λυτήριον εἶναι, καὶ κατὰ ῥωμαίους ὀνομάζεσθαι: *Laborum leuamen pauſamque eſſe, & à Romanis ſic appellari.* Igitur à labore deriuauit, eo procliuiùs, quia ipſi Græci λάβωρον ſcribebant. Sed noſtri poëtæ nónne corripiunt? Quomodo etiam pauſam laboris, non aliâ additione, vox ea ſignificet? niſi fortè, quia vbi laborabatur in acie, ſignum illud eò ſolet ferri. Longinquum eſt, & perſeuero externam vocem eſſe. Orat. III. in Iulian.

Duæ litteræ Chriſti nomen exprimentes.] Ita eſt, & conſpicuæ ſunt in Nummis. Ipſum etiam Chi ſolitarium, ſignabat Chriſtum. In Antiochenorum dicteriis recenſet Iulianus, Miſopogone: Τὸ Χῖ, φασὶν, οὐδὲν ἠδίκησε τὴν πόλιν, οὐδὲ τὸ Κάππα. & addit: ἡμεῖς δὲ ἐδιδάχϑημεν

ἀρχὰς ὀνομάτων εἶναι τὰ γράμματα, δηλοῦν δ᾽ ἐθέλειν τὸ μὲν Χριστὸν, τὸ δὲ Κωνσταντῖνον. *Chi, inquiunt, & Kappa nihil iniuriæ intulerunt ciuitati. Nos autem didicimus initia nominum eſſe has litteras, & ſignificare velle illud quidem Chriſtum, hoc Conſtantinum.* Ita Iulianus, qui has ipſas litteras è Labaro poſteà conatus remouere. Fruſtrà, & vicit nomen quod æternùm viuit & vincet.

AD CAP. XVII.

Ω ξύλον μακαριστὸν.] Verè, quia nos per illud μάκαρες. Atque ita προσκυνητὸν καὶ τίμιον, *adorandum & venerabile*, Imperator appellat nouellâ quintâ. Eaque cauſsâ vetitum, in lapidibus ſculpi, quæ in ſolo. Lex exſtat in Codice Iuſtinianæo: & apud Paullum Diaconum ſic Tiberius: *Crucem Domini quâ frontem noſtram & pectora munire debemus, eam ſub pedibus conculcamus?* Tale & Synodus habita in Trullo, can. LXXIII. Quamquam autem è pauimentis templorum remota, non etiam è tectis. Fulſit iam olim ibi, clarum certumque ſymbolum Chriſtiani cultus. Nicephorus Gregoras lib. IX. in deſcriptione tempeſtatis quæ Conſtantinopoli: Τηνικαῦτα μὲν τοι πεπτώκασι καὶ πολλοὶ τῶν ἐπὶ τοὺς νεὼς ἱδρυμένων ἐκ σιδήρου σταυρῶν, ὑπενεγκεῖν οὐ δυνάμενοι τὴν τοῦ πνεύματος βίαν: *Tunc cecidêre multæ crucium, quæ templis imponi è ferro ſolent, ſufferre non valentes vim venti.*

FINIS.

APPROBATIO.

Hos J. Lipſij, Academiæ Louanienſis Profeſſoris clariſſimi, de Crucis ſupplicio conſcriptos tres libros, vnà cum Notis additis, teſtor nihil ſacræ ac orthodoxæ fidei repugnans aut ab ea diſſentiens continere, inſuper & varia eruditione refertos ac prælo digniſſimos eſſe cenſeo. Louanij 12. *Calendas Decembres* 1592.

Henricus Cuyckius D. Petri Louanij Decanus, Academiæ Cancellarius, & Pontificius ac Regius librorum Cenſor.

INDEX CAPITVM.

LIBRI PRIMI.

PRECATIVNCVLA. Materies & ordo operis. Cap. I. Paginâ 13.

Crucis nomen polyſemon. Hæc noſtra Gabalus etiam dicta, item Infelix lignum & infame. Sed & Crux non in ligno. Cap. II. 14

Nomina phraſéſve ad hoc ſupplicium: Figere, Configere, Cruciare. item Cruciarius, pro appendendo. Cap. III. paginâ 15

Græcorum verba ad Crucem & crucifixionem. Heſychius & Ouidius emendati, iſte etiam explicatus. Cap. IV. 16

Diuiſio prima Crucium: & de ſpecie vetuſtiſsimâ dictum, Affixione. Tertullianus per occaſionem correctus, atque Iſis eadem cum Cerere exiſtimata. Cap. V. pag. 18

Altera Simplicis Crucis ſpecies, Infixio. Seneca, Heſychius, Plato, Plinius, illuſtrati. Cap. VI. 20

In genere de Cruce Compactâ: tum de primâ eius ſpecie, Decuſſatâ. & an hæc ſit Andreana? Cap. VII. 21

Commiſſa Crux quid nobis ſit? exemplis teſtibusq; aſſerta, tum etiam veſtigio noſtræ linguæ. Cap. VIII. 23

Affirmata Crux Immiſſa è ſcriptis maximè Patrum: ipſi alij per alios, & imaginibus per nos etiam, explicati. Cap. IX. 24

In quâ Crucium formâ Chriſtus mortem tulerit? videri in vltimâ, argumento è Patribus & picturis. Ruffini non bona fides notata in verbis Pauli citandis ſiue explicandis. Cap. X. 27

Apud pleraſque gentium Cruces ferè vſitatas. Apud Syros, Iudæos, Aegyptios, Perſas, Afros, Græcos, maximè Romanos. Quando apud eos cœperit? An & apud Germanos? Cap. XI. 29

Apud Romanos vile fuiſſe hoc ſupplicium, & plurimùm ſeruorum. Quas ob cauſas ij affecti. Cap. XII. 30

Etiam liberi quidam in crucem dati, ſed viliores aut nocentiores: vt Latrones, Sicarij, Falſarij, atque alibi & Fures. Cap. XIII. 32

Quæ cauſſa falsò aſſignata in Cruce Chriſti? videri Innouationem & Seditionem eſſe. Cap. XIV. 33

Crux interdum liberè & laxè vagata: in hoſtes, in ſeditioſos, in Chriſtianos, in fœminas denique. Cap. XV. 34

LIBRI SECVNDI.

Tranſitio ad Modum figendi. præmiſſum de atrocitate huius ſupplicij, quod Summum & Extremum dictum. Cap. I. pag. 35.

Duplex figendi Modus, Vulgaris & Rarus. In illo Flagellatio ex more ſemper anteiuit. Cap. II. 36

Flagellorum & virgarum diſcrimen. Illa magis vilia, & magis acerba eſſe. ſolere & talis aſperari. Cap. III. 36

Solitos ad Columnam verberari; atq. aliàs per viam. De ipsâ columnâ cui ſacrum corpus annexum. Cap. IV. 38

Crucem ſuam tuliſſe, aut totam, aut eius partem. Cap. V. 39

Deductos cum vexatione, Stimulis etiam actos. Cap. VI. 40

In ipsâ Fixione nudi in crucem dati: an altam, an in terrâ, an alteram depoſitam? id quæſitum, & vtrumque firmatum. Cap. VII. 41

Clauis figi ſolitos, interdum funibus adſtringi. Cap. VIII. 43

In quibus partibus claui, & quo numero. Cap. IX. 44

Ordo & modus affigendi. An lignum aliquod in Cruce ſuppedaneum? Cap. X. pag. 45

De Titulo, quid is Latinis? quomodo aſſcriptus aut prælatus. Cap. XI. 48

Poſt fixionem, quomodo mortui in Cruce? languore, aut fame. Vitalitas quorumdam. Cap. XII. 49

Quoſdam à volucribus, aut feris etiam viuos laceratos, & pleroſque omnes mortuos.

N

tuos. interdum & lanceis interfectos. Cap. XIII. pag. 50
Crurifragium à Cruce remotum. Quid fuerit, in quos receptum, & quomodo? Cap. XIV. 51
Corrumpi in Cruce paſſi ſunt, & nefas ſepelire. Cap. XV. 52
Cuſtodia & miles ad Crucem, ne quis detraheret. Cap. XVI. 53

LIBRI TERTII.

Tranſitio ad Rarum figendi Modum. Furca diuiſa, & hîc de Ignominioſâ dictum. Cap. I. pag. 54
De Furcâ Pœnali, & cæſos ſub eâ ad mortem. Cap. II. 55
Ligatos ad Furcam in Crucem ſolere tolli, Furcam & patibulum videri eadem, aut haud longè diſſita. Cap. III. 56
Quæ forma furcæ fuerit, obſcurè traditum in veterum ſcriptis. Cap. IV. 58
Ex iis tres ſententiæ erutæ, & ſingulæ explicatæ. Tertiam πιθανωτάτην videri. Cap. V. 59
Ratio ſuſpendendi per ſingulas illas formas expoſita, atque etiam oculis propoſita. Cap. VI. 61
De nouâ Furcâ, quæ noſtrum Patibulum Tribonianum ſubſtituiſſe paſſim in Legum libris. Cap. VII. 62
De Raro modo in Schemate. & primùm de Inuerſâ ſuſpenſione. Cap. VIII. 64
De obliquâ ſuſpenſione, de varicante, & inter arbores ſciſſione. Cap. IX 66
De Modo qui Fine diuerſus. primùm de his qui in Cruce vſtulati. Cap. X. 66
De his qui beſtiis in Cruce obiecti. Cap. XI. 67
De mortuorum in Cruce ſuſpenſione. Cap. XII. 68
E quo ligno Crux fuerit? Item in Monte plerumque defixam, ipſam ſæpe altiuſculam. Cap. XIII. 69
Crux ſublata, atque etiam Crurifragium fortaſſe. Quando id factum, quæſitum. Cap. XIV. 71
Honores quos Conſtantinus Cruci habitum iuit. Signis ea & vexillis impoſita, aut inſerta. Cap. XV. 72
Crux in militum armis: in Imperatorum capite & manibus. & pro inſigni. Cap. XVI. 74
Laudatiuncula Crucis. Cap. XVII. *pagina* 78

PRIVI-

PRIVILEGIVM CÆSAREVM.

RVDOLPHVS SECVNDVS diuina fauente clementia electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Wirtembergæ, &c. Comes Tirolis,&c. Noſtro & Sacri Imperij fideli dilecto IVSTO LIPSIO gratiam noſtram Cæſaream. Poſtquam inter alia, quę DEVS immortalis hominibus liberali manu dedit dona, illuſtria inprimis illa & quaſi diuina ſunt, quæ in litteris liberalibusque diſciplinis conſiſtunt, quibus ſcilicet homines non tantùm ab animalibus ceteris rationis expertibus, ſed à rudi etiam & imperito hominum vulgo ita diſtinguuntur, vt tanquam Dij quidam ſplendeſcere in terris videantur: rem ſanè præclaram ſeque dignam illi præſtant, qui diligentem iis ipſis in litteris ac diſciplinis operam ponunt; præclariſſimam verò & Reipub. vtiliſſimam, qui eas ita excolunt, vt aliorum menti docendo, ſcribendo lumina præferant, eosque ex ignorantiæ tenebris quaſi manu educant. Quos excitare, quos amare atque animare ad dignitatis noſtræ munus, ad quod Diuino vocati beneficio, conceſſuque ſumus, inprimis pertinere exiſtimamus. Cùm itaque ab iis, quorum nobis ſpectata fides, quique iudicare de Litteris poſſint, accepcrimus, inſignes te animi ingeniique tui dotes tibi à natura inſitas à primis temporibus ætatis tuæ ita litterarum ac diſciplinarum ſtudiis excoluiſſe atque exornaſſe, vt olim iuuenilibus adhuc annis præclara floreſcentis minimeque vulgaris eruditionis ſpecimina præbueris, dum obſcura in antiquis ſcriptoribus loca, quæ quædam tanquam luſtra erant, illuſtraſti, quæque in iis iniuria temporum deprauata & corrupta fuerunt, reſtituiſti, dum vetuſta Latinæ antiquitatis rudera in nouam ſubinde ſtructuram ſingulari artificio eleganter conuertiſti: ad exquiſitam adeò & raram doctrinam, quæ magnam de te apud doctos quoſque viros opinionem excitarit, perueniſſe, eamque variis abs te libris acri & graui cum iudicio ſcriptis atque in lucem editis oſtendiſſe, vt in eo quod tam feliciter tractes ſcriptionis genere paucos tibi pares hodie reperire ſit: iam verò matura te ætate virum, viro magis magisque digna, & viris doctis grata ac Reipub. vtilia ſcribere, quæque à primis illis Romanis olim auctoribus ſcripta fuerunt, à mendis purgare, & lectiſſimos quoſque ex Muſarum hortis, in quibus aſſiduè verſeris, flores colligere, concinnare, quibus Lectores mirificè recrees, & eorum pectus ad prudentiam, probitatemque informes: haudquaquam prætermittere voluimus, quin Reipub. ad quam hæc abs te ornamenta conferuntur, cauſa, Cæſareo te noſtro elogio decorandum, & quamuis per te ſatis ipſe animatus ſis, animandum magis patrocinioque noſtro defendendum pro benigna noſtra in te ſuſciperemus voluntate. Quoniam verò lucubrationibus atque operibus tuis in lucem edendis, peculiarem te eligere velle Typographum, accepimus, Diplomate hoc noſtro priuilegioque te & Typographum tuum aduerſus quorumcumque fraudem, qui lucri cauſa, quod fieri ſolet, eadem excudere aut typis imitari fortè velint, munitos cupimus. Quamobrem pro auctoritate noſtra Cæſarea decernimus, ſtatuimus, vetamusque, ne quis Typographorum, Bibliopolarum,

aut aliorum, qui librariam negotiationem exercent, eos libros, quos tu editurus es, quocunque modo, charactere, aut forma, ſiue integros, ſiue aliquam eorum partem typis imitari, edere, excudere, aut venundare intra ſacri Romani Imperij, Regnorumq; ac Dominiorum noſtrorum hæreditariorum fines triginta annis proximis à primo editionis die computandis, abſque tuo tuorúmve hæredum conſenſu audeat: Hac autem lege addita, vti tria vt minimùm cuiuſque libri exemplaria, quemadmodum moris eſt, ad Imperialem noſtram Cancellariam mittantur. Si quis verò edictum hoc noſtrum tranſgredi, violare, aut contemnere deprehenſus fuerit, eum non ſolùm eiuſmodi libris, tibi, hæredibúſve tuis, auxilio Magiſtratus, vbicunq. reperti fuerint, vendicandis, priuari, ſed triginta etiam Marcharum auri puri mulcta, cuius ſemiſſis quidem Fiſci noſtri Procuratori, fraudis vindici; alter verò ſemiſſis, tibi hæredibúſve tuis pendatur, puniri volumus. Mandantes vniuerſis & ſingulis noſtris & ſacri Romani Imperij ſubditis & fidelibus dilectis, tam Eccleſiaſticis quàm Politicis, cuiuſcumque ſtatus, gradus aut ordinis extiterint, præſertim verò iis, qui in Magiſtratu conſtituti, vel ſuo vel ſuperiorum ſuorum loco aut nomine, ius dicunt, iuſtitiámve exercent, ne quemquam hoc Priuilegium noſtrum impunè violare, ſpernere aut negligere patiantur: Sed, ſi quos contumaces compererint, conſtituta à nobis mulcta, eos puniri & quibuſcumque modis coërceri curent, ni & ipſimet grauiſſimam noſtram in ſe conuertere indignationem velint. Id quod hoc Diplomate, manu noſtra ſubſcripto, & Cæſarei noſtri ſigilli impreſſione munito, confirmamus. Datum in arce noſtra Regia Pragæ, die prima menſis Auguſti; Anno Domini Milleſimo, Quingenteſimo, Nonageſimo ſecundo: Regnorum noſtrorum Romani decimo ſeptimo, Hungarici vigeſimo, & Bohemici itidem decimo ſeptimo.

Subſign.

RVDOLPHVS.

Iacobus Curtius à Senfftenaw.

Ad mandatum ſacræ Cæſareæ M^tis proprium.

Io. Baruitius.

Additum ſigillum Cæſ. M^tis in cerâ rubrâ.

SVM-

Svmma Privilegii Regis Catholici.

PHILIPPVS *Dei gratia Hiſpaniarum, &c. Rex Catholicus, diplomate ſuo ſanxit, nequis,* IVSTI LIPSI *Hiſtoriarum in alma Vniuerſitate Louanienſi Profeſſoris, & item Hiſtoriographi ſui libros quoſcumque, à Cenſoribus legitimis approbatos, præter ipſius, heredúmve eius, voluntatem, intra triginta annos à prima ſingulorum librorum editione computandos imprimat, aut alibi terrarum impreſſos, in has inferioris Germaniæ ditiones importet, venaléſve habeat. Qui ſecùs faxit, præter librorum confiſcationem triginta marcharum auri puri illatione mulctabitur. Vti latiùs patet in litteris, datis Bruxellæ,* XIV. *Febr.* M. D. XCVII.

Signat.

Verreycken.

Svmma Privilegii Regis Christianissimi.

HENRICVS *Dei gratia Galliarum & Nauarræ Rex Chriſtianiſſimus, ſingulari priuilegio ſanxit, nequis per vniuerſos Regnorum ſuorum fines,* IVSTI LIPSI, *quos vel hactenus edidit, vel in poſterum editurus eſt libros, excudere intra decennium præter voluntatem ipſius poſſit. Qui ſecùs faxit, præter librorum confiſcationem, ter mille florenorum illatione mulctabitur; vti latiùs patet in litteris, datis Pariſiis,* XIII. *Iulij,* M. DC. V.

Signat.

Perrochel.

TIbi IOANNES MORETE, pro amicitiâ quæ mihi cum Plantino (heu, quondam meo) & Plantinianis eſt ac fuit, tibi, inquam, permitto, vti hos Libros DE CRVCE & in eos NOTAS, typis tuis excudas ac diuulges. Nequis alibi alius præter te, cupio ſiue iubeo, ex lege quam magnus Cæſar & Reges dixerunt.

Iuſtus Lipſius.

ANTVERPIÆ,

EX OFFICINA PLANTINIANA,

APVD IOANNEM MORETVM.


M. DC. VI.


LABORE ET CONSTANTI

I. LIPSI

DIVA VIRGO HALLENSIS.

BENEFICIA eius & MIRACVLA fide atque ordine deſcripta.



ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Ioannem Moretum.
M. DC. V.

Cum Priuilegiis Cæſareo & Regio.

ILL^{MO} ET REV^{MO}

PRAESVLI

D. GVILIELMO DE BERGES,

ARCHIEPISCOPO ET DVCI

CAMERACENSI,

PRINCIPI S. R. IMPERII,

COMITI CAMERACESII.

NOn diu, nec ancipiti conſilij lance, deliberandum mihi fuit, magne PRAESVL, cuius tutelæ vel gratiæ munuſculũ hoc meum offerrem: tibi debebatur. Argumentum video? ſacrorum res eſt; & tu ſacrorum in ipsâ illâ prouinciâ, in quâ hæc geſta narrantur, antiſtes &

præſes. Hallæ, & templum, & ſacrata in eo ſtatua, tuæ iuriſdictionis & curæ ſunt: & iure igitur, quod de iis ſcribimus, in tuam item tutelam arbitriúmque damus. Quid, quòd ipſa MIRACVLA cenſionem & tribunal tuum ſpectant? nequid vanum, ſubdolum, infirmum ſurrepat aut imponat, tuum iudicium & tabella quæritur: ad te itaque imus, & velut ad Quæſitorem coniicimus hanc cauſſam. Iam ſi ſplendor aut fama operi ab illuſtris præſcriptione tituli quæritur: poſſúmne magis inclytum nomen, quàm GRIMBERGIORVM, præferre? Vos olim è Ducibus Brabantiæ, & mox Marchionibus Bergezomij, vos nobiliſſimis familiis innexi, locum & lucem inter Belgarum proceres ſemper tenuiſtis. Sed tu à te etiam lucem: qui animi dotes & virtu-

tes

tes eas ſtatim prætuliſti, quibus vel obſcuram familiam & famam illuſtrares. Sacris, Deo duce, admotus cùm Romam & Italiam vidiſſes, Leodici in Eburonum vrbe ſedem legiſti: atque ita ibi egiſti, vt voce ac digito ſignareris, probitatis, caſtitatis, modeſtæ grauitatis exemplar. Quæ ipſa ſtatim te extulerunt, & in vetuſto illo & auguſto collegio principem locum DECANI titulo adſignarunt. Vidimus te hac dignitate, in amore omnium ac veneratione: & veritas ac merita, non ſimulatio aut adulatio dabant. Sed non diu vidimus: & diffusâ mox tui famâ, PHILIPPVS II. rex Hiſpaniarum Antuerpiam reuocauit, ad Epiſcopale faſtigium: cui par fuiſti, & ſedem impleſti, eò dignior ſemper habitus, quò diutiùs imperaſſes. Denique magna

 etiam

etiam illa Antuerpia, anguſta Regi ac Principibus viſa: Cameracum te produxerunt: vbi nunc primariam dignitatem ſuſtines, cum fauore, laude, plauſu,

Lucret. *Omnibus incutiens blandum per pectora amorem*;

ſed quem reuerentia tamen temperat ac concinnat. En cauſſas dedicationis meæ, ſed publicas: priuatam vnam addam? Olim cùm Leodici eſſes, notitiâ & conſuetudine iuncti fuimus, & priuſquam inter Principes cenſereris, amici vocabamur. Hæc me impulerunt ſcriptum ſacrum, & quod ego inter mea ab argumento amo, ad te cultus & affectus teſſeram mittere: ſuſcipe Ill^me & Reu^me PRAESVL, & ſi non ab ingenio aut labore meo, ab eâdem illâ cauſsâ ama. Louanij, Idibus Iuliis, ∞. IↃCIIII.

LE-

LECTORI S. M. D.

SAcra hæc ſcripſi : & ſtatim animi oculis præuidi fore, qui inclamarent: Quid in alienos fines ſcandis? quid vana hæc affers, aut ſupra verum effers? Vtriſque reſpondendum breuiter eſt: & prioribus obduco, Chriſtianum me, & quidem puri priſciq́; ritus eſſe; quid alienum facio, ſi non adoro ſolùm Numen, ſed adorno? Decet nos, & laudes grateſq́; ei dicere, & præſertim opera eius mira ac magna propagare: quod hîc à me factum. Nam per Virginem matrem quæ Memoranda & Admiranda patrare ei viſum, narraui. narraui, inquam: non ſubtiliter aut tenuiter aliquid ſuper religione diſputaui. Itaque intra fines meos manſi, & ipſum tituli mei atque inſcriptionis agrum colui, id eſt, Hiſtoriam ſcripſi. Sed vanam, vel coloratam, aiunt alij. Dei fides, quàm falluntur! Nihil de mendacio aut fuco ſumimus: Acta & Regeſta legimus, & ex iis ſelegimus, quæ digniſſima videbantur prouulgari. An iis fidem non habent? in oculis plurium geſta, teſtibus firmata ſunt, ſæpè magiſtratuum ſignis: & caput rei, Acta hæc maiores noſtri confecerunt, religioſiſſimi homines, & ante doctrinam hanc ſpernentem Diuos nati. An & de meâ fide dubitant? mittant viſere, ſi non credunt: imò mittant, vt credant. Plura reperient: & quantumuis ſint, vt cum Pla-

*Præfracti *tone hoc dicam*, *κερασβολοι*, mitigabuntur & cedent, magnitudine vel nouitate rerum perſtricti.* Miracula,

Lib.ix. Confeſſ. *ait verè Auguſtinus,* ſunt introitus ad fidem. *Quod ſiquis etiam ſic non mouetur: iure ei Homericum hoc*

*—certè aures ſunt tibi tãtùm Queîs audire queas, periit Mẽs ipſa Pudorque.

accinam, * ἦ νύ τοι αὔτως

Οὔατ' ἀκήκεμον ἐςὶ, νόος δ' ἀπόλωλε καὶ αἰδώς.

Sed de Actis, *habuiſſe ea me deſcripta exſignataq́; profiteor, operâ* Auberti Miræi *doctiſſimi viri, Canonici Antuerpienſis, &* Ioannis Houij, *magnifici in eâdem vrbe ciuis. Gratia iis eſto: mihi fides, qui apicem non detraxi, aut addidi: niſi quòd digeßi, concinnaui, & affectus obiter miſcui, orationi erigendæ aut animandæ. Ius & laus eſt fieri. Etſi quæ magna laus? ex facili mihi & iucunda opera hæc fluxit: & teſtificor, non decem totos dies illi impenſos. Nimirum vt auro aut ebori facile eſt decus addere, cùm materies per ſe niteat: tale iſtis gratiam à ſtilo dare, per ſe gratis. Fruere bone Lector, & Euripidis illud ſemper hîc cogita:*

*Sapere modeſtè, & colere quæ diuina ſunt, Pulcherrimum puto, atque ſapientiſſimum Hominibus eſſe.

*Τὸ σωφρονεῖν δὲ, καὶ σέβειν τὰ τῶν θεῶν,
Κάλλιςον οἶμαι γ' αὐτὸ, καὶ σοφώτατον
Θνητοῖσιν ἔργον.

Puto tecum Euripides: & odi, odi curioſulos, qui etiam in illa penetrant, id eſt, Gygantæo periculo in cælum ſcandunt. Tu aliter, vt tutò & feliciter ſcandas: quod voueo, & Devs *&* Diva *tibi mecum donent.*

I. LIPSI

I. LIPSI
DIVA VIRGO HALLENSIS.

Capvt i.

Affectus noſter vetus erga Diuam: iter Hallas, & occaſio ſcripti. tum verſus.

A Primâ adoleſcentiâ DIVÆ VIRGINIS amorem & cultum indui, eamq́ue patronam mihi & ducem in periculis, in moleſtiis, in omni vitæ curſu, elegi. Etiam in ſtudiis. & ſiquid accuratiùs pangendum, aut dicendum publicè eſſet, vbi Famæ vel memoriæ res agebatur, precibus & votis ad eam iuiſſe me fateor: & felici ferè ſucceſſu. Itaque, vt primùm licuit, in Sodalitium eius nomen etiam dedi, quod apud Eburones, & in hac item vrbe frequens honeſtumq́ue eſt : cui Patres Societatis Ieſu præſident, diriguntq́ue. Ab eodem deinde iſto affectu Hallas diu adſpiraui, tandem iui : locum in multâ apud noſtros & exteros famâ, & inclytum *Miraculis*, quę tutelaris ibi Diua à multis iam annis patrat. Sed cùm veni, & ca- Anno ∞. IↃCI.

lidè templum adij, ac preces cœpi fundere, ſenſi trepido quodam gaudio, & mixtâ veneratione, corpus animumq́ue percelli : & palàm in loco Numen eſſe, quod vel ignaris mentibus ſe ſuperfundat. Precibus autem breuiter tunc (veſpera erat) conceptis, & ſequenti die ſacris ritè peractis, quibus interfui; cœpi oculos auidè circumferre ad Aram ipſam, ad Sacelli reliqua, Tabulas, Donaria, & plurima ibi diuinæ potentiæ, aut humanę pietatis, monumenta. Vbique FACTA MIRANDA, ſupra captum aut fidem hominum, ſupra ipſam naturam : & inter tot miranda, ſubiit illud mirari, nondum fuiſſe, qui ea ſcripto complecteretur, & Dei ac Virginis gloriæ diuulgaret. Incidit mihi cupido, fateor: cupido? quam voto etiam adſtrinxi, concepiq́ue inquirere, colligere, ſcribere, quæ huic rei eſſent. Eâ mente ad hoſpitium redij, Verſibus paullò pòſt teſtatus & gaudium meum in hoc adſpectu, & laudes Diuæ leuiter, atque inſtitutum meum, tangens. Sunt iſti:

Ode

Ode ad DIVAM HALLENSEM ab interuallo conſpectam, & veneratam.

QVem me, quóue loci eſſe
Dicam? téne ego, Diua,
Cerno? te fruor, & datur
Ora tueri?

Ora, quæ toties mihi
Contemplarier ardor:
Pro quâ luce tot olim
Voui ego vota.

Quorum nunc benè damnâs,
Sacram pronus ad aram
Flecto corpus, & ipſam
Conſecro mentem.

Suſcipe, & tibi deditum
O admitte clientem:
Et linguæ atque ſtili mihi
Fræna relaxa.

Etſi quid tibi dicere
Dignum, Diua, habeam? tibi,
Quæ magni genus es Dei,
Cui Deus ipſe

Imputat genus, & ſuam
Inſcribit ſibi matrem.
O mirum! ſtupet hæc humus,
Et ſtupet æther.

Qui verbo omnia condidit,
Is ſeſe in gremium tuum
Verbum condidit, & tuâ
Editus aluo eſt.

Da flores puer, & ſacri
Da mî thuris honores:
Jllos ſpargere, & hos ſit
Fas adolere.

Plura non datur. & licet
Prædicare ſilentio,
Quæ laudes hominum ſupra,
Quæ Geniorum es.

CAP. II.

Origo imaginis à Diuâ Elizabethâ. de hac igitur præmiſſum, de ſtirpe eius, quâ genita, & quam genuit, de morte & conſecratione.

LAudare igitur abſtinebo, narrare incipiam, & ſtilo vulgare ADMIRANDA tua opera, vtinam vel in fines vltimos terræ poſſim! Incipiam ab ipſo capite, & primò dicam *Vnde hæc imago*, & in hunc locum delata: tum *Beneficia* adiungam, & *Facta inopinata*, & quæ non niſi diuinæ potentiæ vlla mens tranſſcribat. Da mihi O DIVA, quam præſentem animo contemplor, quod piè ſanctèque inſtitui, ritè & feliciter exſe-

exſequi, nomini & cultui tuo propagando, pietati & ſanctimoniæ augendæ: quos duos profiteor huic ſcriptioni eſſe fines. *Andreas ſecundus* Rex Hungariæ (quæ priſcorum ferè Pannoniam & Daciam continet) Rex, inquam, Hungariæ fuit, anno ∞. CCI. Vxorem habuit *Gertrudem,* Ducis Meraniæ, Carinthiæ, & Iſtriæ filiam: cuius ſoror (dignum monitu) *Hedvvigis,* nupta *Henrico Barbato,* Principi Sileſiæ & Poloniȩ, inſigni pietate inclaruit, adeò vt Sanctorum numeris meruerit adſcribi. Ea obiit anno ∞. CCXLIII. diu poſt ipſam *Elizabetham,* ex ſorore neptem, de quâ eo dictum. Nam Andreas ex coniuge illâ ſuâ tulit quattuor liberos; *Belam, Colomannum, Andream, Elizabetham.* Duos priores omitto, non pro re noſtrâ: è duobus aliis, *Andreas* regni expers, ob naſcendi ordinem, in Italiam & Venetias venit, fortunam ſibi aut ſuis facturus, atque ibi ductâ prædiuite vxore conſedit. Filium *Marcum* reliquit. qui largus opum, & honorum auidus, in Galliam, florentiſſimum tunc regnum, migrauit: atque ibi dignum ſtirpe regiâ coniugium & proles repperit, fundauitque inclytam hanc CROYORVM familiam, nunc quoque opibus & honoribus florentem. Cui magnum decus DIVA ELIZABETHA innectitur, ſoror, vt dixi, huius Andreæ, & filia illius Regis. Hæc ad inſtitutum noſtrum maximè pertinet, & eius

ergô præmittenda illa ad lucem fuerunt. Quæ admodum puella, & trimula dumtaxat, *Ludouici* filij *Hermanni*, Lantgrauij Thuringiæ & Haſſiæ, nuptiis deſpondetur, legatis vtrimque miſſis: qui Ludouicus inter potentes Germaniæ Dynaſtas eminebat, & genus ac ſanguinem ad *Carolum Magnum* referebat. Deducitur in Thuringiam anno pòſt, id eſt quadriennis: & ſub oculis curaque parentum, futuro marito creſcit & educatur. Quantis iamtum ſanctimoniæ indiciis, longum ſit dicere: hoc moneo, puellam, vxorem, viduam, mirâ pietatis laude celebrem fuiſſe: ideoque à pictoribus aut ſculptoribus paſſim caput eius triplici coronâ inſigniri, quam in quoque ordine illo iure ſibi poſcit. Sed hæc igitur grandiuſcula, & viri iam patiens, marito iungitur, annos nata circiter quattuordecim. Is mulierem matremque fecit, & genuit ex eâ anno altero *Hermannum*, primum vnicumque filium: & mox biennio pòſt filiam *Sophiam*, quæ Duci noſtro Brabantiæ nupſit, vt dicam; iterumq; biennio, alteram *Sophiam*. quæ matris, opinor, monitis aut exemplo, pertæſa rerum terreſtrium, & cæleſtia ſpirans, ſacrarum Virginum cœtui ſe mancipauit, in Franconiæ monaſterio *Kitzingâ*. Quod ita in Chronicis Erphordienſibus fideliter ſcriptis reperio: etſi alibi, hanc non *Sophiam*, ſed *Gertrudem* dictam, & Virginitatem conſecraſſe

Alden-

Aldenburgi. Hi liberi. neque maritus diu ſuperfuit: cùm tactus piæ militiæ amore, anno ∞. CC XXVII. vnà cum Frederico Imp. ad Terræ ſanctæ recuperationem iret: iret, nec perueniret. Nam Hydrunti in Apuliâ, dum tranſgreſſui omnia parantur, febri correptus obiit, ſiue vt alij, veneno interceptus. De loco, plures conſentiunt: legi tamen qui in Siciliâ obiiſſe aſſerant. noſtro fortaſſe, non ſuo errore: cùm illius æui nomenclaturâ ipſa Apulia, & regnum illud hodie Neapolitanum, Siciliæ nomine dicerentur. Duplex enim ea erat, vltra & citra fretum ſiue pharum, vt loquuntur: atque ita igitur hîc capiamus. Sunt etiam qui in ipsâ Terrâ ſanctâ obiiſſe, ſed temerè & falsò, tradant. Loculus quidem & oſſa paullò pòſt ad mæſtam Elizabetham tranſlata: mæſtam, etiam ab iniuriis, quas ab *Henrico* fratre mariti erat paſſa. Is enim à primis ſtatim nunciis de morte, Hermanni pueritiam ſuum commodum ratus, prouinciam, arcem, bona inuaſerat: Elizabetham cum ſuis eiecerat: ita properè & ferociter, vt miſera paruos liberos trahens, & cum fortunâ deſerta ab omnibus, vix hoſpitium reperiret, metu potentioris. Contulit ſe itaque in Haſſiam, tota pietati iam conſecrata, eíque aſſiduè, ductore quodam *Conrado*, religioſo & optimo viro, operatur Marburgi: vbi & diem ſuum obiit, etſi placato iam Henrico, & ideò ab

opi-

opibus inſtructior. ſed quas non niſi in pauperum vſum, & ſtatim elargitura admiſit. Obiit autem quadriennio circiter à marito, anno ∞. CC XXXI. quod ſcriptores eius æui conſtanter tradunt: & ergo iuuenis obiit, nec niſi annos vigintiquattuor nata: breui circulo quantam virtutum copiam complexa? Quæ famâ, ſed & miraculis diffuſæ, caput Eccleſię Gregorium tunc Nonum haud latuerunt: atque is eas produxit & propalauit, & ipſam, conuentu & conſenſu ſacrorum Procerum Peruſiæ, cæleſtium numeris adſcripſit: iuſſitque precibus & veneratione proſequi, & feſtum quotannis diem habere XIII. Kalend. Decembres, quo ex hac vitâ migraſſet. Diploma ipſum Pontificis Vaticana Bibliotheca in Regeſtis ſuis habet, promulgatum anno ∞. CCXXXV. quadriennio ab eius morte. Eo autem in Germaniam perlato, concurſus Marburgum factus: oſſa de humiliore in altiorem locum, & auguſtiorem loculum, tranſlata: cùm adeſſet Imperator ipſe *Fridericus*, honoris & pietatis ergô, itemque Archiepiſcopi Moguntinus, Colonienſis, Bremenſis, & magna vtriuſque ordinis procerum manus. Quo tempore è ſacro cadauere oleum vbertim manauit. Imperator coronâ aureâ decorauit, alij donis aliis: ego te, Diua, breuiter laudibus precibuſque, *Salue & faue*.

CAP.

Cap. III.

De filiâ Elizabethæ Sophiâ. quæ in Brabantiam venit, ſtatuas attulit, diuiſit, & quomodo hæc Hallis dedicata.

HErmannum, vt dixi, filium habuit, ſed nec hunc longæuum. Cùm enim octauodecimo circiter anno vxorem duxiſſet, in flore æui, ſtatim ab ipſis nuptiis obiit, veneficio, vt conſtans fama ferebat, *Berchtæ Sebergiæ*, nobilis fæminæ: incertum amore an odio, ſuo an alieno impulſæ. Sed obiit, & ſororem reliquit *Sophiam*, de quâ tetigi, & nunc vberiùs dicam, vel Brabantię noſtræ cauſsâ, in quam venit & nupſit; itemque inſtituti, quia propioribus lineis ſacram Statuam noſtram tangit. Igitur *Henricus* II. Dux Brabantiæ tunc prçerat, cognomento Bonus: qui primis nuptiis *Mariam Sueuicam*, *Philippi* Imp. F. vxorem habuerat, exque eâ *Henricum* III. ſuſtulerat, Magnanimum dictum: vt tunc apud nos moris erat, principes viros titulo aliquo diſcernendi, vel potiùs honeſtandi. Is *Henricus* & poſteri in patriâ noſtrâ Principatum tenuerunt; & ſtirpe meliore deficiente, per *Margaretæ* nuptias ad inclytam Bvrgvndiæ gentem detulerunt: quæ *Margareta*, matre item *Margaretâ*, *Ioannis* III. neptis nupſit *Philippo Audaci*, primo noſtro in-

ter externos Duci. Hęc igitur *Maria* cùm prior
∞. CC. XLII. *Henrici* vxor fuiſſet, abiiſſetque: iunxit ille ſibi nuptiis alteris *Sophiam Elizabethæ* filiam, generis nobilitate, & matris pietate demonſtratam. Ex quâ tulit item *Henricum* filium, cognomine Brabantinum dictum. Qui cùm expers paterni Ducatus eſſet, fratri prærogatiuâ ætatis transſcripti: annos iam duodecim natus adiecit oculos atquę animum ad Thuringiæ & Haſſiæ Principatum, materno iure & gratiâ fretus. quippe quæ in iis locis, vel Diuæ *Elizabethæ* memoriâ, vel & propriâ virtute, ingens nomen & amicos fautoreſque reliquiſſet. Sed ecce, mortuo *Hermanno* fratre *Sophiæ*, cui ius illud ſine controuerſiâ debebatur, ſucceſſit & vindicauit ſibi, exclusâ fæminâ, *Henricus* frater *Ludouici*: tenuitque quöad vixit, opibus & potentiâ valdè auctus, & facien-
∞. CC. XLVII. te Pontifice Innocentio II. Rex Romanorum contra *Conradum* Frederici F. electus. Quem prælio apud Francofurtum etiam vicit: vir magni animi & ſpei, ſed quam Fata inciderunt, obiitque anno poſt electionem, liberorum expers. Ea res iterùm ius & ſpem *Sophiæ* noſtrę præbere viſa, venitq; multis aduocantibus in Thuringiam: etſi alij contrà nitebantur, aduocato *Henrico* altero, Marchione Miſniæ & terræ Orientalis, nato ex ſorore Henrici Regis defuncti. Sophia vetus ius prætendebat; iſte nouellum,

deni-

denique pacificatione aliquoties tentatâ & irritâ, armis decretum eſt: quorum finis, vt partitione factâ, Thuringia penes Marchionem Miſniæ maneret, Haſſia Henrico Brabantino cederet. Idque ad poſteros obtinuit: & ſtirps iſta, quæ hodieque eſt Landtgrauiorum Haſſię, originem & dynaſtiam ſuam Henrico, & Sophiæ eius matri debet acceptam, itemque piæ Elizabethæ. Sed abite nunc confines hiſtoriæ; ad rem ipſam noſtram veniamus, quâ cauſsâ, & fidei ſtruendæ, hæc præmiſſa. Sophia igitur iſta maternæ pietatis etiam heres & adſecla, Diuę Virginis cultui inprimis fuit mancipata. Putatur à matre ſtatuas aliquot accepiſſe, quas vel ob eius memoriam caras ſanctáſque habuit: è quibus vnam Viluordiæ, in cœtu Virginum religioſarum dedit dedicauit, miraculis olim & nuper claram, cui cognomen DIVÆ CONSOLATRICIS à re inditum: quia multi malis animi corporiſque remedia illîc aut leuamenta reperiebant. Tres alias dediſſe *Machtildi* ſorori Henrici Ducis, mariti ſui: quæ alteris nuptiis iuncta *Florentio* IIII. Hollandiæ & Zelandiæ Comiti fuit. E quo coniugio *Guilielmus* II. ille natus, illuſtre nomen, & Rex Romanorum in diſſidio electus. Accepit, inquam, Machtildis ab ipsâ Sophiâ: quod vero propius & rationi temporum aſſidet, quàm vt à Diuâ Elizabethâ, quæ diu mortua, & vix eſt vt

 cauſ-

cauſſam donandi, aut arctiorem notitiam, in tam diſſitis locis, habuerit cum iſtâ. Vndecumque ea nacta, Statuas tamen habuit, coluit: & iam moritura diſpartiuit, & locis ſuis quamque aſſignauit. Vnam Graueſandæ, Hollandiæ veteri opido, quod finitimum eſt Loſdunenſi cœnobio: quod ipſa condiderat, in eoque vitam à morte mariti caſtè pieq; egerat. Alteram Harlemi, adſeruandam in ſacrario Carmelitarum: tertiam denique hanc noſtram *Hallis* Hannonię collocari voluit, ſiue iuſſit. Quare illic, & cur extra Batauiam? Credo, quia inter alias prolem ex Florentio marito *Adelheidem* genuerat, nuptam Ioanni Auennenſi, Comiti Hannoniæ: & hanc igitur, eiuſque ditionem, ſacro hoc donario iuit auctum. Hoc euenit anno Chriſti ∞. CC. LXVII. quo Machtildis illa diem obiit. Addo obiter, huius filiam fuiſſe item *Machtildem*, quæ nupta Comiti Hennenbergio vno partu protulit CCCLXIIII. proles, quas Otho Antiſtes Vltraiectinus ſacro fonte omnes abluit: rem fabulæ, quàm hiſtoriæ propiorem, niſi eam Annales noſtri conſtanti aſſenſu tradidiſſent.

CAP.

CAP. IIII.

Aliquid ſuper ipſo opido Hallenſi, itemq́ue templo.


ERgo hæc illa, & tali origine, Statua eſt quam *Hallis* hodieque colimus : de quo loco & opido, exterorum cauſsâ, breuiter libemus. Eſt illud in finibus Hannoniæ, quà Brabantiam tangit, tertio à Bruxellâ noſtrâ milliari. Ipſum modicum eſt, neque opere aut ędificiis conſpicuum: ſufficit loci ſanctimonia, ad præſidium ſimul & ornamentum. Ager tamen in ambitu bonus, fœcunda pratis aruiſq́ue planicies, quam Zenna flumen interluit, & ipſum item opidum : atque illinc riuis amnibuſq́ue auctum Bruxellam, nauium in eâ & extra eam patiens, venit. Nomen à tutelâ aut conſeruatione habet, vt aliæ item *Halæ*, ſiue placet *Hallæ*, quæ paſſim exſtant. Enimuerò vulgò etiam ædificia ſic appellamus, vbi merces aut homines tueri ab iniuriis aëris ſolent: aut litterâ mutante, *Salas*. Atque iſta vox Gallis nobiſque in aſſiduo vſu eſt, pro *Atriis*: cauſsâ eâdem, quia ibi conuentus, & in tuto ac ſudo agunt. Sed & *Halas* Louanij habemus, veterem lanificij & lanificum domum, eorumq́ue receptui : nunc, meliore auſpicio, ab Arachne ad Palladem tranſlatam, in quâ optimarum artium ſcientiarumq; doctores & diſcipuli cottidie ope-

 rantur.

rantur. Sunt & Saxonicę *Halæ*, itemq; Tirolenſes ad Oenum: à ſalis aſſeruatione dictæ, ſiue ab ipſo *ſale:* nam & hoc originationem ſuam primogenio huic debet. Quid enim magis, quàm *Sal,* ſeruat? quod priſcis Gręcis noſtriſq; *Hals,* ſiue *Halt* fuit: & mox in *Salt* mutauit: ab eóque, dixerit Becanus, Latinorum *Salus.* Hoc noſtrum opidum quando conditum, neſcio: vetuſtatem tamen aliquam habet. Itémq; arcem, Dynaſtarum eius tractus olim domum, an Prętorium: in quâ egiſſe ſępiùs, atque etiam obiiſſe *Philippus Audax* dicitur, is qui Flandriam cum Brabantiâ iunxit. Etſi Froſſardus in opido quidẽ, ſed in hoſpitio Cerui (nunc quoque domus ibi, & inſigne) non autem in arce ſcripſit obiiſſe. Id fuit anno Chriſti ∞. CCCC. IIII. Eſt autem templum in opido, foro imminens, eleganti ſatis opere: cuius ala ingredientibus ſiniſtra ſacellum habet & Aram, ac ſuper eam Statuam hanc DIVÆ VIRGINIS, de quâ agimus & agemus. Sacellũ modicum eſt, ornatũ à donariis & tabulis votiuis habet, religionem à ſe, & neſcio quomodo ingredientes ea tangit. Concurſus huc olim & nunc vndiq;, etiam à longinquis locis, & quàm latè propemodum Chriſtiani fines ſe tendunt. Quid mirum? MIRA hoc effecerunt, quæ crebra & vel aſſidua hîc euenerunt, eueniúntque. quod boni gaudeamus & iactemus; improbi liueant, aut calumnientur.

CAP.

SACELLVM D. VIRGINIS, ET PRAECIPVI ORNATVS.



. *Statua ſacra.* 2. *Duodecim Apoſtoli argentei, donum Philippi Boni.* 3. *Statua Diuæ argentea, eiusdem munus.*
. *Maximilianus Imp. Albertus Dux Saxoniæ, & quidam procerum.* 5. *Arbor aurea Maximiliani, inſcripta*
NNO VIIII. 6. *Lampas argentea Iulij* II. P.M. *inſcripta,* ANNO VIIII. IVLIVS PONT. MAX.
. *Paludamentum Caroli* V. *Imp.* 8. *Statua argentea viri geniculantis, donum Fuggerorum.*

Cap. V.

Tranſitum ad Miracula ; ſed primò communiter Vera hæc aſſerta , & diſcrimen triplex à Falſis datum .

QVid tamen calumnientur ? non certius diuinitatis argumentum, quàm à MIRACVLIS: quæ Deus ipſe homo factus, vt talem ſe aſſereret atque oſtenderet, palàm exhibuit & vulgauit. Sunt, & fuerunt Genij, fateor, qui ludibrio aut fraudi noſtræ ſimilia quædam patrant: ſed ſimilia. ab ipſis illis Veris non vnâ aut fallaci notâ ſeiungenda. Dicam, vt bonitatem noſtris præſtruam, & contra improborum, an impiorum calumnias, præferam ſcutum. Triplex nota eſt, quâ Vera à Vanis miracula differunt: *Magnitudo, Finis, & Fides.* Magnitudo, quòd non exigua aliqua aut leuia ſunt in opere, ſed quæ opinionem, ſenſum, naturam omnem vincant: & quæ ipſa illa Natura non niſi domino ſuo poſſit indulgere. Legiſtíne à Moyſe, Pharäone rege arbitro, victos variè eius præſtigiatores, aut Magos? Tale vniuersè in Veris Vaniſque ſcito : vim illîc veram & diuinam eminere, ideóq; & maieſtatem: hîc fallax aliquid, luſorium & illuſorium, & in exploratione leue reperiendum. Genij ſe miſcent, aërei, terrei, aut inferi, & opellas aliquot

exhibent, ſed opellas: quod ex comparatione diuinorum operum peruideas, & peruincas. En in veteris Scripturæ libris, tot centena millia hominum, ſectis diuiſiſq; aquis, velut per ſiccum traducta. En iterùm, in ſqualidis arentibuſq; locis, è durâ petrâ, ictu virgæ, torrentes aquarum manantes. Quis non auguſtum & ingens hoc videt, in mari abductas, è lapide eductas aquas? & à quo niſi à Numine? Nam magi omnes conueniant, non facient: niſi fallaci aliquâ imagine, & ſine alio fructu mox periturâ. Idem in nouæ Scripturę libris, idem in nouitiæ magis & noſtræ. Non damus nauim zonâ mulierculæ alligatam, & aduerſo flumine motam; non aquam in cribro geſtatam; non manu permulſam, & tactu aëneam factam barbam; non cotem nouaculâ ſciſſam: minuta & à minutis Geniis hæc facinora eſſe ſcimus. Quid ergo nos? claudos erectos; cæcos luce affectos; morbidos perſanatos; mortuos ipſos ſuſcitatos, & verâ vitali luce iterùm donatos. Imperium in elementa, in animantia, in naturam ipſam rerum Chriſtus & Chriſtiani vſurparunt, & vſurpant. Iam diſcrimen alterum à Fine eſt. Vt demus magna quædam à profanis prauiſque hominibus patrari: finis diſſidet. Illi in ludibrium aut noxam faciunt: noſtri in ſerium fructum, aut ſalutem. Præſtigiatores, calculatores, & id genus, quid niſi vanâ ſpecie obiectâ oculos ſenſuſ-

ſenſuſque fallunt? & fallendo delectatiunculâ aliquâ fortaſſe permulcent. Magi, incantatores, venefici, nocendi palàm finem habent, & ad Dęmonum cultum adducendi, quorum ope conſilioque hæc patrant. Itaque non fallax & iſte character. quòd Vera miracula ad verum, & vnum, Deum ducunt; falſa ad falſos, & multos. Tertium denique diſcrimen, Fides: atque id dupliciter. Primùm, quia vana multa eiuſmodi famâ aut ſcriptis prodita: & Liuius ipſe non ſemel agnoſcit, turbido aliquo tempore, *verſis in religionem animis, multa viſa creditaq; prodigia, quæ non erant.* Natura ſcilicet humana, ſuperſtitioni prona, hæc accipit: & fraus Genialis obiicit, inſinuatque. Senſu etiam altero vana, quia ſpeciem ſæpe, non rem habent: non certè perfectionem, aut diuturnitatem. Nam & Genij ecce morbos interdum, aut cæcitates, aut alia damna corporis curare videntur. Videntur, inquam. vel quia ipſi temporaneum aliquid tale intulerunt, vt auferant; vel quia non in longum curant, & eadem aut maior noxa (vſu cognitum) mox adhæret. Non ſic in Veris, abſit. omnia fidem habent, ſiue libris ſacris tradita, qui non magis quàm eorum auctor (is Deus eſt) mentiuntur: ſiue bonis teſtibus arbitriſque affirmata: denique fidi etiam perfectique operis, nec retractantur ex facili, aut mutant. Et verò illa ipſa

tamen Geniorum opera ſicui miranda videntur, vt flumen ſiſtere, pluuias immittere, futura prædicere: quid niſi in Dei potentiam pia mens ducat, quo faciente, aut certè permittente, illa ipſa eueniunt? Ac ſi minuti creati iſti ſpiritus talia; quanto maiora maximus ille, conditor & creator omnium, poteſt? Vides diſcrimina: interroget me aliquis, Sed cur Miracula hæc non ipſe in ſuo nomine Deus, & magis ſępiuſque hodie in Diuorum, & ſæpiſſimè Diuæ ſuæ matris, edit? Cum Auguſtino reſpondeam, Non opus nunc Chriſto aſſerendo prodigiis: imò *ſiquis ea requirat, ipſum eſſe prodigium, qui mundo credente non credat.* Excipio, ſi apud gentes longinquas res geritur, & omnis fidei noſtræ adhuc expertes. At in Diuis quia aliter eſt, & multi etiam Chriſtum profeſſi obſtrigillant eorum honori, aut cultui: meritò extra ordinem eos aſſerit; & quos abiiciunt, alleuat; quos obtenebrant, illuſtrat. Et quis neſcit, tot iſtas hodie nouellarum opinionum ſectas, conſenſu & velut de compacto in vnam *Diuam Virginem* incurrere, & decus eius omne ire imminutum? Ergo iſte vindex tuetur, & auget cottidie: & auſim dicere, nullibi, in nullo nomine aut titulo, plura & maiora *Miracula,* quàm in eius exhiberi.

De ciuitate Dei XII. cap. VIII.

CAP.

CAP. VI.

Miracula quæ ipſum opidum, aut templum, aut ſtatuam propriè tangunt: & tutela in iſtis Diuæ palàm obſeruata.

ET noſtra iam videamus: quæ ſedulò & fideliter ex archiis aut monumentis deſcripta trademus, procul ab adſtruendo, omiſſioni propiores. Quid ita? quia, vt ęui ſuperioris ſimplicitas aut neglectus fuit, multa ab iis non conſignata ſcriptis fuêre, etiam quæ in illuſtribus perſonis patrata opinemur. Quidni opinemur, in tam frequenti eius cultu: quem non niſi beneficiis & miraculis probabile eſt prouocatum? Atqui pauca ante annum CCCC. exſtant: niſi longiùs quædam ſpectant, quibus temporis nota non eſt adiecta. Queramur, imò indignemur: quamquam olim ſimile. atque ipſe Auguſtinus, æuo illo curioſo & erudito, ſcribit *multa ad memorias martyrum facta*, ignoratione aut obliuione, famâ excidiſſe. atque adeò *in ipſâ vrbe Carthagine eueniſſe, quæ Carthago neſciret.* Simile Hallis noſtris factum: & demus ſimplici pietati veniam, quæ contenta præſenti & ſuo fructu fuit. Illud autem primùm obſeruo, in ipsâ Statuâ miri aliquid videri: quæ haud magna (bipedalis circiter) & è puro nec medicato

Lib. XXII. De ciuit. Dei, cap. VIII.

ligno, tot ſæcula perſeuerat, immunis adhuc ab exitiali peſte. Immunis etiam ab incendiis: quæ vrbecula illa aliquoties, vel noſtrâ memoriâ, ſenſit: cùm illa Diua & ſe, & templum ſuum, omni vicino foro, & iuxta ipſam ædem ædibus ardentibus, defendit. Quid, quòd ab hoſte, & vi bellicâ, defendit? Incolæ præferunt, & Annales referunt, aliquoties opidum illud, nec ſitu nec opere munitum, tentatum ab hoſte, vel clàm & fraudibus, vel palàm & machinis: ſed tutelâ præſidioque eius ſtetiſſe inuictum. Cùm bellum ciuile, aut potiùs inteſtinum, inter miſeros & fato quodam huic malo deſtinatos Belgas eſſet, quo tempore *Maximilianus Primus Auſtriacus* rebus præerat, filij ſui Philippi tutor: cùm, inquam, alia Flandri atque vnà Bruxellenſes, alia & meliora Hannonij & maior prouinciarum pars ſentirent, Principi *nouo & veteri adhærentes: ecce *Philippus Cliuius* partium aduerſarum Dux, animo & manu ſtrenuus, Bruxellæ tunc agebat, & valdè in rem putabat *Hallas* ita propinquas capi. Vno anno bis tentat. per inſidias ſemel, & occultam intra muros conſpirationem: iamque copias ad ſex millia militum cum tormentis eduxerat, ignaris ſuperuenturus. Caſu ciuis (quid caſu? Numine, & Diua vigilabat) ciuis, inquam, Bruxellenſis à præſidiariis capitur: qui rem omnem & coniuratos ipſos detexit. Cliuius ignarus adue nit,

* *Philippo Maximiliani F. atque ipſi Maximiliano.*

∞ CCCC. LXXXIX.

uenit, & vt putabat, ignaris. Illi ſilent, diſſimulant, adire patiuntur, foſſas tranſire, muris ſubire: tum vndique ex præparato, ingruunt, tela, viri, fæminæ, & magnâ ſuâ clade proturbant incautum hoſtem: deleturi etiam, ſi maior aliqua manus in opido fuiſſet. Alterum eodem anno, clarioris ſubſidij. Quod fraus abnuerat, à vi Cliuius vult impetratum. Venit eò cum inſtructo decem millium equitum peditumq́ue exercitu. Ita autem ſubitus venit; vt centum viginti Hallenſes præſidiarios, lignatum & pabulatum egreſſos, ad vnum omnes interciperet: triſti augurio, & damno certiore, quò minor in vrbe manus, vix ducenti quinquaginta milites, remanebant. Sed DIVA ſcilicet, quæ tutelæ ſuæ totam rem facere voluit, etiam muros dirui tormentis paſſa, & aditum lato limite fieri, quà vel tria plauſtra tranſirent. Præterea ignis, ferreis cauatis globis, & qui emiſſi pateſcerent eumq́ue funderent, in domos variè ſparſus: & quaſdam iam comprehenderat. Vbique periculum, clamor, conſternatio: ſed in vnâ re ciues conſtantes, ad DIVÆ opem piis votis confugiunt. Tum velut robore diuinitus immiſſo, à templo feruntur in hoſtem, ipſi ſacerdotes iis mixti. Pugnatur acriter, illinc viribus, hinc animis maioribus: ac denique ſub veſperam cum multâ ſuâ cæde hoſtis pellitur, ipſe quoque faſſus Numen ſibi palàm repugnaſſe. Interea fæminæ & im-

& imbellis manus incendia reſtinguere. è quibus decem, vnâ aliquâ domo conſcensâ, cum eâ ipsâ decidunt. Mortuas & obtritas, tam graui ruinâ, omnes exiſtimare: at illæ ſurgunt ſine maiore aliquâ noxâ, & domum quæque ſuam, ſuis pedibus, eunt. Quis non tum laudes grateſque ſacrę Virgini corde, ore, plauſu dixit? Et hoſtis cùm ſequenti die iterùm oppugnare pararet: ecce tabellarius à *Carolo Croyo* Chimaci Principe (qui toto hoc bello fidam & eximiam operam Maximiliano præbuit: cuius ad illum litteras latinè ſcriptas, ipsâ Maximiliani manu, libens * vidi) ab eo, dico, Hallenſibus litteræ, quibus intra triduum auxilium & copias magnanimus ille Princeps promittebat. Ciues gaudio exſultare, tympana & campanæ ſonare, omnia lætitiæ ſigna dare: vt hoſtis non aduentare, ſed aduenisse iam auxilia ſuſpicatus, ſiue Deo etiam terrente & auertente, trepidus feſtinuſque inde diſcederet: ne mortuorum quidem curâ aut ſauciorum, quos in foſſis viiſq; reliquit, ipſa etiam oppugnationis aut belli inſtrumenta. Sanè centum circiter globos è ferro aut lapide, etiamnunc monumentum rei, in æde ſacrâ ſeruant, arcis ligneis conditos, qui triginta, quadraginta, ſunt & qui ſexaginta, pondo libras pendunt.

* *Oſtendente Illuſt^mo Carolo, Duce Croyo & Arſchotano.*

C A P.

CAP. VII.

Duo eiuſdem rei exempla, à noſtro æuo, ſeria ſimul & iocoſa.

SEd hoc etiam, in eâdem tutelâ ſui & ſuorum, Anno ∞. lepidum, & quod cum riſu admirationem IↃ. LXXX. habeat; geſtum haud pridem, iſto noſtro infauſto ciuili bello. *Oliuerius Tempelius*, vir militiæ gnarus & acer, Bruxellæ præerat: quæ tunc quoque in alias partes iuerat, non capta, ſed decepta. Iſte imminebat Hallis aſſiduè: quas cum Hannoniâ & Arteſiâ, reſtitutas iam Regi audiebat. Bis igitur tentat. eò audaciùs quòd & finitima oppida ſuæ poteſtatis eſſent; & in ipſis Hallis vix quadraginta nouelli milites, qui tuerentur. Primo die repellitur, & callidè, quaſi omiſſo incepto, abit: ſed in animo aliud verſat, & clàm conductis in vnum prꝑſidiis vires auget, & inopinatus ſub noctem ſequentem redit. Et iam cum ſcalis & reliquo apparatu, in viâ, vt fit, incedunt alacres, mutuò ſeſe adhortantes. Erat in numeris *Joannes Zvvyckius* quidam, homo non religionis ſolùm & vitæ improbus, ſed linguæ. Is canere iam triumphum, & iactitare palàm, *Se ſuis manibus Hallenſi muliercula* (Dei parentem intelligebat) *naſum abſciſſurum*. Itur porrò, peruenitur: quid factum? Diua audierat, & quaſi

D talio-

talionis pœnam machinata, procurat mox, glande plumbeâ excuſsâ, ſcurræ illiipſi naſum auferri. Pœnam habuit, & irriſum inter ipſos commilitones perpetuum meruit: qui identidem hominem ad naſum recipiendum Hallas mittebant. Sed & alter in eâdem expeditione, *Ioannes Ryſſelmannus*, immaniore etiam ſæuitiâ, & ore tetriore effuderat, *Sacratam ſe ſtatuam Bruxellam adducturum, atqui ibi igne ſubiecto publicè crematurum.* Deus, Deus (mitiſſimam Virginem hîc omitto) audiit: & illi impio blaſphemum os ac mentum tormenti ictu abſtulit, & paullò pòſt ipſam vitam. En vindicem etiam Diuam: ſed magis iuuat audire & videre adiutricem.


HALLAE OPIDVM.
A
B.
1.
2.
2. Oliuerius Tempelius Hallas frustra bis tentat 9. et 10. Iulij Aº. 1580.
B. Locus aggreſsionis Tempelij.
1. Philippus Cliuius cum ſuis Hallas fruſtra oppugnat Aº. 1489.
A. Porta S. Catharinæ.

CAP. VIII.

Beneficia eius deinceps in priuatos. & primò à morte ſeruatus & patibulo, qui Falconem amiſerat.

O Quàm variè, & quàm multis! in animo, in corpore; in periculis, in calamitatibus; in languoribus, in ipsâ morte. Exempla videamus: & primum iſtud, quod lignea vetus imago repræſentat, donarium ibi & monumentum. Scripta etiam in archiuis habent plenam hiſtoriam: ſed annum omittunt. & rem tamen veterem eſſe, cùm dictus ille typus, tum ipſa ſcriptio adfirmat, vetuſtioris ſtili ac linguæ. Res ita habet. Aucupium inter nobilitatis noſtræ priſca & prima exercitia fuit, etiam nuper: priuſquam triſtia hæc bella omnem ludicram honeſtamque voluptatem arcerent. Huic capturæ Falcones habebantur, impenſo pretio è Septemtrionis ferè partibus petiti, fuſci, albicantes, aut varij: bonitate etiam variâ, vt genus cuique ſuum, & ex eo vigor aut rapacitas erant. Vir igitur nobilis (nomen ſiletur) talem auem prædatricem æſtimatam & amatam habebat: quæ caſu, aut negligentiâ miniſtri, auolauit. Dominus in occaſione requirere: ille muſſare, & quod res erat denique dicere, Auolaſſe. Bilis huic in naribus: &, *Sceleſte, ſic imponis? pretio auem alienaſti, & manum*

manum mihi mendacio adis. Audin' autem? ſeriò edico, niſi intra quinque ſeptimanas (hanc compe-rendinationem vitæ tuæ dono) auis compâret, tu periſti. Seruus in metu, qui dominica & ſemi-barbara tunc imperia norat: itaque requirit ipſe & alij vndique, ſiluas & deuia veſtigant. fruſtrà. Dies lapſus, hero minę non elapſæ: quas ad rem vult conferre. Iterùm ille ſupplex precatur, & impetrat menſtruam dilationem. Sed nulla quæſitio iuuat. Dominus crucem iubet ſtatui, miſellum ſub eâ deſtitui, iam laqueo illigandum. Carnifex adeſt, * oculi obligantur: ſpe omni atque ope humanâ abeunte, diuina ſubuenit: & in mentem ei eſt *Diua Hallenſis,* quam miſerorum, & præſertim innocentium, ſæpè leuamen audierat fuiſſe. Tacitis precibus inuocat: atque ecce ſtatim in aëre viſus audire ſonum tintinnabulorum, quibus pedes huic auitio, vt amiſſæ ſe prodant, ſolent illigari. Iam mens, iam ſpes illi redit: & dominum ſupplex rogat paullùm reuelari, vt liberis ſaltem, & erectis in cælum oculis, vltimas preces poſſit effundere. Conceditur, orat iterùm Diuam, quàm ex animo quid opus dicere? pro ipsâ animâ. Ecce autem palàm & in conſpectu omnium, ille ipſe Falco, nihil deterritus eâ populi multitudine, è ſublimi aëre præceps deuolat, & in humero eius conſedit. Clamor & gratulatio facta: ipſe auem, in aue vitam recuperat,

** Ita in Scripto. hodie nõ vſitatum, in illo ſupplicio.*

rat, dominus innocentiam. At Diua Virgo omnium ore laudes accipit : & ab ipſo quem ſeruauit teſtimonium. quod, vt dixi, nunc ibi in ligno compâret: aliquâ tamen diſſonantiâ à recitatione meâ & Scripto. Nam illîc Falco non precanti & appendendo, ſed iam appenſo & illigato ſuperuenit: quod magis ſum vt credam, & augendæ admirationi facit. Cur enim non tam vetuſto typo? in quo etiam veſtitum veterem notes, ſerui tunicati & accincti.

Cap. IX.

Quidam inter aquas ſeruatus, in immani & ſubito diluuio.

ALiud ab illo æuo : ſed quod certius deſignem. Euênit enim, vt memoriæ veteres habent, anno ∞. CCC. XC. menſis Auguſti die, qui Petro eſt ſacer. Angianum in Hannoniâ opidum eſt, in decliui ſitum : vbi ciuis quidam inter gregarios, *Paſtinus* nomine fuit. Euênit die iam dicto, vt ſubita & prodigioſa tempeſtas eſſet; nimbi, tonitrua, fulmina, & aquæ ſic denſæ caderent, vt torrentes vbique fluerent, domos abriperent, plateas delapidarent, molas auferrent, omnia denique, vt mare, inundarent. Homines trepidare. alius in altum, alius imum fugere; ille aquas, hic fulmina : & *Paſtinus* noſter in cellam

lam penuariam ſuam, pluribus gradibus demiſſam. Dum ibi eſt, & ſeruare etiam edulia aliqua aut vtenſilia ſua ſatagit; ecce aquæ vis perrumpit, cauum implet, tantâ vi, vt exitus ipſi, nec ipſis quidem eſſet, niſi muris in parte perruptis & deiectis. Sed nec ſic finis. aquæ aliæ adueniunt, & iam *Paſtino* mors in oculis, *Diua Virgo Hallenſis* in ſenſibus: quam trepidus inuocat, & vnà (illâ inſpirante) ianuam in ſublimi, quę fornicem claudebat, manibus apprehendit. Tenet fortiter duas totas horas, & aquæ nihilominus vndique aſſultant, mentum & caput interim ſupergrediuntur, aut tangunt. Iam nox aduenit, & mortis nuncia aut ſoror caligo: cùm ille flebiliter iterùm Diuam, nec fruſtrà, inuocat. quippe quæ claris radiis immiſſis locum illuſtrauit, & ſimul vires ei addidit ad perdurandum. Nox & aqua abiit, ipſe emerſit, vxore & prole tamen ſubmerſis: Hallas venit, ceream imaginem obtulit, ſeptemdecim fidos teſtes adduxit, qui vnà cum eo de re ſic geſtâ affirmarunt.

CAP. X.

Puer merſus in vitam reuocatur.

ALia rei magnæ, ſed breuicula, & ſine tempore, aut perſonâ, loco, narratio: ſed vetus, & mihi fida. Puer domo egreſſus quæritur duas

horas

horas ampliùs, nec inuenitur. Pater denique in lacunam lapſum repperit, capite in limo fixum, pedibus ſupernè elatis. Educit, deponit in terram, adſtat mœſtus, & explorat ſiquid adhuc animæ inſit. Exſpiraſſe videt, & hora tota iam lapſa ab eductione erat: cùm interno quodam inſtinctu ad *Virginem Hallenſem* impellitur, eiq́ue puerum & preces offert. Vix factum, vita redit, puer palpitat & erigitur, cum læto patre domum abit.

CAP. XI.

Homo mali genij hoſpes ab eo liberatur.

ALia item ſine tempore, ſed aliis tamen notis inſignita. Fuit Aldenardæ in Flandriâ *Reinerus VVilegemius*, vir mente & corpore validus: ſed in quem ipſo Aſſumptionis Diuę Virginis feſto malignus Genius irruit, & domum ſibi fecit. Fremebat, ſpumabat, laniabat ſeſe & alios: fœda facies, & vel hoſti miſeranda: quid cognatis & amicis? Illi conſenſu & voto Hallas adſpiciunt, tutelarem hanc inuocant, aduerſus notum & ſæpiùs fractum hoſtem. Audit, adeſt, occultâ vi eiicit: & ſtatim reſtituit ſibi & ſuis, verè iam *Reinerum*, & purum. *O potens, ô benigna, nos quoque ab eodem fallaci ſerpente defende: & quæ caput eius ſemel in ſacrâ partione tuâ contriuiſti, ne caudâ nos flagellet aut ſternat, adiuua & indulge.*

CAP. XII.

Leodici puer luminibus captus, & toto corpore æger aut impotens, ab vtrâque labe ſanatur.

ALia, carmine complectenda.

In terrâ & vrbe Eburonum fuit puer
Stirpe atque cenſu honeſtus, æger corporis,
Et orbe vtroque lucis orbus: quod patri
Perdoluit & matri, atque amicis omnibus.
Medicina adhibita fruſtrà, inhærebat malum
Et cæcitatis ſimul, & ægrimoniæ.
Sed ecce fama melior aures accidit
De Virgine hac Hallenſe. Vota nuncupant:
Et nuncupatis luce donatur puer,
Clarâ atque certâ: quique heri tenebrio
Vulgò audiebat, prouocat nunc Lyncea:
Donatur & ſalute reliqui corporis.
Venit parens vterque, venit & puer,
Cui *Nicolaus* nomen, Hallas oppidum:
Siſtuntque Diuæ ſeſe, & vnà imaginem
Puri & puti argenti offerunt: quæ poſteris
Beneficij teſtamen eſſet & fides.

Salue ô amica mihi Eburonum vrbs, & his atque aliis documentis in auitâ tuâ, quod adhuc facis, religione perſeuera.

CAP.

CAP. XIII.

Tempeſtate iactati, & iam naufragantes erepti.

IAm ad ea venio, quæ temporis, etſi non rei, magis certa. Anno ∞.CCCCV. viri tredecim, quorum nomina ſchidis expreſſa pretium non eſt iterare, naui è Batauiâ Antuerpiam vehebant. Tempeſtas oboritur & mare fit magnum, & nox ſuperueniens mala metumq́ue auget. Magis etiam gubernator, qui victam à vi artem faſſus, oratione ſtrictâ & aſperâ hortatur, *Quiſque ſe fatis paret, Deo litet, ad meliorem vitam iturus hac amiſſâ.* Fit gemitus, & comploratio, in genua voluuntur, manus ad cælum tendunt, præſentem omnes mortem exſpectant. Fuit, qui ſuggereret, Diuam Virginem Hallenſem communibus votis vocibuſq́ue inuocandam: quod faciunt. Et facto, ſtatim clarum lumen naui ſuperfulſit, quod tenebras diſpulit, metum minuit: & mox illâ gubernante nauis portum tenuit. è quâ totidem illi viri egreſſi, omiſſis rebus, Hallas venêre, & vitam ſe Virgini debere teſtati, votum bonâ fide ſoluerunt.

CAP. XIV.

Furioſa virgo mentem recipit.

ANno ∞. CCCCVII. virgo fuit nobilis è gente Hangereliâ, quæ corpore ſana, & formâ bella, ſubitò mente capta fuit, & in furorem data. Matrem habebat caſu hoc (quis de parentali affectu dubitet?) confuſam & afflictam. Omnia experitur & facit: ad Diuam denique Virginem ipſa auxilij cauſsâ venit. In templo eſt, & preces fundit: ipſo illo momento filia abſens conualeſcit, & plenè ad mentem rediit, priuſquam mater rediret. O gaudium & amplexus! *Eamus mea filia, coràm gratias actura benigniſsimæ Patronæ, cui tu ſanitatem, ego vitam debemus.* Veniunt, ceream imaginem *centum decem pondo libras* offerunt, quę filiam ipſam repræſentaret, ἰσοτάλαντον vt cum Gręcis dicam, & ipſo illo pondere ęqualem.

CAP. XV.

Puer in Moſâ iam mergendus educitur.

ANno ∞. CCCCVIII. Huyum opidum in terrâ Eburonum ſuper Moſam eſt: qui medium ſcindit & interfluit, ſed ponte lapideo coniunctum. Puer ibi annos quattuordecim natus, cum quattuor æqualibus ſuis cymbam conſcendunt,

dunt, & ſolitâ huic ætati laſciuiâ in flumen pergunt, ludere & vagari captantes. Sed miſeri in diſcrimen & angorem veniunt, venti ſurgunt, & flumen à pluuiâ increuerat: iactantur, fluctuant, & tamen adniſi ad ripam appellunt, & quattuor exſiliunt, primus ille quattuordecennis puer relinquitur, repulsâ, vt fit, pedibus aliorum cymbâ. Venti etiam abripiunt, atque adeò cymbã euertunt. puer in vndis voluitur, pueri compares Opem clamant: accurrunt plures, & inter eos trepida mater. Quid faceret? tollit in cælum oculos, & *O Dei mater, quæ Hallis coleris, matri ſuccurre. Ego & filius ſoſpites tibi ſiſtemur: votum facio.* Dixerat. ecce puer inter ingentes vndas ad pontem abripitur, inter arcus illæſus tranſit, & ad medium circiter milliare ſupernatat: quo, niſi cæleſti manu, ſubleuante? Cuius ductu, longè infra opidum, in pratum deuehitur (nam flumen reſtagnabat:) & ibi molliter deponitur, ac matri redditur. Reddunt & ipſi votum Hallis, lubentes, meritò, tibi Virgo auxiliatrix.

CAP. XVI.

Puer iam merſus in puteo vitæ redditur.

ANno ∞. CCCCX. Bruxellæ in ſuburbio, quà Hallas itur (*Obbruſſeliam* vocant) ruſticula mater erat; quæ puerum ſexennem in viri-

 darium

darium ſecum duxit, herbas & gramen iumẽtis reſectura. Comitatur & alter aliquis è viciniâ puer, & mater opus ſuum facit, ſuum pueri, id eſt ludunt. Sed puteus ibi profundior erat, è quo aquas hauriebant, in orbem lapidibus ſubſtructus, vt ſolet. In hunc filius fæminæ (*Lilia* illi nomen) improuidè decidit: puero altero adſtante, & ſuppetias clamante. *Lilia* venit, puerum non videt, pilleum eius ſuperfluitantem aquis videt, ipſo graui caſu ad fundum demerſo. Tollit clamores, viciniam concitat: è quibus vnus denique cum harpagone accurrit, quo in aquam demiſſo puerum extrahũt, ſed palàm mortuum, & colore mortis. Nam vel atrior carbone erat, ſollenne ſuffocatis. Iacet ibi, & miſera parens affligitur, ſimul alię mulierculæ. & tandem, vnâ aliquâ præeunte, votum Diuæ Hallenſi concipitur: quod ab eâ auditur, ſtatimque vitam & vires puer recipit, ſurgit, domum abit. Triduo pòſt cum matre & vicinis Hallas veniunt, factum narrant, grates laudeſque dicunt.

CAP. XVII.

Puer faſciâ ſtrangulatus ſpiritum, & vitam recipit.

SImile factum, & vitam puero, ſed aliter ſuffocato, redditam nunc narrabo, quod euênit anno ∞. CCCC. XIX. Binchium Hannoniæ opidum

dum eſt, aëre ſanum, ſitu amœnum, & vtrâque hac dote Reginæ Mariæ Caroli Quinti ſorori commendatum, quæ amplas ibi ædes ſtruxit, & hortos item variè inſtruxit. Libenter hanc heroïnam (ſic appellanda eſt) memoro, quia meritis eius in Belgicam hoc debetur: quam induſtriè, integrè, bono & gaudio omnium, annos aliquot nomine fratris moderata eſt & rexit. Sed in eo, quod inſtitui, opido mulier paupertina erat, quæ operas locare mercede aliis ſolita: atque eo quæſticulo ſeſe ac liberos tolerabat. *Catharina* illi nomen, & habebat infantem in cunis adhuc iacentem, *Chriſtophorulum*. Ita eum reliquit, & ad ſollennes, vt dixi, operas ipſo profeſto Paſchatis iuit. Poſt horas aliquot quàm digreſſa, vicina mulier domum pulſat, nec artè clauſam (quid enim cuſtodiretur in illâ inopiâ?) eam intrat. Neminem repperit, ſed videt infantem cunis appenſum è cingulo aut faſciâ, quâ illigatus ſupernè erat. Obſtupuit, accedit, mortuum videt, & glacie frigidiorem. Scilicet euenerat, vt ſolus infans volutaret ſe aut verteret, & è cunis laberetur pendulus, collo obſtricto. Clamat, & quiritatur, adueniunt, atque ipſa mater, triſti iam præſagio anxia: quid cùm rem videt? Collabitur, alterum pænè funus. matronæ (& honeſtiores iam quædam excitæ erant) atque vnà viri ſolantur, erigunt, & conſecrare infantem *Diuæ*

Hallen-

Hallenſi ſuadent. Facit ex animo, & verbis conceptis: ecce autem infans rigidus, & tres ampliùs horas mortuus, animam recipit, & ſe commouet, oblata in cibum aut potum libat: denique valetudine integratâ, eum mater comitante matronâ nobili *Scarſiniâ*, & aliquot notę fidei hominibus, Hallas defert, offert, ac voti ſe abſoluit.

CAP. XVIII.

Puella in puteum præceps lapſa, & ſuffocata, in vitam redit.

HEm, magis priori illi ſimile inuenio, & puellam in aquâ merſam, ad vitam reuocatam. Factum in arce *Ligniacâ* anno eodem ∞. CCCC. XIX. Virguncula erat (*Ioanna Maillarta* nomen) quæ ad domeſticos vſus aquam petitum iuit, è profundiore puteo vicino. Is puteus (obſerua) quadraginta circiter pedes altus à fundo erat: in ſuperiore autem parte lapidibus marginatus, & ſaxo vno grandiore, cui adſtare & inniti haurientes ſolent. Dum ergo puella fune aquam educit & attrahit, ſaxum anterius, quod dixi, collabitur: ipſa cum eo vnà. Sed præter merſionem, aliud etiam malum. Natiuus lapis, ſiue rupes, in parte putei imi erat: in hanc impetu decidit & impacta eſt, vt caput grauiter læſerit, brachium, & tibiam. Tibiam quidem ita, vt cùm extracta

extracta fuit, intumuiſſe eam viderint ad corporis totius modum. Semihoram deinde in aquis iacuit, priuſquam auxilium adueniret: ac tum educta, mortua apparuit, atro & fœdo colore, ad horas circiter trinas. Mater puellæ cum pluribus, mœſtiſſima inter mœſtos, ſtabat: ſuggeſtum celebre notumque iam effugium, ad *Diuam* hanc Virginem. Ita preces & vota offerunt, admittuntur: & color primùm teter puellæ abit, vita redit, plagæ perſanantur: ac denique poſt paucos dies voti damnata mater Hallas venit, puellâ comite, quam offert meritò ſuæ Seruatrici.

CAP. XIX.

Puer triduum mortuus, & ſepultus, reuiuiſcit.

SVnt hæc ferè vniformia, fateor: & alia etiam dicenda reſtant. Quid enim iſta omittam? aut quid magis poſſit eſſe Dei potentię, matris gratiæ aſſerendæ, quàm mortuos per eam ſuſcitatos? Gentiles hîc ſtupeant, improbi ſileant: nec color ſit iſtis verè *Miraculis* diluendis. Ergo non rem, ſed ſtilum tamen mutabo & vertam.

Seneffiæ, qui pagus eſt Brabantiæ
Hallis propinquus, nimia mira ediſſeram
Olim accidiſſe. audite, res certiſſima eſt,
Firmata ſcriptis ſeriis, & teſtibus,
Firmata item tapete picto, textili,

Quem nunc videre templo in Hallenſi licet.
Res ſic habet. Matrona nupta, partui
Propinqua, languet: mortuam prolem parit.
Amici & agnati, vt ſolet, mandant humo
Cadauer: abeunt, atque luce poſterâ
Matri haud volenti non volentes nunciant:
Sed nunciant. in lacrimas hæc ſoluitur,
Diemq́ue totum luget: ecce veſpere
Videre viſa ſpecie honeſtâ fœminam,
Solatij quæ hac lege faceret copiam,
Si vota concepiſſet Hallenſi Deæ.
Nihil morata concipit, dein vocat
Oratq́ue præſentes, ſuam prolem ſibi
Saltem liceret leuiter oculis tangere,
Quam menſibus tot conditam in ſinu ſuo
Mater tuliſſet. ſpernere illi, & dicere
Prolem ſepultam, & mortuam ante triduum.
Inſiſtit hæc, & precibus iterùm quæſere:
Negantibuſq́ue, verſa in iram edicere,
Se potionis & cibi expertem fore,
Id donec impetraſſet. His victi minis,
Eunt, refodiunt, adferunt, in lectulo
Locant parentis. illa lumen poſcere,
Et intueri ſedulò: quid fit? puer
Mutat colorem, è pallidoq́ue punicat,
Mouetq; vtrumq; brachium, & bis ter gemit.
Defertur in ſacram ædem, vt vndis abluant
Ex lege ſacris: ſed ſacerdos in morâ eſt.

Adſta-

Adſtabat aræ, & incruentam victimam
Deo immolabat: immolato, iterùm tamen
Moratur, & negat puellum viuere.
Hi dicere, ille abnuere: at ecce mox puer
Et ſpiritum palàm atque aquas emittere.
Ergo ille munus fungitur ſuum, hi ſuum,
Domumq́ue redeunt: denique à meridie
Sopitus iterùm, Chriſtiani iam gregis,
Demoritur infans, cælicamq́ue init domum.

Cap. XX.

Puer diu amiſſus, & in voragine mortuus repertus, item vitam recuperat.

CAntipratum pagus eſt in Cameracenſi tractu, atque ibidem religioſorum cœtus cum Abbate. Vir inhabitabat, cui nomen *Ioannes Bidäus*, atque illi puer bimulus, nomine *Martinus*. Dies Dominicus erat, & vir cũ vxore manè ſacris operaturi, Chriſtiano more, ad templum eunt. Emanent, & alibi apud amicos prandent: nec niſi à meridie, ſecũdâ horâ, domum remeant. Statim prolem ſuam oculis & affectu requirunt (nouimus parentes:) non reperiunt. Quærunt in viciniâ, & ab ipſis vicinis, ſiquis vidiſſet? negare omnes, pater percelli: & rogare igitur ſeſe in quærendo adiuuent, ſicubi fortè puer (nec longè tantillus poterat) aberraſſet. Eunt, reliquum diem illum Anno ∞. CCCC. XXVII.

& totam noctem quæſitioni donant, addunt diem alterum in veſperam. Tum vicini deſperantes inuenire, & bonâ fide alibi periiſſe arbitrati, patri Vale dicunt, & vt idem filiolo faciat, ſuadent. Domum quiſque ſuam redeũt; etiam pater ad mœſtam vxorem. eò vterque mœſtior, quòd
vII. Martij. frigidiſſima fortè tunc aura erat, nec tenellus puer ſub dio ſicubi eſſet, poſſet ſubſiſtere. In hoc doloris æſtu ad diuam Virginem, quæ Hallis colitur, animum & preces pater vertit, & votum peregrinationis addit. Statim in ſomnũ ſoluitur, & viſo monetur quærere etiam puerum, certò inueniendum. Luce ortâ vicinos iterùm adit, & rogat ſecum eamdem operam dare. Haud facilè inducuntur, &, *Irritam*, aiunt, *ſpem foues. nónne biduum iam penè quæſiuimus? inuentus eſſet, ſi eſſet.* Tamen inſtantem ſequuntur, & omnes agros, dumeta, foſſas ſcrutantur: donec ſub ipſam meridiem ad voraginem aliquam, limo & aquis obſitam, ventum. Pater inſtinctu aliquo interno, *Et hîc*, ait, *perquiramus.* Illi negare puerum eò pedes tuliſſe, quò ægrè ipſi poſſent. Eunt tamen. ecce iacentem, & cœno atque aquis obrutum, repeꝛiunt. Triſte ſpectaculum. nec audent tollere: nam ſponte aut caſu mortuos tangere, niſi Iudice permittente, non licet. Ille igitur aduocatur, venit, indulget: puerum deinde ad templum deferunt, mox, vt putabant, terræ dandum. Sed

patrem

patrem ſpes non deſerit, & Diua Virgo excitat, atque internum robur addit. In altari igitur prolem collocat, ante ipſam Diuæ illius ibi imaginem: & prolapſus in genua, calidis precibus lacrimiſque opem poſcit. Adſtabat turba hominum, ipſe Abbas Cantipratanus *Nicolaus*, & puer (ô mirum!) ſtatim vitam & vocem recipit, ſurgit, cum patre domum, cum eodem mox Hallas venit, gratias acturi, & laudes Diuæ meritiſſimò propagaturi.

CAP. XXI.

Mira, mira, de puero item reſuſcitato, aut ſub terris ſeruato, non ſine aliis ſtupendis.

QVid iam narrabo? iterùm tale, ſed quod plura miracula in vno continet: & quod diuinæ benignitatis & potentiæ totum fontem manat atque oſtendit. Aſſurge anime & ſtile, & maiori quodam ore hoc effer: & vt poſſim, tu Diua manum moue, & mentem inſpira. *Sancti Hilarij* vicus eſt minùs nobilis, iuxta Cameracum nobiliſſimum opidum. eius incola *Stephanus Morelius* fuit, cui vxor *Firmina*: & hæc prolem ei non prolem peperit, anno ∞. CCCC. XXVIII. Mortua enim erat, & obſtetrix ac fæminæ omnes, quæ partioni interfuerant, ita iudicabant: idque exploratò, cùm lauiſſent, fouiſſent, igni, Anno ∞. CCCC. XXVIII.

 expe-

experiendę aut eliciendæ vitę, admouiſſent. Puer igitur in terrâ communi & profanâ, de more, ſepelitur: & alij quidem curam aut cogitationem eius vnà deponunt. At non mater, cui duplex luctus. & à morte prolis, & à tali morte, quòd nondum conſors & particeps diuini baptiſmi & lauacri fuiſſet. Itaque plangere, & ſe affligere: & tamen ſpem vel fiduciam in Diuâ Virgine ponere, eò magis quòd ſolita eſſet annuâ peregrinatione eam colere, & Hallas venire, ac ſtatuam piè caſteque venerari. Vota igitur facit, iteratque de die in diem, & contra ordinem rerum vel naturam pugnat, vſque ad diem quintumdecimum à prolis ſuæ morte. Et iam fidentior eſſe, ac palàm affirmare illam viuere: gnaram certamque ſe factam ex viſo nocturno, quod ſæpius eueniſſet. Mulieres denique adminiſtras importuna vrget ac propellit ad hortum ire, vnà cum patre Stephano, & puerum terrâ iam tot dies conditum contemplari, & arbitrari ecquid eius rei eſſet. Refodiunt tres pedes circiter defoſſum puerum, terrâ etiam ſupernè pedibus inculcatâ: vident ipſum & miraculum, pulchellum, viuidum, & roſæ inſtar, quod dicitur, rubentem. Nulla nota mortis in corpore, ne noxa quidẽ, niſi quòd maxilla altera terrę aggeſtu & impreſſione attrita leuiter eſſet. Mirantur trepido gaudio, nec audent tamen tollere: quippe iamdiu mortuum: & contra

tra calumniam omnem, ad Paſtorem ſuum eunt. Ille venit. ipſe quoque ſtat attonitus, & ſigna vitæ palàm videt: ſuadet, quoniam in Diuæ Virginis patrocinio puer eſſet, deferri ad proximum pagum *Vertenguelium*, qui frequẽtior erat, & vbi ea colebatur. Eunt, obſtetrix, fæminæ, magnâ pompâ: & quia dies inclinabat, & pagus ſecũdo lapide aberat, prouida mater ſacratæ candelæ cereę partem donat, quæ in laternâ præluceret. Mirum hîc alterum. cùm lento paſſu irent, vt amat hic ſexus, pars illa cerei, cuius modulus ſeſquipalmis erat, non defecit, ne minuit quidem: & perſeuerauit ardere ac lucere à ſextâ veſpertinâ ad lucem ſequentis diei, ſine vllâ, vt dixi, diminutione. Mirum tertium. via anterior, quam inibant & petebant, tota illuſtris, inſtar diei erat; ſtatim ab agmine, tenebræ & nox excipiebant. Iam in propinquo *Vertengueliꝫ* erant, & de Paſtore audiunt non eſſe inibi, ſed in arce aliquâ (*Vertainium* ei nomẽ) cum Præfecto, viro nobili, conuiuari. Ergo pater Stephanus, cum æditui S. Hilarij vxore, quæ comes hæſerat, illuc celeri pede eunt. reperiunt arcem ſub tempus prandij clauſam, pulſant, repulſant: nemo audit, vel admittit. Quid tamen? ſponte (quartum miraculum obſerua) dum adſtant, portula maiori portæ (vt fit in arcibus) inſerta, ſponte aperitur, dat aditum: ineunt, & ad alteram portam accedunt. Pulſant item, & nemine

mine conſpecto portula aperitur: pergunt ad tertiam, fit idem. Veniunt igitur ignaris omnibus in cœnaculum: *Henricus Dammanus*, præfectus arcis, inclamat, *Quis intromiſiſſet? & ſocios, an hoſtes?* Imò exſilit, & ianitore conſpecto gladium educens, in eum ingruit: Et *Scelеſte*, inquit, *vbi fides?* Ille excuſare & deprecari, ſedulò ſe portas omnes clauſiſſe neque recluſiſſe, & teſtem filiam Præfecti, quę adfuerat, dare. Admiratio in locum iræ ſuccedit, & videt imbellem manum, & hoſtile nihil eſſe. Itaque preces admiſſi exponunt, & Paſtorem poſcere, vt *Vertenguelij* talem puerum (rei ordinem breuiter addunt) velit ſacro fonte ablutum, Chriſti numeris adſcribere. Surgit nouitate hac & illâ attonitus, & comitantur eum, è conuiuio, viri fœminæque ad viginti. Ipſe Præfectus equum inſterni iubet, & conſcenſo, cum quinque comitibus eodem intendit. Vocatâ autem virgine filiâ, portas maiores aperiri illicò iubet: fruſtrà, iam ſponte omnes reſerauerant; aut vt veriùs dicam, Virgo illa Mater aperuerat. Ipſe ſigno crucis identidem ſe ſignare, & tamen pergere, donec ad templum cum Paſtore aduenirent. Ibi puer, omnibus conſpicuus, ſigna vitæ clara mittit, ſanguinem ſtillat è nàribus, os aperit clauditque, idem in oculis, & denique gemit etiam ac lacrimatur; & veris quidem grandibuſque lacrimis, & quas detergere linteo & excipere licebat.

licebat. Ergo baptiſmum Paſtor, incoràm omnibus (ad ſeptuaginta hominum erant) indulget: & vixit puer quinque horas circiter, in arâ Beatæ Virginis reclinatus: ac mox (quintum miraculum) inſtar niuis viſus palàm liqueſcere & tabeſcere, & ſic ad mortem ire. Terræ igitur ibi ſacræ mandatur: & ſextum miraculum addam? poſſum. *Firmina* mater abſens & in lecto, ipsâ illâ horâ, ſenſit mammas ſibi areſcere, anteà lactantes, & quas nullâ arte, donec puer baptiſmo tinctus & verè mortuus eſſet (vide ſympathiam) potuit arefacere aut exſiccare. Huic rei duo pagi, & tot homines teſtes: ô rei mirandæ! & quid omnis calumnia vel impudentia hæc contra poſſit? *Ego verò te Diua veneror ſupplex, atque inuoco: quæ puerum à morte ad vitam, donec in veram vitam ſurgeret, reduxiſti: nos quoque benigna intuere & effice, vt momentaneâ hac vitâ functi ad illam æternam, te duce & directore, veniamus: quod per illum, quem genuiſti; te quæ genuiſti precamur,* ô DIVA DIVARVM.

CAP. XXII.

Innocens mirabiliter à laqueo liberatus.

SEd ad alia imus: & omne genus auxilij *Miſericordiæ matrem,* vt Eccleſia appellat, in omni genere miſeriarum oſtendemus attuliſſe. *Auenna* in

na in finibus Hannoniæ & Picardiæ opidum eſt, Ducibus Arſchotanis iure & mancipio ſubditum: vſu tamen, & tranſactione aliquâ, Principum Belgicæ factum, vt præſidia locare, munire & tueri faciliùs, pro ſuo arbitratu poſſent. Quid hîc mirandum euenerit, iam dicam. Erat *Ioannes* quidam *Sampenoius* Gallus natione, ex opidulo *Aſpernaco* in Campaniâ, opinor. Is pietate motus, Hallas ad viſendam Virginem affectabat: & in viâ duos comites (heu, parùm fidos!) repperit, *Nicolaum Barenium*, & *Petrum Normannum*. Illi benignè appellare, & *Quò iter? In Belgicam. Nos vnà: te pietas, nos lucellum trahit, & mercatores ſumus.* Auennas iuncti veniunt. ſtatim miſſi è Galliâ ſuperueniunt, qui duos illos furti & rapinarum nimis ex vero arguunt: atque illi duo iam capti iſtum, falsò. Fatentur in tormentis, quattuor argenteas pateras ſe furto abſtuliſſe, vendidiſſe, & trientem pecuniæ huius Ioanni ceſſiſſe. Ampliùs, tres alias in opido S. Maxentij, partitione eâdem factâ. Denique, præter hæc atque alia furta, cædem patraſſe innoxij viatoris: & huius quoque conſcium atque adiuuam Ioannem fuiſſe. Itaque ille in iiſdem vinculis & cuſtodiâ habetur: & *Nicolaus* iam eductus, & cruci admotus, in eaque ſuſpendendus, religione tactus liberat culpæ omnis Ioannem, & reuocat quidquid accuſarat. Alter *Petrus* contrà, & palàm iterum

Anno ∞. CCCC. V.

iterum

iterumq́; aſſerit, & in extremis fallere ſe Deum hominesq́ue negat: *Ioannem* conſortem facinorum illorum verè eſſe. Hîc Prætor nihil vltrà ambigere, & Ioannem eódem adigere: & tamen quia innoxium ſe proclamabat, populum hortari vt ſacrificio Miſſæ intereſſe vellent, in gratiam veniamq́ue criminum morituri. At Ioannes, *Imò potiùs, ô Prætor*, inquit, *Dominicam orationem & Angelicam ſalutationem ſinguli recitent, honori Beatæ Virginis Hallenſis, ad quam ibam. Et quoniam in innocentiâ parùm præſidij eſt, ad illam appello, ea me tueatur.* Poſt dicta, carnifex hominem cruci applicat, laqueo illigat, ſcalis deiicit: & ille viuere perſeuerat, quod alij mirantur, carnifex indignatur. Itaque funem trahere, & ſtringere, genibus niti ſuper eum & premere, omnia facere, quæ accelerandæ morti eſſent. At ille tamen viuere: & palàm videre (poſteà faſſus eſt) pulchrâ & auguſtâ facie fæminam à tergo ſibi ſtantẽ, quæ amplecteretur & circumdaret, velut in tutelam ſuam receptum. Hora ampliùs ſic exigitur: atque ecce demirantibus ſuperuenit in equo vir nobilis *Ioannes Sellius*, omnibus ibi à virtute, ſtirpe, & opibus notus. Is ad Prætorem, *Domine*, inquit, *precibus à te poſco, hunc innoxium hominem mihi dones, aut potiùs Beatæ Virgini, cuius nomine & monitu huc veni.* Ille impellitur, iamantè inclinatus: & ſolui iubet, ac ſibi habere.

Accedit Sampenoius ad ſuum ſeruatorem, grates gratias agit: ille à ſe abdicat, & *ad Diuam*, inquit, *Hallenſem perge, cui promiſeras, auctorem tuæ ſalutis agnoſcere, & meam ab illâ depoſcere.* Nos quoque facimus, *ô clemens, ô pia: & vt hunc innocentem laqueo mortis exuiſti; ſic nos nocentes, & vitiis illigatos abſolue, & ad beata tecum regna perduce.*

CAP. XXIII.

Captiuus in vltimâ Galliâ è carcere, ad inſtar Diui Petri, eductus.

Anno ∞. CCCC. XXVIII. GVilielmus Moſterius, Picardus gente, non bonâ ſuâ ſorte in Pictoniæ fines venit, negotij cauſsâ. Bellum autem eâ tempeſtate Anglis cum Gallis vetus & diutinum erat, manebatque, rege tunc Galliæ *Carolo Septimo*. Incidit igitur in Anglorum manus, & captiuus abducitur in opidum S[ti] Michaëlis, ac decem circiter menſes detinetur. Detinetur. nam redimias, quas ab eo poſcebant, octoginta aureorum, homo fortunæ modicus expedire non poterat, neque ſpes erat. Sed nec fraude aut vi euadendi: quoniam in puteum profundum demiſerant, atque ibidem pede vtroque firmiter boijs illigatum habebant. Dum igitur mœſtus & anxius iacet, ac fortè panis fruſtum comedit, quod ſupernè deiecerant: mentem ei tetigit memoria & affectus erga Di-

uam

uam Hallenſem Virginem, cuius nomen & cultus tum in Picardiâ frequens etiam erat. Itaque toto corde eam inuocat, & à ſqualore, pædore, ac tenebris illis, liberari ope eius optat. Preces vix fuderat, ſomnus eum molliter amplectitur, & manè cùm expergiſcitur (res ipſi & nobis ſtupenda) videt ſe liberum à vinculis & carcere, & tribus adeò milliaribus ab ipſo opido S^ti^ Michaëlis abiunctum. Dum miratur, gaudet, & vix credit: ecce Angli equites adueniunt, præfectorum & nobilium aliqua manus. Hominem iacentem in agro vident, & ipſi quoque mirati, accedunt. Erat inter eos centurio, *Tournebolius* nomine, qui agnoſcit: & *Túne captiuus ille noſter es? vnde huc? quâ vi, fraude, arte?* Guilielmus ex gaudio iterùm confuſus: *Domine vera audi,* inquit. *Nec fraus, nec vis mea, aut aliena, huc adduxit, & arctâ cuſtodiâ (noſti ipſe) eduxit. Diuæ Virginis hoc totum eſt, ad quam preces equidem fudi, & illa ignarum ac dormientem huc tranſuexit. Rem vides, crede, & cæleſti beneficio tu quoque ſuffragator accede.* Tetigit hominem religio, itemque alios; dimittunt, re tamen exploratâ: atque diploma, quò ſecurior tranſeat, donant, eoque miraculum conſignant, cuius ſe auctores & teſtes profitentur. Id ipſe Moſterius Hallas ſecum tulit, atque ibi liberatricem Diuam meritò eſt veneratus.

Cap. XXIV.

Mulier ſub rotâ molari mirificè ſeruata.

Anno ∞. CCCC.XL. MOlitor erat, *Ioannes Maſſardus*, iuxta Abbatiam Lobienſem in Hannoniâ, cui vxor *Catharina*, eaque fœtu grauida, & menſibus vtero legitimis ferè iam exactis. Molitor iſte idem lignarius faber erat: itaque per eam cauſſam fortè egreſſus, molam & domum vxori commendat. Vxor ſedulò officium factura, rotam molarem cenſet tardiuſculè volui, atque aquæ inopem eſſe. Venit igitur, repagulum ligneum leuatura, & flumen vberiùs admiſſura. Sed dum conatur, tabula ſiue ponticulus cui inſiſtit, frangitur: atque in aquam ea, & ſub ipſam rotam lapſa hæret. Nam rota liberam volutionem non habere, & ipſa identidem à rotâ premi; atque ita tum aquis mergi, tum pondere ſimul cum fœtu ſuo allidi. Semihoram ampliùs ſic iacet. ſed initio lapſus Diuam Virginem Hallis in mente habet, atque inuocat: quæ palàm à duplici periculo, & merſionis & oppreſſionis, ſeruat. Nam maritus tandem ſuperuenit. & miratur molam ſiſtere, nec circumagi, vxorem etiam requirit: cùm ecce eam ſub molâ adflictam videt, & conſternatus, *Opem, Opem* clamat. Accurrunt vicini, inter eos Prætor & religioſi etiam aliquot Lobienſes:

bienſes: mulierem ægrè ſubtrahunt, certò non arbitrariò mortuam, vt cenſebant. At illa viuam & ſanam ſe exhibet, *Sanctam Mariam* in ore ingeminans, eiuſque præſidio tutam ſe coram omnibus teſtata. Poſt dies etiam aliquot pulchrum puerũ parit, qui dies duodecim ſuperuixit. quod omnes iure mirabantur, tanto illo rotæ pondere ne fœtum quidem non dicam eliſum, ſed læſum.

CAP. XXV.

Sartor, qui acum temerè in os immiſerat, & porrò demiſerat, liber ab eâ redditus.

TEneramundæ in Flandriâ ad Scaldim fluuium ſartor opificio fuit, cui nomen *Bartholomæus Broëcus.* Is cùm panni aliquid ſuiſſet, ſurgit & veſtem nouam parat ſcindere. Acum igitur cum filo in os accipit, vt liberas manus haberet: & dum operi totus intendit, acus inſertæ oblitus, eam cum filamento demittit & deglutit. Poſt factum ſentit, & ſtat attonitus: ad vxorem deinde abiens, *Perij ô mea,* inquit, ac caſum narrat. Illa vnà lamentari, & ad vicinos, deinde cognatos & medicos ire, opem ab omnibus aut conſilium poſcere. Multa dicuntur, & fiunt. fruſtra omnis conatus eſt, & dies ipſos quattuor acum in corpore circumfert. Venit denique Mechliniam, vbi fratrem habebat rei medicinæ ∞.CCCC.XL.

dedi-

deditum: conſulit & iſtum & alios. purgant & medicantur: ſed acum hanc inter eiectamenta nuſquam vident. Fortè dies Sabbathi erat, & conuiuiolum aliquod Medicus inſtituerat, fratri recreando. Producunt id hilariter, & more noſtræ gentis, in veſperam. Ecce autem æs campanum ſonat, & Medicus ad templum ire ſe infit, ad Diuæ Virginis eo die ſollennes laudes. Alij tamen reſident: ipſe Bartholomæus, cui vultus quàm animus hilarior, ſurgit & ad ignem ſolus adſtat meditabundus. Incidit cogitatio, quoniam frater de Sacrâ Virgine, illius inclytæ Hallenſis: & ſtatim animum eò mittit, & corpore vouet ſecuturum, ſi eius ope ſit ſaluus. Vix dixerat, ſentit in dentibus aliquid volui & implicari: digitos immittit, acum vnà cum filo educit. Lætus fratrem reuerſum lętificat, miraculum oſtendit potiùs quàm narrat, & fidem à re facit.

CAP. XXVI.

Oculus ex ictu ſaucius ſtatim ſaneſcit.

Anno ∞. CCCC. XLIII. IN pago Wachalio, apud Inſulas Flandriæ, *Ioannes Cuuellerius* fuit, qui binos habebat ſequioris ſexus liberos, paruos, tenellos, vix benè adhuc fantes: & triennium maior natu nondum attigerat. Dum ludunt, abſente vtroque parente, minor cultrum repperit, & manu eum verſat: maiuſ-

maiuſcula videt, & verita noxam, eripere conatur, eripitque. ſed tantâ vi (alterâ ſcilicet renitente) vt ſibi ipſa improuidè cultri aciem in oculum demerſerit, & pupillam ipſam perfoderit, valido ictu. Clamores, & fletus. parentes audiunt, accurrunt: quid conſilij? quod bonus Genius *Ioanni* iniecit. inuocat ſtatim *Diuam Hallenſem*, promittit ſuum & filiæ illuc iter & piam inuiſionem, ſi reciperet viſionem. O bonitas, ô potentia! non alio remedio ſaneſcit mox puella, & cum parentibus viciniſque (qui atteſtati) Hallas venit.

CAP. XXVII.

Bauarus nobilis in naui à morte eripitur, & item Hallas venit.

VIr nobilis erat è terrâ Bauariâ, Monachio oriundus, qui religione motus in Iudæam, & loca Seruatori noſtro calcata, & ſanguine ſacro reſperſa, iuit. Peruênit, & redibat. ſed in viâ cùm in naui, mari Ionio, ferretur, acer eum morbus inuaſit, & ad extremas Fati lineas admouit. Nauticum genus ſatis aſperum, neque ægris aut languidis amicum, hominem in imam carinam & angulum aliquem nauis detrudunt. Ingraueſcit ibi magis morbus, & iam in eo erat vt deſperatus in mare abiiceretur, piſcium & belluarum eſca. ∞.CCCC. XLII.

Senſit & doluit alius è Belgicâ noſtrâ vir nobilis, in eâdem naui vector. is ad hominem accedit, linguæ iam impotem, mentis vix compotem: ſolatur tamen & erigit verbis, quà poteſt: & inter alia dicit, *Diuam Virginem Hallis coli, inſignem beneficiis, & velut publicam miſerorum tutelam: ſuadet ad hanc aram confugiat, & quoniam linguâ nuncupare preces aut vota non poſſit, corde faciat: confidere ſe de præſenti auxilio & ſalute.* Homo intelligit, arripit: etſi anteà fama nulla eius patrocinij ad aures eius veniſſet. Tamen è cordis penetrali ſuſpiria & preces ad eam mittit: & ipſo tempore videt agmen varium & miſcellum Geniorum malorum ſuper nauim volitare: & ſimul auguſtâ formâ fæminam ante ſe ſtare, quæ prolem in brachio, & manu alterâ cereum ardentem præferret. Ea vix comparuit, cùm Genialis illa turba diſparuit: & hanc adorans, ac pacem veniámque ab eâ precatus, mox ſentit vires reſtitui, ſermonem & valetudinem veterem redire. Quod ipſe gauiſus, alij mirati ſunt, in tam ſubitâ mutatione. Ac cùm deinde patriam attigiſſet, nihil prius habuit, quàm ad Seruatricem ſuam venire: quod non ſine inſigni teſtimonio pietatis fecit. Nam ipſe cum famulo totum illud iter, quàm lata pænè Germania eſt, nudipes confecit: iterúmque eo habitu repedauit. En religioſum in Bauariâ pectus! neque nunc deſunt priſci & puri

illîc

illîc cultores, præeuntibus Principibus, quos fulcrum & exemplum appellare licet auitæ pietatis.

Cap. XXVIII.

Auriga cum carro, & ipſe ſub eo in aquam lapſus, vitâ donatur.

IN Gallicâ Brabantiâ erat auriga quidam, qui ∞.CCCC.XLII.
merces pretio vectitare ſolitus in biroto curru, quem *Carrum* nos appellamus. Fors fuit, vt ſalem veheret, venitque ad *Longcampium* pagum, vbi flumen ponte tranſmittendum erat. Cùm ſuper ipſum medium eſt pontem, malâ ſorte carrus euertitur, & in aquam ſubiectam cadit. Peiori etiam ſorte ipſe auriga, qui ſiſtere nitebatur, ſub illum. Ergo ipſe, equus, carrus, iacent: & ecce, quod Deus voluit, puella aliqua vidit, quę Suppetiatum inclamauit, & vicinos exciuit. Sed mora longiuſcula interpoſita, priuſquam cõcurrerent, & iuſta manus eſſent ad ſubleuandum. Prætor denique & alij adſunt, carrum primò attollunt, & ſub eo inopinatò hominem vident, leuantque. Quem illi nihil ambigentes mortuum & ſuffocatum, quà aquis, quà onere eſſe, ad domum tamen Prætoris deferunt, longulè diſſitam, & veſtibus ibi ſpoliant nihil ſentientem. Atque adeò vitæ nulla ſigna edebat, non motum, non ſuſpi-

rium, non halitum : cùm vnus altérve è turbâ, piâ miſeratione hominem Diuæ Virgini noſtræ offerunt, & vota pro eo interponunt. Cordi etiam aliena pietas fuit:& ſtatim ſui compos, mali omnis expers redditur; ſtetitque intuens intuentes. Ac poſt breuem deinde pauſam carrum repetit, & viam ſuam porrò pergit. Sed oneris eius liber, religione etiam animum expedit, & Diuam ipſam in loco ſalutatum venit, & de beneficio grates laudeſque dictum.

Cap. XXIX.

Multiplex tutela cuiuſdam militaris viri, in pugnâ, & poſt pugnam.

Anno ∞. cccc. xliii.

COmes fani Sti Paulli, nobile & notum nomen eſt in illâ & noſtrâ Galliâ. Is, cùm bella feruerent inter Anglos Galloſque variâ ſorte, & factionibus alita gangræna hæc mali, membra pænè omnia florentiſſimi regni peruaderet: fors fuit vt ipſe in arce *Carteleriâ* eſſet, tractu Picardiæ, illinc ad Delphinum iturus, qui Compendij agebat. Ecce præmittit manè (dies Sabbathi erat) metatorem ſuum, coquum, & diſpenſatorem, vt parata omnia in diuerſorio Compendij reperiret. At illi leuitèr progreſſi, hoſtium aliquam manum vident (ad LX. aut LXX. erant) qui in ſubiectis pratis pecudes rapiebant agebantque, & ſiquid

quid aliud in agris eſſet. Remeant igitur trepidi, domino nunciaturi: & *Hoſtes*, & *Ad arma*, clamant. Comes vir magni animi erat, nec talium expers: inuocat ſuos, *arma & equos expedirent, ſequerentur, ſiquis fidem & ſe amaret.* Simul ipſe in equum, abit, aſſequitur: & vnà cum ipſo fidus famulorum, *Ioannes Gertrudanus* nomine, qui ſemiermis, vt feſtinatio erat, comitabatur. Idem aliquot alij, ſinguli aut bini aduenientes: qui omnes tamen iuncti vix octoginta, nec ab armis inſtructi ſatis erant. At hoſtes, qui in ſubſidio fuerant, iam conſpicui, & primis illis iuncti, facilè ad *mille quingentos* accedebant. *Ioannes*, quem dixi, aduertit, & dominum iræ properum, & animi nimium, *abire & ſibi conſulere* hortatur: *nos intereà,* inquit, *vilior manus propugnabimus, & tutum tibi receptum reddemus.* Non mouetur dominus, pugnat: ſed ante eum *Ioannes.* qui ſtatim duplici ſagittâ balliſtariâ brachium traiicitur: & herum cùm reſpicit iterùm moniturus, tertia collum ei tranſit. Tum denique, *Domine,* inquit, (ô amor, ô fides!) *conſule tuæ vitæ: nam de meâ quidem eſt actum.* Et cum dicto ex equo delabitur: Comes atque alij in vicinum opidulum fugâ delati ſeruantur. Sed Comitem mæror tetigit, amiſſo, vt putabat, tam fido miniſterio: ſed quem Dei & Diuæ benignitas incolumem, præter opinionem, & pænè fidem, reddidit. Nam dum ibi

iacet inter viros equoſque, Diua Hallenſis ei in mente atque ore eſt, & quæ tam multis cottidie auxilium eſſet, vt ſibi in hoc diſcrimine, precatur. Auditus eſt. & ſimul manibus genibuſque nixus, prorepſit in viam proximam, ac viribus defectus ibi hæſit. Nondum finis. mala accumulantur, vt remedia creſcant; & diſcrimina iterantur, vt ſalutaris illa vis magis inclareſcat. Tres ex hoſtibus ſeorſum adueniunt, ſcrutaturi omnia, & prædam, vt fit, quærentes. miſerum hunc vidēt, accedunt, pecuniam, anulos, veſtem tollunt: ſublatiſque, gladio exſerto vnus caput illi findit. Ne ſic quidem moritur, ſed MARIAM identidem ingeminat, & in eius ac Diuæ *Barbaræ* honorem, vt fas ſibi ſit peccata apud ſacerdotem expiandi, precatur. Tangit etiam duros animos, Diuâ faciente, pietas. permittunt, imò & operam promittunt: atque ecce ruſticanum ſacerdotem per viam fortè euntem vident, aduocant, & homini admouent. Exſpectant vt finiat, & tum illi quoque dent ſuum finem. nam occidere nihilo ſeciùs hominem deſtinatum erat. Sacerdote igitur etiam adſtante, vnus eorum mucronem gladij, vt cenſebat, in guttur eius defigit: Diua auertit, & ſubuculam eius modò ſcindit. Sacerdos intereà deprecari, & mitigare: exorat tandem, & recedunt. atque ipſe ſic ſaucium in proximum quoddam horreum partim ducit,

partim

partim trahit,& vulnera eius, vt copia erat, obligat. At ecce noua hoſtium manus, inter quos Duces ipſi & honeſtiores militum erant. eorum metu ſacerdos fugere, *Ioannes* conſpectis iis veniam vitamq́ue petere: & facilè impetrat ab animis nobilioribus, & quos honor & humanitas non prorſus reliquiſſent. Sed enim diſceſſu iſtorum, tres illi ſicarij, immani ſæuitiâ, iterùm redeunt: & cùm viuere vident, gladium vnus ſtrictum viribus in caput librat; ſed Diuâ, quam inclamabat, ictum moderãte, humerum modò attigit, & leuiter etiam ſtrinxit. Conſilium deinde capiunt in flumen cadauer (pro tali habebant) abiiciendi. quod faciunt, & ſanguine manantem ferociter eò trahunt. quo tempore viſa illi palàm adſtare Diua Virgo, quæ ſolatium & iuuamen benignè promitteret: conſilium etiam daret, vt mortuum ſe gereret & ſimularet. Paret. illi autem è ripâ in flumen deuoluunt: atque vnus haſtâ etiam petit, vt ſi quid fortè reliqui ſpiritus aut vitæ eſſet, educeret. Sed Diua & hunc ictum irritum facit, & clientem ſuum in inſulam modicam peruehit, limoſam, & leuiter flumine exſtantem. Ibi confectus nouem plagis grandioribus, aquis refrigeratus, ad horas ferè tres iacet, erigere aut mouere ſe impotens: cùm ſacerdos, apud quem culpas ſuas faſſus erat, miſeratione impulſus redit, & eum quærit, & ſanguinis veſtigia ſecutus

cutus

cutus ad flumen denique venit. Ibi non reperto, percellitur & merſum omnino cenſet: cùm ecce oculos longiùs & intentiùs permittens, videre in limo illo inſulæ viſus effigiem hominis. Neque certus tamen, homo an ludibrium Genij eſſet, cruce ſe ſignat, & altè inclamat, *Adiuro te, ſi homo & Chriſtianus es, ſignum aut vocem ede.* Ioannes audit, & manum attollit. Sacerdos audacter in aquam inſilit, & collo tenus madidatus ad eum peruadit. Erigit, & in ſiccum, quantum poteſt, perducit: curſu inde in opidulum propinquum fertur, vehiculum & homines adducit miſero huic ſubleuando. Qui inibi curatus, poſt paucas etiam ſeptimanas Hallas venit, Diuæ præco, & omnibus narrabat quæ vix ipſe, niſi ſibi, credidiſſet.

CAP. XXX.

E carcere vir nobilis liberatur, & Hallas porrò ducitur.

Anno ∞. CCCC. LXXI. PHilippus *Cliuius* cognomento, quia ex illuſtri eâ gente originem, ſed naturâ non lege ducebãt, in opido Burgundiæ claro & noto Diuione agebat. Militiam ſectabatur: neque ea proſpera illi tum fuit. Nam captus à Gallis, abductus *Vaucolorium* fuit, ad Lotharingiæ fines, & turri præaltæ creditus, quæ cubitos LXXX. ſupra terram emi-

eminebat. Petitum ab eo lutrum ſiue redemptionis pretium, vt à viro nobili, *quingenti aurei.* Nimium quantum ei viſum, pro fortunâ & opibus: itaque æger animi mærebat, & corpore etiam languebat. Die quadam ſub meridiem cibus ei adfertur, non ſumit, ſed ſomnus eum ſtatim occupat: & dormit in ſequentis diei alterum meridiem, dormiſſetq́ue etiam (ſedens & in vinculis) niſi cuſtos excitaſſet, & ad cibum inuitaſſet. At ille ſpreuit, neque cupido erat: ita toto animo agitabat & defixus hærebat in viſo, quod per ſomnum erat obiectum. Id tale. Videbatur Hallis eſſe, & iacere in ipſis gradibus ſacelli, quod Diuæ Virgini eſt ſacratum. Ibi preces fundebat, coram eius imagine: atque ea ſolari, & animos addere, vt breui liberando. Hoc ſomnium, dico, cùm ſuauiter menti obuerſaretur: cuſtodis abſceſſu in genua voluitur, & illam ipſam Diuam precatur, ratum firmumq́ue id velit eſſe. Spei impletur, & os arripit è carne bubulâ, quæ eſui antepoſita erat, eoq́ue velut limâ vſus (ah ſtulte, non ſtulte, quid facis? oſſe ferrum ſecas?) vſus, inquam, ſtatim numellas ferreas, quibus ceruix adſtricta, decidere videt fractas. Idem in manicis, idem in compedibus. Et iam vinculis omnibus liber, fune quem è lineis laneiſq́ue veſtibus ſuis fecerat, è feneſtrâ ſe demittit. Sed turris, vt dixi, præalta erat, nec funis ſatis competebat: tamen

fiduciâ diuini auxilij pergit demittere, & illæſus in terram ſaltu fertur. Iterùm hìc miraculum. Fugit in proximam ſiluam, & metu perquiſitorum diem totum latet: idem altero tertioque facit, & noctes ſaltem itineri impendit, idque ſine vllo cibo, aut etiam veſte. Diua tamen tuita eſt, ſanumque perduxit Hallas tali illo habitu, id eſt nudum & ſqualentem.

Cap. XXXI.

Cacula militaris à ſuſpendio liberatus, cùm Diuam innocaſſet.

ɷ. DCI. IV. Kal. Sept.

QVod non pridem, nec procul euênit, incolis & accolis notum, Carmine complectamur.

Seditio militaris, heu, Belgas meos
Quoties malè habuit atque pænè perdidit!
Vel illa, quæ biennium ante, in oppido
WEERDTA coaluit, atque ibi fixit pedem.
Erant quaterna aut quina millia militum,
Erant calones, &, mala manus, fæminæ.
Hi iuſque faſque, & imperantium iugum,
Etſi exuiſſent; attamen ſine legibus,
Aut ſpecie earum, haud agere poſſe ſe vident.
Statuta condunt ergo militariter,
Et maximè quæ commeatum tangerent:
Vt liber ille vberque poſſet aduehi,
Aduectus vt vænire, ſciſcunt neminem

Diripere

Diripere poſſe inempta, vel ſubducere
Colore nullo, niſi dati nummi forent.
Et quiſquis aliter, capital hoc ipſum foret.
Sciſcunt, & exſequuntur. ecce ſeruulos
Inter, *Ioannes*, gente Lucemburgius,
Haleca dum vult emere, itemq́ue ſoluere:
Abripitur à premente turbâ, & in manu
Numos tamen reſeruat. iſtud conſpicit
Tubicina quidam, & incitante præmio
(Index ferebat quinquies quinque aureos)
Accuſat hunc apud Ducem, quem legerant.
Ille aduocare concionem, & dicere
Reum *Ioannem*, quid videtur? omnium
Vox vna, Lex ſeruetur, & pereat nocens.
Crux illicò ſtatuitur, & myſtæ duo
Sacri accientur, vt ſuas culpas piè
Piet Ioannes. qui tamen reſiſtere,
Et velle ſe purgare: fruſtrà, ita omnium
Aures ad innocentis occluſæ logos.
Ergo ille tollit lumina, & mentem ſimul,
Ad alta. *Tu regina cælitum potens,*
Quæ cultum & ædem in oppido Hallenſi tenes,
Tuere me innocentium vindex ſolens.
Dixit, ſimulq́ue concipit fiduciam
Certam ſalutis. lictor abducit tamen,
Crucíque ſiſtit: tollit inde carnifex,
Adſtringit, & deuoluit. ille duplici
A fune dependebat, alter rumpere,

Alterque idem minarier. miraculum
Viſum omnibus, clamantq; mitti innoxium.
Non mittit, imò carnifex magis premit
Manu genuque: donec vnus militum
Conſcendit, & funem alterum gladio ſecat.
Sic liber à gabalo Ioannes tunc abit,
Et vênit Hallas, votaque exſoluit Deæ.

Cap. XXXII.

Religioſa virgo à Spaſmo ſtatim libera reddita.

Anno ∞. IↃC.II.

VIrgo nobilis *Hadriana T'ſerartſia*, filia *Lanceloti* Equitis, religioſam vitam profeſſa in Cænobio Vorſtenſi, quod lapide circiter vno à Bruxellâ diſtat, ipsâ viâ quà Hallas itur, annum iam agebat alterum & vigeſimum, bonâ ætate & bonâ valetudine: donec inuaſit eam Spaſmus ſiue Conuulſio, graue malum & medicis deteſtatum, in brachio dextro. Id ita vehementer virginem adflixit, vt noctes dieſque ſomni ac quietis expers ageret: nec medicina aut chirurgia vlla, varia expertæ, ſubueniret. Quid facit? virgo virginem adſpicit: & ſpretis humanis remediis animum, ſpem, preces ad illam vertit. Venit igitur ad Antiſtitam ſuam, quam Abbatiſſam vocamus: petit, *quoniam ipſa cænobij limitibus clauſa egredi per ſacramenti religionem non poſſet, vellet vnam aliquam ſufficere, quæ vicem ſuam ſacrâ le-*

gatione

gatione & precatione apud Diuam Hallenſem fungeretur, & ſalutem ab eâ corporis (quod ex ſalute tamen animæ eſſet) peteret, atque impetraret. Impetraret. nam ita animum ſibi dicere, & in Diuæ benignitate prorſus ſperare. Antiſtita indulget libens. mittitur quæ donarium aliquod offerret, & ſimul auguſtum illud Sacrificium fieri, bono & voto illius ægræ, curaret. O mira, ſed vera! Ipſo tempore quo munus à fæminâ, quo ſacrificium à ſacerdote offertur; hæc Hadriana tum in templo, inter conſortes ſuas religioſas, ſentit brachium velut manu prehendi & premi: ac ſimul omnis conuulſio, tremor, dolor, abierunt, neque poſt eum diem vel indicium mali rediit, bonâ fide ab optimâ Diuâ deterſum.

CAP. XXXIII.

Plura miracula, varij generis, varijs locis, è Tabellis aut inſcriptionibus collecta, & ſerie temporum digeſta.

ET quæ hactenus dedi, vnius ferè ſæculi ſunt (duo excipio:) id eſt ab anno ∞.CCCC. aut circà, ad annum *quingenteſimum*, imò ad eum non pertingunt. Deinceps vſque ad hoc noſtrũ æuum ferè ſilentium eſt, an non incuriâ, aut omiſſione eorum, qui Actis præfuerunt? Ego arbitror: ſiue etiam ſatietas eos cepit ſcribendi aut colligendi,

cùm viderent Diuæ gloriam ſatis iam propagatam teſtatámque eſſe. Neque enim deſiiſſe miracula, vel hæc ætas dicit: in quâ paucis ab annis memorabilia euenêre: quæ tamen non Actis comprehēſa, ſed Tabulis ferè votiuis ſignata, aut depicta, breuiter hîc commemorabo. ANNO ∞. IↃ. XXXV. quo tempore Carolus V. Imp. fortiter magis, quàm feliciter Africam, & in eâ Algerium vrbem tentauit: fuit in expeditione *Ioannes Preſius* cum vxore, qui in reditu præſens vitæ periculum adiit, ipsâ naui, quâ vehebatur, euersâ & mersâ: cùm ille Diuâ Hallenſi inclamatâ, teſtatur in Tabulâ incolumem ſeſe atque illam euaſiſſe: & modum vltrà non addit.

Anno ∞. IↃ. LXIIII. Mantuæ Carpetanorum, quod Madritum hodie appellant, puella Aulam regiam cum parentibus ſecuta (ij autem Hallis oriundi erant) caſu è feneſtrâ ſublimi, & quadraginta ampliùs pedes altâ, decidit. Diuæ corde inuocatæ auxilio, immunis ab omni noxâ ſurrexit, vocem ſtatim emittens, *O Diua Parens me tuere.* Bona Virguncula, iam tuita erat: quid poſcis? agnoſce magis, quàm pete: ſed & hæc agnitio erat, ore faſſæ quod corde vouerat.

Anno ∞. IↃ. LXXI. Alfonſus Guſmannus Hiſpanus, domi nobilis, eiúſque filius, ille in gutture letale vulnus, hic in capite exceperant; & à medicis deſperati ac relicti, ad Diuæ huius opem verſi,

verſi, ſtatim eam ſenſerunt,& cum omnium admiratione intra paucos dies vtrumque vulnus conſanuit.

Anno ∞. IↃ. XCI. fuit vir nobilis Antuerpiæ (nomen verecundè ſilemus) qui fœdum & immane aliquid in ſe meditans, & animi impetu victus, fræna rationis excuſſerat: ſubitò ad Diuam ipſam ſeſe & preces conuertens, mirabili mutatione ſenſit refrigeratum pectus, & ſcelus quod amabat, deteſtari. Quo offenſus, qui prædæ iam imminebat, malus Genius, ex alto loco & ſeptemdecim gradibus ſcanſili, hominem præcipitem dedit. cecidítque ſine noxâ corporis aut membrorum, pugione tantùm diffracto, quem ſceleris inſtrumentum geſtabat. Diuæ igitur huic gratus tabulam poſuit, obſcurum nec obſcurum rei monumentum.

Anno ∞. IↃ. XCIII. *Nicolaus Biatta*, inter Epirotarum equitum (qui laudem à tempore *Caſtriotæ* illius, vulgò *Scanderbegi*, equeſtris militiæ tenuerunt)inter equitum dico illorum vexillationes, & alæ vnius Præfectus, in Galliâ militabat *Carolo* Duci Mayēnio, qui religionis cauſſam tueri cenſebatur. Cùm autem iuxta Cambreſium in pago aliquo cum Alâ ſuâ ſolus ageret, occaſio viſa Duci Longeuillio (is partes Henrici IIII. Regis ſequebatur) rei benè gerendæ, & hominis opprimendi. Itaque venit ſubitus, & inuadit eum

cum

cum ducentis circiter equitibus, quadringentis peditibus. Impar valde pugna, & vel numero vincitur: equus ſub eo confoditur, ipſe capitur, & vt bellis ciuilibus ſanguis magis quàm præda petitur, clamatum imperatumque, *Occide.* Vulnus igitur in capite letale accipit, viginti in reliquo corpore plagas: & cùm in tanto diſcrimine Diuam hanc palàm inuocaſſet, re ſemimortuus, opinione mortuus relictus, incolumis tamen euaſit, & voti reus Hallas paullò pòſt venit, tabulâ rem & miraculum teſtatus.

Anno ∞. IↃ. XCV. *Antonius Chamberius* Anglus natione, vicarius Centuriæ Tribuni ſui *Stanleij:* cùm Spadam in Eburonum tractu, ad laudatos illos & medicatos fontes veniſſet, fors fuit (memini, & pars periculi eram) vt Batavi trecenti equites inopinati aduenirent, multos opprimerent, & abducerent captiuos. Iſte in eorum medio tutus & intactus (dicámne & inconſpectus?) egit: ſolâ Diuâ hac Virgine, cui ſe deuouerat, velante, & per medios hoſtes eripiente. Senſit & faſſus eſt, & tabulâ ſcriptâ adfirmauit.

Anno ∞. IↃ. XCVII. *Stephanus Robinus,* Montibus Hanoniæ oriundus, rei & negotij cauſsâ Luſitaniam cùm feliciter veniſſet, in reditu non eâdem fortunâ fuit. Tempeſtas occupat, & in medio mari nauim frangit, & vectorum pleroſque demergit. Ipſe in Diuâ Virgine fretus, tabulam

lam arripit, & inter tenebras vaſtoſque fluctus, ſidere illo allucente ac dirigente, terram & vitam tenuit. Tabellam dedicauit, & breui narrationi ſubſcripſit: *Mirabilis eſt Deus in ſanctis ſuis.*

Anno ∞. IↃC. II. *Geryon Parmenterius,* nobilis vir & miles, in præſidio arcis Tornacenſis agebat, ſub Illmo *Philippo* Comite Solrano, virtutum & prudentiæ dotibus inſigni Principe. Improuidus, an feſtinus, decidit veſpere ſub horam octauam, denſis iam tenebris, Februario menſe, in ſubiectum arci flumen, magnum & rapidum, Scaldim. Ipſo caſu Virginem Hallenſem inclamat, & vota vouet: ſtatimque non auxilio ſolùm, ſed præſentiâ adeſt, videtque coràm Diuam tali effigie, quâ in æde Hallenſi aræ ſuperſtat. Et quaſi manu ſentit ſubleuari ſe, & impelli ad ripam fluminis: vbi ſalicis ramum apprehendit, tenuitque firmiter, donec cymbâ ex alterâ ripæ parte appulsâ, in eam impoſitus liberatur. Hoc non ipſe magis, quàm vigiles omnes arcis teſtati ſunt, qui viderunt audieruntque.

Anno ∞. IↃC. III. quo hæc ſcribimus, vxor *Nicolai Langij* graui morbo detinebatur, depoſita & à medicorum ope abdicata. Decem horas pro mortuâ iacuit: cùm maritus vota noſtræ Diuæ fecit, factiſque vxor reuiguit, an reuixit? certè intra paucas horas plenè reualuit. Vterque Hallas venit, monumentum dedicauit. Plura

liceat aggerere: ſed aut prioribus paria, quæ cum tædio iterentur: aut obſcura, id eſt, nec locis, nec temporibus, aut perſonis ſatis definita. Paſſim enim ibi ſcipiones, fulcra, mali aut tabulæ nauium, variæ hominum aut euentuum figuræ: quæ latam opem oſtendunt, ſed vt dixi, incertam, & narratu haud facilem. quoniam in re iſtâ ſacrorum nec libet, nec licet, ingenio indulgere. Superſedemus. & quídni ſatis ſint iſta, beneficentiæ & potentiæ eius aſſerendæ? ſed & pietati ac religioni in animis excitandæ, ſiqui ab vtraque ex profeſſo non ſint alieni.

CAP. XXXIV.

Sodalitas Beatæ Virginis, & Principum aliquot inſcriptorum nomina: tum aliquid de Supplicatione.

TRanſeo ad Exempla eorum, qui eximiè in cultu & veneratione huius Diuę dediti fuerunt. Ij quoque multi, & dignitate ac potentiâ inter Europæ primos. Fuit * Sodalitas antiquitùs inſtituta: & Codex aſſeruatur, in quem relati qui nomina dederunt. Plurimi vtriuſque ſexus ſunt: ſed ferè titulis, non propriis ſuis nominibus inſigniti. in quo Actuarios equidem culpem. Scribuntur iſti, *Cæſar cum vxore & liberis. Rex Angliæ, cum vxore & liberis.* & coniicere licet, illum fuiſſe

* *Confirmata à Pontifice, & præmiis indulgentiisq; prouocata, anno* ∞. CCCC. XXXII.

fuiſſe Maximilianum Auſtriacum, noſtrum: & hunc, Henricum Octauum, eidem Cæſari amicum. Eſt deinde *Dux Brabantiæ, Lotharingiæ, Limburgi, cum vxore & liberis:* item *Dux Geldriæ & Juliaci.* Et iam nominatim

Guilielmus ſenior, Comes Hannoniæ, & vxor.

Alius *Guilielmus Comes Hannoniæ, Hollandiæ, & Zelandiæ, cum vxore & liberis.*

Albertus Comes Palatinus Rheni, Dux Bauariæ, Comes Hannoniæ, Hollandiæ, & Friſiæ, cum vxore & liberis.

Ludouicus, Comes Flandriæ, & vxor Margareta.

Fredericus, Dux Bauariæ.

Theodoricus, Comes Loſſenſis.

Guilielmus Flander, Comes Namurenſis, Bethuniæ Dominus cum Ioannâ vxore.

Multi alij, Principes, Antiſtites, Nobiles, Priuati, Plebeij: quos ſine fructu, aut oblectatione, nominemus. Illud addo, aliam velut Sodalitatem eſſe eorum, qui Diuam Virginem ſollenni *Supplicationis* die inuiſunt, & dona publicè ei ferunt, atque ipſam adeò ferunt. Res explicanda eſt. Sunt duodecim partim Opida, partim Municipia, quæ quotannis primâ Dominicâ Septembris (is ſtatus & ſollennis dies eſt) Hallis ſe ſiſtunt: id eſt, ab iis miſſi primores aliquot ciuium aut incolarum. Quibus Eccleſiaſtæ & Magiſtratus Hallenſis obuij fiunt, comiter & honeſtè excipiunt, & ad

ædem ſtatuamque ſacram venerandam deducunt. Iiſdem vina & cibi, beniuolentiæ ergô, offeruntur. Illi autem, pro ſuo quiſque opido aut municipio, Chlamydem Diuæ offerunt, numero vniuersè duodecim: aut (quia affatim iam Chlamydum eſt) ipſas ab æditiuis templi ſumunt, & certam pecuniam in pios vſus rependunt. In Supplicatione deinde, cùm Statua per vrbem & ſuburbana defertur; illi comites ſunt: & ordine etiam humeros ſupponunt, piâ æmulatione ſacrum onus affectantes. Opida ſunt iſta: *Athum, Tornacum, Bruxellæ, Valentianæ, Condatum, Namurum.* Municipia autem, *Lembeca, Quiurania, Criſpinum, Brania, Buſigniacum, & Sancti.*

Cap. XXXV.

Dona memorata, ſed tantùm Principum, idq́ eorum qui Belgicæ præfuerunt.

IAm ad eos venio, qui *Donis* etiam & Muneribus variè teſtati ſunt affectum. Et quamquam hîc quoque magnus numerus (in Rationario templi vidi) tamen duplici cauſsâ diffundere hæc prohibeor. Primùm, quia ipſa Dona non omnia, imò exigua pars compâret: cùm olim, & nunc maximè in publicâ hac inopiâ, multa conſilio & conſenſu diuendita ſint, ad templi & ſacrorum vſum. Deinde, quia eadem hîc Actuariorum ruditas

ruditas culpanda. qui Dona quidem conſignant, & appendunt: ſed donantium nomina inſuper habent, titulos indicaſſe contenti. Vt, *Dux Brabantiæ calicem dedit. Seneſchallus Hannoniæ ſtatuam argenteam armati militis. Crucem inauratam magni pretij & operis, figuris variegatam, *Delphinus Galliæ.* Ille ipſe *Falconem magnum argenteum inauratum.* Item, *Statua donata argentea, muliebri habitu, cum inſignibus Bauariæ.* Item, *Statua argentea, coronâ & capillis inauratis, ipſius Diuæ Virginis, donante Toparchâ Montmorencio.* Multa, inquam, hæc talia lego: ſed quid memorem, perſonis & cauſſis ſic incertis? Ego verò pauca illa digeram, quæ noſtri Principes & Dynaſtæ dederunt: & initium ab illo faciam, qui Belgicam noſtram in hoc vnum corpus feliciter iunxit. Is eſt PHILIPPVS iure ſuo BONVS: & huic Diuæ quàm addictus! Docent monumenta, quæ affectus & cultus ſui reliquit. Primò, ipſius Virginis ſtatua grandiuſcula, in mediâ Arâ poſita: ſed auro puro inducta. Filium brachio vno præfert, altero florem Lilij inauratum. In pectore monilis vice ſunt, vniones ſex, puri, grandes: & in eorum medio carbunculus, ſiue Pyropus lapis, quem *Rubinum* nos à colore vocamus. At in capite corona eſt puri puti auri. Sunt deinde in eâdem Arâ duodecim Apoſtoli, ex argēto, fabrè ſatis facti: quos inibi etiamnunc eſt videre. ſimulq; ad latus vtrumque Aræ,

* Qui fuit *Ludouicus*, opinor, poſteà *Vndecimus* Rex, diu in Belgicâ exſul.

duos cęleſtes Genios, ſiue Angelos, eodem metallo, candelabra præferentes, & venerationem Diuę exhibentes. Supra has ſtatuas, ibidem duę ſunt militares, altera Pedeſtris, altera Equeſtris: & ſignificatum liquet, vtramque militiam ſuam verè BONVM Principem Diuæ conſecraſſe. Iſtæ pariter ex argento: ſed fuerunt & duæ, eodem militari habitu, puri auri: quarum Pedeſtris ſecurim, Equeſtris lanceam manu teneret. Idem Lampadem auream, inſigne munus dedit: cui aliam inauratam publica neceſſitas deinde ſubſtituit. Fuit & Statua, iuſtæ magnitudinis, dimidiata ex argento, donum eius Vxoris. Conſpicitur item Feneſtra vitrea in eo ſacello, variè picturata, Philippo curante & donante. Denique & Tabula eſt, in quâ ipſe Dux ſupplicis habitu effingitur procumbens ad Diuæ genua; & verſus aliquot Gallici inſcripti, pij magis quàm boni, in huius laudes. Annus ſubſcribitur ∞. CCCC. LV. Martij dies XX. Enimuerò (vides Lector) valdè hanc Diuam, nec ſine mercede coluit. quippe quæ pariter eum extulit, & ad id æui diuulſas Belgicæ prouincias, paullatim conciliauit, & vnius illius imperio ſubiecit.

CAROLVS eius filius, cognomento & re AVDAX: atque vtinam non fuiſſet! Eius ibi donum lego, Falconem argenteum: nec vltrà.

MAXIMILIANVS ſucceſſit, qui in Auſtriam gentem

gentem omnem hanc potentiam tranſtulit, matrimonio *Mariæ Burgundicæ*, Caroli filię, iunctus. Dignus eâ fortunâ, & maiore, Princeps fuit: virtutibus, & animi magnitudine, itemque benignitate, cum optimis comparandus. Quid dicam de Scientiæ, & Sapiẽtiæ ſtudio? Quod ad Scientiam, vix alius in eo culmine litteras, & memoriam rerum veterum, magis ipſe coluit, earumque gnaros honeſtauit. De Sapientiâ, vnum, ſed eximium factum, dicat. Biennio toto ante mortem (& ætas adhuc bona, ac valetudo erant) capulum è plumbo funebrem, arcæ ligneæ incluſum, circumferri ſecum, quaquà iret, & in dormitorio ſemper cubiculo deponi curauit. Theſaurum ignari cenſebant occuli: & erat, ſed Philoſophiæ, cuius ſtudium veteres definierunt, *Meditationem mortis eſſe.* Sed Principis huius laudes arctâ paginâ non ſtringo: Pietatem memoraſſe contentus, quæ agmen virtutum eius duxit. Oſtendit habuitq; eximiè in hanc Virginem: & quid niſi ipſum teſtem demus? Conſpicitur etiamnũc, genibus nixus, in ſacelli dextro latere, tabulato paullùm altiore, loricatus, & cetero cultu militari. Ponè eum *Albertus Dux Saxoniæ* geniculatur, itidem armatus: qui bellis tunc noſtris fidam fortemque operam Maximiliano præbuit, & filio eius Philippo. Illum eſſe, inſignia gentilicia ſatis oſtendunt. Eſt & tertius, velut per ſubmiſſionem paullùm ab illis

lis remotior, genu pariter flexo: quem, ex inſignibus, gentis Meluniæ eſſe apparet: ac fortaſſe *Robertum Melunium*, id æui rebus conſiliiſque mixtum. Dona Maximiliani ſunt, Calix cum patinâ inauratus: cui inſculpta Auſtriæ gentis inſignia, ſuperaddito pilleo Archiducali. Ex quo liquet, ſub initia, & Archiducem adhuc dediſſe. Eiuſdem eſt *Diui Maximiliani* ſtatua argentea, admodum bipedalis: quæ mitram capite, crucem vnâ manu, alterâ gladium geſtat; & ab eo dependentes argenteas duas claues. Fama tenet (& clauium argumento adſtruas) Bruxellenſes noſtros, anteà aliarum partium, tunc in pacem ditionemque acceptos, velut mulctam dependiſſe. Eſt ab eodem Arbor, ſiue Roſæ frutex, è puro auro, cum pluſculis ramis floribuſque, item bipedalis: quam ſacratam à ſe Pontifex Maximiliano donum, ipſe porrò Diuæ Hallenſi miſit. An non velut omen, aut votum? vt ſuâ ope vellet Belgicam, attonſam tot bellis & attritam, ſub nouo imperio iterùm reuireſcere, & pace ſuauiter florere. Et verò ſæpe auxiliarem illam ſenſit. palàm in
Anno ∞. cccc. xcii. Atrebatium vrbe à Francis auellendâ, & in corpus ſuum reſtituendâ. Tenebatur grandi præſidio: ciuium optimi, quod viribus non poterant, aſtu patrandum ſuſcipiunt: ſed trepidi & anxij, vt inter plures, ne res emanaret, aut in euentu falleret, animos ad Deum & Diuam vertunt.

Vouent

Vouent huic, ſi adſpiraſſet, nudis pedibus Hallenſem eius ædem inuiſere; oblaturoſque è ferro & cerâ tabulas, rei geſtæ monumentum. Ampliùs, egenis pecuniæ certum modum, eius honori elargituros: & denique aquâ ac pane vitam toleraturos, donec votorum iſtorum ſe liberaſſent. Factum & hoc, & illud eſt: ciues & vrbs Principi ſuo redditi, & vota noſtræ Diuæ.

PHILIPPVS ſequebatur, huius filius: qui Hiſpaniarum regna per coniugium eſt ſortitus. Magna indoles virtutum, ſed breui imperio & vitâ: cùm fata hanc lucem terris tantùm oſtendiſſent.

Ergo excipit CAROLVS QVINTVS, pius & felix Imperator: cuius laudes ne libare quidem hîc ſuſtineo, alibi pleno ore dicendas. Is ſæpè ad hanc ędem, religionis cauſsâ, ventitare ſolitus, donis etiam auxit. Statuam argenteam viri armati, genibus nixi, manibus in cælum ſublatis, ſupplice habitu, dedit dicauitque. Idem Scyphum grandem inauratum, operis antiqui. Idem militari formâ chlamydem, villoſo ſerico, auro intertextam, inſignibus Imperij, & gentis Auſtriæ, decoratam: quid in eâ, niſi ſuam Diuæ militiam & victorias, aut conſecrans, aut referens acceptas? Ciues autem, ab inſito in hunc Principem affectu, donum hoc ſuper alia honeſtant: & quotannis, ſollēni ſupplicatione (primâ Dominicâ Septēbris) eâ chlamyde ſtatuam Virginis ornatam,

templo efferunt. Efferunt, inquam. nam mox, viâ procedente, mos habet ſæpiùs ſæpiuſque veſtes mutare, & pia aliorum etiam dona admouere: ſed primum, vt dixi, velandi honorem Cæſareum illud habet.

Iterùm PHILIPPVS ſequitur: ſed breui in his locis morâ, affectum (vt cetera eius pietas ſuadet) habuit magis, quàm oſtendit.

ALBERTVS iam noſter AVSTRIACVS, & ISABELLA, CLARA, EVGENIA, eius vxor, optimi atque optatiſſimi Principes, ſingulari vterque religione, eam in hoc loco & Diuâ eminere etiam voluerunt. Sæpiùs adierunt, preces fuderunt. & ille donum ſuſpendit Lampadem argenteam, pondere & opere inſignem: eiq; vectigal annuum addidit, vt in æuum ante effigiem ſacram luceret. ISABELLA autem Chlamydem ſacrauit, auro & argento intertextam.

An non liceat ALEXANDRVM Parmæ & Placētiæ Ducem ſubiungere, cui materna ab Auſtriacis origo? Sed & idem ſi non Princeps, vicem & munus Principis plures annos feliciter hîc obiuit. Sile enim liuor, & vel mortuum hunc *Camillum* noſtrum reuerere. quídni ſic dicam? quem ille titulum variis victoriis, conſilio & virtute partis, meruit: in rebus afflictis, & Belgicâ non diuisâ ſolùm, ſed in ſe armatâ. Ille magnam partem iterùm iunxit, legitimo imperio ſubiunxit:

xit: & quia euentus tamen à Deo eſſe ſciebat, interpretem apud eum & conciliatricem habuit hanc matrem. Sæpe huc commeare ſolitus, & vix aliter in expeditionem vllam ire, niſi precibus votiſque ad aram eius ritè pieque conceptis. Atque hoc in eo notabile, & laudabile: quòd ferè aut pedes iter totum (rarum priuatis, quid Principibus?) conficere, aut certè in ipsâ viâ, ad primum conſpectum ſacræ turris, deſilire ex equo, & reliquum ſic peragere, teſtandæ venerationi, conſuerat. Dona porrò eius ibi crebra, ſubmiſſa aut oblata: ſed ferè ſtipes aut nummi fuerunt, opportuna ſolatia in arctis tunc rebus. Hoc ipſo laudandus, quòd beneficium dare, non famam parare voluit: & Deum notorem ac muneratorem aſpexit.

CAP. XXXVI.

Finis, & precatio. item Penna noſtra Diuæ ſuſpenſa.

DOna alia & varia eſſe aut fuiſſe, iam præmonui: ſed quid commemorem? Pompâ aut opibus non certamus: & datores facilè indulgebunt ſilentio veniam, quibus pręmium in ſuperis æterniſq; locis ſemper paratum eſt, & ſemel partum. Nos quidem ſine noxâ lateant hæc talia: at numquam O DIVA tua benignitas, cui parem vim & potentiam es ſortita. Tu illa REGINA cęli,

terræ, maris: ſupra quam nihil niſi Deus eſt: LVNA ab illo SOLE proxima: quam precibus imploro atque inuoco, Publicè ac priuatim tuêre nos & reſpice. Vides publicè iactari quadraginta iam ferè annos fluctibus bellorum ciuilium: placa illud mare O MARIA, & auulſos à nobis in veterem ſocietatem, amorem, fidem compelle. Priuatim etiam noſipſos, vitiis aut deliciis fractos, emenda, erige: & ad virtutem àc robur illud vetus traductos, te dignos clientes, cælo dignos incolas effice. Quæ omnia per te vis O BONA, per filium autem potes O MAGNA, O ADMIRANDA in æternum. Peregi. ipſum tamen me, & hoc quidquid ingenij ac ſtili eſt, iterùm tibi do, dico, conſecro: quod ex animo feci ante biennium, PENNA argenteâ in templo, ante Aram tuam, ſuſpensâ. cui hos verſus ſubſcripſi:

Hanc, DIVA, PENNAM interpretem mẽtis meæ,
Per alta ſpatia quæ volauit ætheris,
Per ima quæ volauit & terræ, & maris:
Scientiæ, Prudentiæ, Sapientiæ
Operata ſemper. auſa quæ CONSTANTIAM
Deſcribere, & vulgare; quæ CIVILIA,
Quæ MILITARIA, *atque* POLIORCETICA;
Quæ ROMA MAGNITVDINEM *adſtruxit tuam;*
Variaq́; luce ſcripta priſci ſæculi
Affecit, & perfudit: hanc PENNAM *tibi*

Nunc,

Nunc, DIVA, *meritò conſecraui* LIPSIVS.
Nam numine iſtæc incohata ſunt tuo,
Et numine iſtæc abſoluta ſunt tuo.
Porrò ô benignitatis aura perpetim
Hæc ſpiret! & famæ fugacis in vicem,
Quam PENNA *peperit, tu perenne gaudium*
Vitamq́ue, DIVA, LIPSIO *pares tuo.*

AD LECTOREM.

VIſum eſt hìc in fine apponere, Lector, Pontificum aliquot approbationes, teſtimonia, indulgentias, quæ loci ſanctimoniam affirmant, & prouocant ad colendum. Plura ſanè ſunt & vetera, ab ipſo anno Chriſti ∞. CCCXVIII. ab Epiſcopis, à Cardinalibus, Legatis, ab ipſo ſupremo Capite: ſed duo dediſſe ſatis habebo, alterum *Nicolai Quinti*, alterum *Clementis* nunc *Octaui*, Pontificum verè Maximorum. Illud ita habet.

NICOLAVS EPISCOPVS,

SERVVS SERVORVM DEI,

VNiuerſis Chriſti fidelibus præſentes litteras inſpecturis, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Dum excelſa meritorum inſignia, quibus Regina cælorum, Virgo Dei genitrix glorioſa, ſedibus prælata ſidereis quaſi ſtella matutina prærutilat, deuotæ conſiderationis indagine perſcrutamur; dum etiã intra noſtri pectoris arcana reuoluimus, quòd ipſa, vtpote mater miſericordiæ, mater gratiæ & pietatis, amica humani generis conſolatrix, pro ſalute fidelium qui delictorum onere prægrauantur ſedula exoratrix, peruigil apud Regem quem genuit intercedit; dignum, quin potiùs debitum arbitramur, vt Capellas & loca in honorem nominis ſui dedicata gratioſis remiſſionum proſequamur impendiis, & gratiarum muneribus honoremus. Sanè ſicut fide dignâ dilecti filij Magiſtri Nicolai Plonchet, Perſonæ perſonatus in parochiali Eccleſiâ S. Martini oppidi Hallenſis Cameracenſis Diœceſis, Cubicularij ac Scriptoris & familiaris noſtri continui commenſalis, relatione didicimus; quædam honorabilis Capella ad honorem & ſub titulo beatæ Mariæ virginis præfatæ, in quâ ſingulis diebus ad laudem eiuſdem Virginis Mariæ vna altâ & plures aliæ ſubmiſſâ vocibus cum deuotione magnâ Miſſæ celebrantur, &

tur, & ad quam copioſa Chriſti fidelium ex diuerſis mundi partibus multitudo, propter loci illius deuotionem, ac miraculorum quibus eadem virgo Maria inibi coruſcare dignoſcitur frequentiam & magnitudinem, confluere dietim proſpicitur in dictâ Eccleſiâ à multis iam tranſactis temporibus, ita quòd de illius contrario hominum memoria vix habetur, ſolemniter fundata & dotata exiſtit; ipſiusq́ virginis Mariæ imago Dominicâ primâ Septembris ſingulis annis cum magnâ honorificentiâ, tam dicti quàm circumiacentium oppidorum, ciuitatum & villarum, aliorumq́ locorum Scabinis, Conſulibus, & Communitatibus, magnifica donaria in reuerentiam præfatæ virginis Mariæ, ex parte ciuitatum, oppidorum, villarum, & locorum à quibus occurrente tempore ad id ſpecialiter mittuntur, deferentibus & offerentibus, ſingularibuſq́ vtriuſque ſexus earundem partium cum ſingulari deuotione concurrentibus perſonis, cum magnâ ſolemnitate proceſſionaliter Clero pſallente & populo orante defertur commeantibus. Oblationes quoque ad dictam Capellam ex ipſorum Chriſti fidelium erogationibus prouenientes in Fabricam, quæ inibi ſumptuosè incepta exſtitit, & dietim continuatur, nec non reparationes & ornamenta ac alias parochialis Eccleſiæ & Capellæ huiuſmodi vtilitates & neceſſitates per certos probos viros ad id per Scabinos & alios ipſius oppidi oppidanos pro tempore deputatos, Eccleſiæ magiſtros nuncupatos, qui

Eccle-

Eccleſiam & Capellam antedictas bonaq́ ipſarum regere & gubernare ac utiliter conſeruare & diſponere tenentur, quamdiu onus geſſerint antedictum. Nos igitur cupientes ut dicta Capella congruis frequentetur honoribus, & ut Chriſti fideles ipſi eò libentiùs cauſâ deuotionis confluant ad eandem, ac præfatæ proceſſioni deuotiùs interſint, ac ad fabricā & reparationes aliaſq́ Capellæ & Eccleſiæ huiuſmodi neceſſitates manus promptiùs porrigant adiutrices, quo ex hoc ibidem cæleſtis dono gratiæ conſpexerint ſe refectos, de omnipotentis Dei miſericordiâ ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, omnibus & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui in Dominicâ quâ huiuſmodi proceſſio fiet eidem proceſſioni interfuerint, illamq́ à principio uſque in finem continuauerint, ac eadem nec non Epiphaniæ Domini & Exaltationis ſanctæ Crucis feſtiuitatum diebus dictam Capellam deuotè viſitauerint; & ad fabricam & reparationes, aliáſque Eccleſiæ & Capellæ prædictarum neceſſitates, manus porrexerint adiutrices, annuatim, ſingulis videlicet diebus huiuſmodi quibus proceſſioni interfuerint, aut dictam Capellam viſitauerint, & manus porrexerint adiutrices ut præfertur, ſeptem annos & totidem quadragenas de iniunctis eis pœnitentiis miſericorditer relaxamus; præſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. *Volumus autem, quòd ſi aliàs Capellam ſeu Eccleſiam huiuſmodi viſitan-*

ſitan-

ſitantibus, & ad fabricam & reparationes aliasq́ʒ Eccleſiæ & Capellæ prædictarum neceſſitates manus adiutrices porrigentibus, ſeu aliàs aliqua alia indulgentia in perpetuum vel ad certum tempus nondum elapſum duratura per nos conceſſa fuerit, præſentes litteræ nullius exiſtant roboris vel momenti. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo primo, prid. Non. Septembris, Pontificatus noſtri anno quinto.

Petrus de Noxeto.

CLEMENS PP. VIII.

VNiuerſis Chriſti fidelibus præſentes litteras inſpecturis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Ad augendam fidelium Religionem & animarum ſalutem, cæleſtibus Eccleſiæ theſauris piâ charitate intenti, omnibus vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus verè pœnitentibus & confeſſis, ac ſacrâ communione refectis, qui Eccleſiam parochialem beatæ Virginis Mariæ Hallenſis, diœceſis Cameracenſis, in Conceptionis, Natiuitatis, Præſentationis, Annunciationis, Viſitationis, Purificationis, Aſſum-

 ptionis,

ptionis, & beatæ Mariæ ad Niues feſtiuitatibus, nec non Dominicâ primâ Septembris, & per totam Octauam eiuſdem Dominicæ, *quo die imago beatæ Mariæ proceſsionaliter defertur, quoq; tempore peregrini vndique ad dictam Eccleſiam confluunt, à primis Veſperis vſque ad occaſum Solis, feſtiuitatum ac dierum huiuſmodi, deuotè viſitauerint, & ibi pro Christianorum Principum concordiâ, hæreſum extirpatione, ac ſanctæ matris Eccleſiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint,* plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam *& remiſsionem miſericorditer in Domino concedimus & indulgemus, præſentibus ad viginti annos, elapſo anno Iubilæi, dumtaxat valituris. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die quintâ Nouembris,* M. D. XCIX. *Pontificatus noſtri anno octauo.*

M. Veſtrius Barbianus.

INDEX CAPITVM.

AFfectus noſter vetus erga Diuam: iter Hallas, & occaſio ſcripti. tum Verſus. Cap.I. Pag.1.
Origo imaginis à Diuâ Elizabethâ. de hac igitur præmiſſum, de ſtirpe eius, quâ genita, & quam genuit, de morte & conſecratione. Cap.II. 4
De filiâ Elizabethæ Sophiâ. quæ in Brabantiam venit, ſtatuas attulit, diuiſit, & quomodo hæc Hallis dedicata. Cap.III. 9
Aliquid ſuper ipſo opido Hallenſi, itemque templo. Cap.IV. 13
Tranſitum ad Miracula; ſed primò communiter Vera hæc aſſerta, & diſcrimen triplex à Falſis datum. Cap.V. 15
Miracula quæ ipſum opidum, aut templum, aut ſtatuam propriè tangunt, & tutela in iſtis Diuæ palàm obſeruata. Cap.VI. 19
Duo eiuſdem rei exempla, à noſtro æuo, ſeria ſimul & iocoſa. Cap.VII. 23
Beneficia eius deinceps in priuatos. & primò à morte ſeruatus & patibulo, qui Falconem amiſerat. Cap.VIII. 25
Quidam inter aquas ſeruatus, in immani & ſubito diluuio. Cap.IX. 27
Puer merſus in vitam reuocatur. Cap.X. 28
Homo mali Genij hoſpes ab eo liberatur. Cap.XI. 29
Leodici puer luminibus captus, & toto corpore æger aut impotens, ab vtrâque labe ſanatur. Cap.XII. 30
Tempeſtate iactati, & iam naufragantes erepti. Cap.XIII. 31
Furioſa virgo mentem recipit. Cap.XIV. 32
Puer in Moſâ iam mergendus educitur. Cap.XV. 32
Puer iam merſus in puteo vitæ redditur. Cap.XVI. 33
Puer faſciâ ſtrangulatus, ſpiritũ & vitam recipit. Cap.XVII. 34
Puella in puteum præceps lapſa, & ſuffocata, in vitam redit. Cap.XVIII. 36
Puer triduum mortuus, & ſepultus, reuiuiſcit. Cap.XIX. 37
Puer diu amiſſus, & in voragine mortuus repertus, item vitam recuperat. Cap.XX. 39
Mira, mira, de puero item reſuſcitato, aut ſub terris ſeruato, non ſine aliis ſtupendis. Cap.XXI. 41

Innocens mirabiliter à laqueo liberatus. Cap.xxII. 45
Captiuus in vltimâ Galliâ ę carcere, ad inſtar Diui Petri, eductus.. Cap.xxIII. 48
Mulier ſub rotâ molari mirificè ſeruata. Cap.xxiv. 50
Sartor, qui acum in os immiſerat & porrò demiſerat, liber ab eâ redditus. Cap.xxv. 51
Oculus ex ictu ſaucius ſtatim ſaneſcit. Cap.xxvI. 52
Bauarus nobilis in naui à morte eripitur, & item Hallas venit. Cap.xxvII. 53
Auriga cum carro, & ipſe ſub eo in aquam lapſus, vitâ donatur. Cap.xxvIII. 55
Multiplex tutela cuiuſdam militaris viri, in pugnâ, & poſt pugnam. Cap.xxix. 56
E carcere vir nobilis liberatur, & Hallas porrò ducitur. Cap.xxx. 60
Cacula militaris à ſuſpendio liberatus, cùm Diuam inuocaſſet. Cap.xxxI. 62
Religioſa virgo à Spaſmo libera ſtatim reddita. Cap.xxxII. 64
Plura miracula, varij generis, variis locis, è Tabellis aut inſcriptionibus collecta, & ſerie temporũ digeſta. Cap.xxxIII. 65
Sodalitas Beatæ Virginis, & Principum aliquot inſcriptorum nomina: tum aliquid de ſupplicatione. Cap.xxxiv. 70
Dona memorata, ſed tantùm Principum, idq́ue eorum qui Belgicæ præfuerunt. Cap.xxxv. 72
Finis, & precatio. item Penna noſtra Diuæ ſuſpenſa. Cap. xxxvI. 79

Nos

NOS GVILIELMVS DE BERGHES DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA ARCHIEPISCOPVS ET DVX CAMERACENSIS, *Viſa narratione miraculorum quæ Beata Virgo Eccleſiæ Parochialis Oppidi Hallenſis noſtræ Diœceſis Cameracenſis, pro ſumma gratia qua apud Deum Omnipotentem, & Ieſum Chriſtum eius Filium Dominum noſtrum pollet, variis temporibus patrauit; & de quibus nobis conſtitit; eadem miracula ab Ornatiſſimo Viro Domino* IVSTO LIPSIO, *Sermorum Archiducum Belgij Principum Hiſtoriographo, fideliter collecta & deſcripta, approbanda duximus, prout tenore præſentium approbamus. Datum in Palatio noſtro Archiepiſcopali Cameracenſi, ſub noſtra ſignatura & paruo ſigillo, Anno Domini Milleſimo ſexcenteſimo quarto, Menſis verò Aprilis die quarta.*

Guilielmus Archiepiſcopus Cameracenſis.

Vt Valerianus Floſſius Vic. Generalis.

De mandato Illmi & Rmi Domini

D. le Meſureur Secret.

APPROBATIO.

LIbellus iſte non ſolùm vtiliter, ſed & religioſè vulgabitur, quòd in eo deſcripta miracula non tantùm ad Deiparæ Virginis honorem excitent, ſed ad ipſius quoque Dei amorem mirificè accendant, ſi in illis diuinæ bonitatis ac ſuauitatis erga Deiparam & Sanctos Viſcera conſiderentur; quibus, quod ſibi omnipotentiæ & diuinitatis iure eſt proprium, non modò Deiparæ ac ſanctis, verumetiam (quod mirabilius eſt) eorum imaginibus; &, vt in Actis Apoſtolorum legimus, vmbris, ſemicinctiis ac ſudariolis communicare dignatur. 5. Calend. Feb. 1604.

Guilielmus Fabricius Nouiomagus, Apoſtolicus ac Archiducalis librorum Cenſor.

PRI-

PRIVILEGIVM CÆSAREVM.

RVDOLPHVS SECVNDVS diuina fauente clementia electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Wirtembergæ, &c. Comes Tirolis,&c. Noſtro & Sacri Imperij fideli dilecto IVSTO LIPSIO gratiam noſtram Cæſaream.Poſtquam inter alia,quę DEVS immortalis hominibus liberali manu dedit dona, illuſtria inprimis illa & quaſi diuina ſunt, quæ in litteris liberalibusque diſciplinis conſiſtunt, quibus ſcilicet homines non tantùm ab animalibus ceteris rationis expertibus, ſed à rudi etiam & imperito hominum vulgo ita diſtinguuntur,vt tanquam Dij quidam ſplendeſcere in terris videantur: rem ſanè præclaram ſeque dignam illi præſtant,qui diligentem iis ipſis in litteris ac diſciplinis operam ponunt; præclariſſimam verò & Reipub. vtiliſſimam,qui eas ita excolunt, vt aliorum menti docendo, ſcribendo lumina præferant, eoſque ex ignorantiæ tenebris quaſi manu educant. Quos excitare, quos amare atque animare ad dignitatis noſtræ munus, ad quod Diuino vocati beneficio, conceſſuque ſumus, inprimis pertinere exiſtimamus. Cùm itaque ab iis, quorum nobis ſpectata fides, quique iudicare de Litteris poſſint, acceperimus, inſignes te animi ingeniique tui dotes tibi à natura inſitas à primis temporibus ætatis tuæ ita litterarum ac diſciplinarum ſtudiis excoluiſſe atque exornaſſe, vt olim iuuenilibus adhuc annis præclara floreſcentis minimeque vulgaris eruditionis ſpecimina præbueris, dum obſcura in antiquis ſcriptoribus loca, quæ quædam tanquam luſtra erant, illuſtraſti, quæque in iis iniuria temporum deprauata & corrupta fuerunt, reſtituiſti, dum vetuſta Latinæ antiquitatis rudera in nouam ſubinde ſtructuram ſingulari artificio eleganter conuertiſti: ad exquiſitam adeò & raram doctrinam, quæ magnam de te apud doctos quoſque viros opinionem excitarit, perueniſſe, eamque variis abs te libris acri & graui cum iudicio ſcriptis atque in lucem editis oſtendiſſe, vt in eo quod tam feliciter tractes ſcriptionis genere paucos tibi pares hodie reperire ſit: iam verò matura te ætate virum, viro magis magiſque digna, & viris doctis grata ac Reipub. vtilia ſcribere, quæque à primis illis Romanis olim auctoribus ſcripta fuerunt, à mendis purgare, & lectiſſimos quoſque ex Muſarum hortis, in quibus aſſiduè verſeris, flores colligere, concinnare, quibus Lectores mirificè recrees, & eorum pectus ad prudentiam, probitatemque informes: haudquaquam prætermittere voluimus, quin Reipub. ad quam hæc abs te ornamenta conferuntur, cauſa, Cæſareo te noſtro elogio decorandum, & quamuis per te ſatis ipſe animatus ſis, animandum magis patrocinioque noſtro defendendum pro benigna noſtra in te ſuſciperemus voluntate. Quoniam verò lucubrationibus atque operibus tuis in lucem edendis, peculiarem te eligere velle Typographum, accepimus, Diplomate hoc noſtro priuilegioque te & Typographum tuum aduerſus quorumcumque fraudem,qui lucri cauſa, quod fieri ſolet, eadem excudere aut typis imitari fortè velint, munitos cupimus. Quamobrem pro auctoritate noſtra Cæſarea decernimus,

mus, ſtatuimus, vetamusque, ne quis Typographorum, Bibliopolarum aut aliorum, qui librariam negotiationem exercent, eos libros, quos tu editurus es, quocunque modo, charactere, aut forma, ſiue integros, ſiue aliquam eorum partem typis imitari, edere, excudere, aut venundare intra ſacri Romani Imperij, Regnorumq; ac Dominiorum noſtrorum hæreditariorum fines triginta annis proximis à primo editionis die computandis, abſque tuo tuorúmve hæredum conſenſu audeat: Hac autem lege addita, vti tria vt minimùm cuiuſque libri exemplaria, quemadmodum moris eſt, ad Imperialem noſtram Cancellariam mittantur. Si quis verò edictum hoc noſtrum tranſgredi, violare, aut contemnere deprehenſus fuerit, eum non ſolùm eiuſmodi libris, tibi, hæredibúſue tuis, auxilio Magiſtratus, vbicunq. reperti fuerint, vendicandis, priuari, ſed triginta etiam Marcharum auri puri mulcta, cuius ſemiſſis quidem Fiſci noſtri Procuratori, fraudis vindici; alter verò ſemiſſis, tibi hæredibúſue tuis pendatur, puniri volumus. Mandantes vniuerſis & ſingulis noſtris & ſacri Romani Imperij ſubditis & fidelibus dilectis, tam Eccleſiaſticis quàm Politicis, cuiuſcumque ſtatus, gradus aut ordinis extiterint, præſertim verò iis, qui in Magiſtratu conſtituti, vel ſuo vel ſuperiorum ſuorum loco aut nomine, ius dicunt, iuſtitiámue exercent, ne quemquam hoc Priuilegium noſtrum impunè violare, ſpernere aut negligere patiantur: Sed, ſi quos contumaces compererint, conſtituta à nobis mulcta, eos puniri & quibuſcumque modis coërceri curent, ni & ipſimet grauiſſimam noſtram in ſe conuertere indignationem velint. Id quod hoc Diplomate, manu noſtra ſubſcripto, & Cæſarei noſtri ſigilli impreſſione munito, confirmamus. Datum in arce noſtra Regia Pragæ, die prima menſis Auguſti; Anno Domini Milleſimo, Quingenteſimo, Nonageſimo ſecundo: Regnorum noſtrorum Romani decimo ſeptimo, Hungarici vigeſimo, & Bohemici itidem decimo ſeptimo.

Subſign.

RVDOLPHVS.

Iacobus Curtius à Senfftenaw.

Ad mandatum ſacræ Cæſareæ M^tis proprium.

Io. Baruitius.

Additum ſigillum Cæſ. M^tis in cerâ rubrâ.

SVMMA PRIVILEGII REGII.

PHILIPPVS Dei gratia Hiſpaniarum, &c. Rex Catholicus, diplomate ſuo ſanxit, nequis, Iuſti Lipſij Hiſtoriarum in alma Vniuerſitate Louanienſi Profeſſoris, & item Hiſtoriographi ſui libros quoſcunque, à Cenſoribus legitimis approbatos, præter ipſius, heredúmve eius, voluntatem, intra triginta annos à prima ſingulorum librorum editione computandos imprimat, aut alibi terrarum impreſſos, in has inferioris Germaniæ ditiones importet, venaléſve habeat. Qui ſecus faxit, præter librorum confiſcationem triginta marcharum auri puri illatione mulctabitur. Vti latiùs patet in litteris, datis Bruxellæ XIV. Febr. M. D. XCVII.

Signat.

Verreycken.

Tibi JOANNES MORETE, *pro amicitiâ quæ mihi cum Plantino (heu, quondam meo) & Plantinianis eſt ac fuit, tibi, inquam, permitto, vti hunc meum de* DIVA VIRGINE HALLENSI *libellum typis tuis excudas ac diuulges. Nequis alibi alius præter te, cupio ſiue iubeo, ex lege quam magnus Cæſar & Rex meus dixerunt.*

Iuſtus Lipſius.

ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
APVD IOANNEM MORETVM.
M. DC. V.


LABORE ET CONSTAN


IVSTI LIPSI

DIVA SICHEMIENSIS

ſiue

ASPRICOLLIS:

Noua eius BENEFICIA & ADMIRANDA.



ANTVERPIÆ,

EX OFFICINA PLANTINIANA,

Apud Ioannem Moretum.

cIↃ. IↃC. VI.

Cum Priuilegiis Cæſareo & duorum Regum.

Sereniſſimæ

ISABELLAE,

CLARÆ, EVGENIÆ,

INFANTI HISPANIARVM,

Principi & Dominæ noſtræ.

DIVAM VIRGINEM Sichemienſem ad te DOMINA noſtra adfero: tuam illam, animo ſemper cultam, corpore & oculis etiã aditam atque vſurpatam. Pietas tua cui non innotuit? quam velut hereditariam virtutem vindicas, ab auis pro-

auiſque tranſmiſſam, & vel ab ISABELLA illâ (cuius nomen feliciter refers) FERDINANDI coniuge aſſumptam. O magnam reginarum! & cùm aliis laudibus, tum hac duplici eximiam, Modeſtiæ, & Pietatis, quæ vtraque in te effulget. Quid autem Principibus dignius, aut decentius? Proximi à Deo ſunt, & vicem atque imaginem eius in terris repræſentant: ergo & colere ac venerari magis par eſt, quò propiùs & norunt ſupremum illud Bonum, & ſenſerunt. Tu facis. & quamquam inter turbas tumultúſque bellicos, verſa ad Deum, verſa ad Diuam, votis precibúſque in hoſtem, vt PRINCEPS maritus conſiliis & armis, pugnas. Et expugnabis ô SERENISSIMA, confide: & miſerator ille Deus iamnunc ſigna mittere cœpit placati ſui in Belgas

gas animi, aut certè placandi. Quò Miracula hæc noua pij prudentéſque interpretes trahunt, & benignitatem Numinis ſic palàm & ſubitò oſtenſam, velut auroram eſſe Solis illius concordiæ & pacis mox ſecuturæ. O fiat, & exorere! & nobis bonos hos Principes habere & frui fas ſit, in tranquillitate temporum; atque ipſos Belgicam ſuam videre, qualis olim fuit, ab omni externo decore formoſam & florentem. Iterùm, FIAT. Louanij, xv. Kalend. Maijas. anno Chriſtiano ∞. IↃC. V.

AD LECTOREM.

HALLENSEM DIVAM *cùm nuper dedi; meritò iungetur hæc altera, ad quam non ſolùm viri magni & religionis noſtræ Antiſtites, ſed ipſe meus animus, vocarunt. Silerem ſic in propinquo, & tantâ omnium admiratione, bonorum etiam exſultatione, geſta? Diffundantur, & eant in ſæcula: & Diuæ noua gloria, Miraculis fides adſtruatur. Quid enim de hominibus dicam, ſiquis non abnuit, ſed ambigit, in tam illuſtribus? nec homines eſſe; aut certè ſponte oculos claudere, ne Solem hunc admittant tam claræ veritatis. Sunt enim in ſenſibus noſtris pleraque geſta: quid etiam? ne fraus & fucus imponant, publico mandato* $\textit{Ill}^{mi}$ *Mechlinienſis Antiſtitis explorata & inquiſita, à* $\textit{Reu}^{mo}$ *Antuerpienſi Epiſcopo,* Ioanne Miræo: *qui & ſcripto ea, cum fide & induſtriâ, digeſſit & conſignauit. Ab illo hauſi: itemq́; à viro docto, prudenti, pio,* Philippo Numanno, *qui ipſe etiam linguâ noſtrâ Belgicâ diuulgauit. Lege igitur, & crede. Ac ſunt pleraque omnia iſta vera & mera* Beneficia, *in ſalute hominum curandâ: corporis quidem, ſed & per eam animi, ad diuinum cultum ſic excitandi. Varietatem ideò tantam non habent: neque ſtilus noſter colores, vt ſic dicam,*

cam,

cam, aut ornatum. Quid etiam opus eſt? pluribus ſcripta, plures legant & intellegant: & alibi deceat, doctum aut diſertum eſſe. Non philologi, ſed philothei huc vocantur: aut etiam illi, ſed vt ſint iſti. Verſiculos interim miſcui, quaſi paritatis illius condimentum: & ſi boni ſunt, pellant oblectatione faſtidium; ſi alij, diſcutiant riſu. Sed meo animo, Lector, nihil horum valdè obſerues: ſenſum intende, & finem apprehende, qui eſt pium bonumq́ eſſe. DIVÆ *etiam nouam gloriam attende: & quàm ex vero vaticinata ſit,* Beatam me dicent omnes generationes. *Omnes, & ex æuo in æuum ſic erit.*

IN-

INDEX CAPITVM.

Aliquid pro fide Miraculorum:& decorum huius ſcriptionis. Cap.I. pag. 1
Fructus huius ſcriptionis : & miracula ad Deum communiter, mox propriè ad verum illum ducere. Caput II. 3
Ad rem ipſam. & obiter de Sichemio, & Colle, & Imagine, & Paſtore. Cap.III. 6
Febrium ibi curatio. Imaginis abolitio, & alîus ſubſtitutio. Aliquid de quercu. Cap.IIII. 9
Sanguinis ſudor in ſtatuâ. Cap.V. 11
Puella claudicans correcta. Cap.VI. 13
Mulier oculis grauiter affecta, ſtatim ſanata. Cap. VII. 14
Paralyſis & languor corporis ſublati. Cap. VIII. 15
Simile in apoplexiâ, & cæcitate. Cap. IX. 17
Quidam ob dicteria punitus. Cap.X. ibidem.
Rabies, cæcitas, tumor ſimul curata. Cap. XI. 18
Antiſtita quædam ab Ictero liberata, itemque Anginâ. Cap.XII. 19
Quidam in aſthmate & claudicatione ſanatus. Cap.XIII. 21
Apoplectica in pede & manu reſtituitur. Cap.XIIII. 22
Claudus & paralyticus erigitur. Cap. XV. 23
Hernia, claudicatio, ventris tumor ſublata. Cap. XVI. 24
Louanij ſtrumoſa, & vlceroſa mirificè puella, ſanatur. Cap.XVII. 25
Fœdum vlcus, & cancri facie, in ſene curatum. Cap.XVIII. 27
Gibberus tumor in virgine æquatus. Cap.XIX. 28
Epilepſia frequens & vetus curata. Cap.XX. 29
Elephantiacus mundatur. Cap.XXI. 30
Hernioſi atque hernioſæ plures ſolidatæ. Cap.XXII. 31
Pectus graui caſu ſaucium curatur. Cap.XXIII. 33
Claudus & vlceroſus perſanatur. Caput XXIIII. 34
Vulgi Scorbutus tollitur. Cap.XXV. 35
Celebritas loci, concurſus, & noſtra inuiſio precesque. Cap. XXVI. 36
Sacer morbus vetus ſublatus. Cap.XXVII. 37
Aſthma & Apoplexia ſimul pulſa. Cap.XXVIII. ibidem.
Femur fœdè vlceroſum ſaneſcit. Caput XXIX. 38
Veneficio affecta, & pænè confecta mulier, ſanitatem recipit. Cap.XXX. 39
Religioſa virgo ab congenitâ claudicatione reſtituta. Cap.XXXI. 44
Prolapſus vteri ſubitò repoſitus, firmatusque. Cap.XXXII. 47
Cephalalgia continua, & permoleſta, ſublata. Cap.XXXIII. 48
Vehemens paralyſis curata. Cap. XXXIIII. 49
A duro & diro Cancro virgo religioſa curata. Cap.XXXV. 51
Languor varius mixtusque curatus. Cap.XXXVI. 53
Apoplexia & Spaſmus fugantur. Caput XXXVII. 54
Mirus, nec ſine genio fortaſſe morbus, tollitur. Cap.XXXVIII. 55
Auditus ſurdæ redditus. Cap.XXXIX. 58
Clauda in greſſum erigitur. Cap.XL. 59
Puella malis geniis inſeſſa, & diu poſſeſſa, vindicatur & ſibi redditur. Cap.XLI. 60
Cæcus ab vtroque oculo illuminatur. Cap.XLII. 62
Herpes exedens ſiſtitur, fugaturque. Cap.XLIII. 63
Vulnus incurabile cutatum. Cap.XLIIII. 64
Fœda facies membrorum correcta, & congenita reductio laxata. Cap.XLV. 65
Finis, & pro patriâ preces.

I. LI-

I. LIPSI DIVA VIRGO ASPRICOLLIS.

CAPVT I.

Aliquid pro fide Miraculorum: & decorum huius ſcriptionis.

EN, coronam hanc alteram ad te, DIVA, adfero, è floribus tuis plexam, è vicino horto tuo decerptam. Et recenter decerptam: vt etiamnunc ſenſus ſuauitate, animos admiratione afficiat atque adflet. Vbi eſtis, qui paullò vetuſtiora eleuatis, aut illuditis? ecce noua nouitia: ecce in oculis atque auribus omnium noſtrûm geſta: ecce concurſu, plauſu, fructu gentium celebrata. Quæ fides poteſt eſſe in rebus humanis, ſi hæc non eſt? Quamquam iſtaipſa, attendite, fidem vetuſtioribus etiam illis, vel ab exemplo, ſtruunt. Si enim nunc facta, & videmus: cur nuper & olim abnuam fuiſſe? Idem ille Deus eſt qui patrat, eadem illa MATER-VIRGO, per quam patrat, & quam honore hoc honeſtat, & attollit. Imprudens non

dicam religionis,ſed numinis eſt,qui abijcit diffidentiâ,aut negat. Omni æuo fuêre,pleriſque omnibus locis : & erunt in æuum, etſi parciùs, denſiùs,vt diuinæ Prouidentiæ viſum. Ideò piè & vtiliter hæc ſcribi,& prodi poſteris arbitror : vtinam maiores noſtri induſtriè & intentè ſemper feciſſent! Annales condimus,& facta aut facinora hominum, imò & ſcelera propagamus : & non magis Dei Diuorumq́ue opera decet, & iuuat? Decet : & de me, animum, manum, ſtilum illuc dabo, & verſu libet teſtari.

O Heliconij
Numina collis,
Quondam culta,
Ite, valete.
Ego demuto, &
Transfero caſtra
Ad COLLEM *alium*
ASPERVM, ACVTVM.
Grauiora ætas
Grauior ſuadet.
En ego metam
Iamnunc video,
Palmam adſpiro
Illam cælicam,
Permanſuram.
Cetera lapſa,
Aut lapſura,
Fluminis inſtar.
Vndam trudit
Veniens vnda:
Atque diem dies,
Horam ipſa hora.
Has inter fugas,
Quid molimur
Vani vana?
Me cùm video,
Quid facti habeo
Tot iam luſtris?
Legi publicè,
Scripſi publicè,
Quo fine, aut bono?
Famam peperi,
Hoc eſt, fumum,
Hoc eſt, vmbram,

Aut

Aut, vt verius,
Vmbræ ipſam vmbram.
Sapio, fugio,
Ad quod aſylum?
O DIVA, *tuum.*
Tu reparatrix
Miſeræ ſortis
Primorum hominum,
Cælo pulſos
Iterùm cælo
Aſſeruiſti.
Et nos aſſere,
Suſcipe, dirige.
In laudes tuas
Linguam ſoluimus,
Et ſoluemus,
Dum lingua hæc erit,
Dum vita hæc erit,
Donec ea vtraque
Fati lege
Diſſoluentur.

CAP. II.

Fructus huius ſcriptionis. & Miracula ad Deum communiter, mox propriè ad verum illum ducere.

DECET igitur ea ſcribere, ſed & iuuat. An non iuuet, vbi tam palàm fructus, & tam magnus eſt? Et fructus quidem non vnus. Ille primò, quòd Miracula communiter religionem in animis excitant, & Deum credere, Deum colere, ſuadent & inducunt. Quis eſt tam alienus à pietate, qui vbi rem euentumque nouum, à naturâ, à ratione diſſonum videt, non moueatur animo & intimis præcordijs, & velut ictu quodam admirationis percuti ſe fateatur? Itaque clauſos vel conniuentes aperit oculos, ad alta tollit, & Numen aliquod in his agnoſcit, cui vni cauſſam

delegat. Inde ad venerationem componitur, ad fidem diſponitur: & hic eſt primus ille, & communis, fructus Miraculorum. Alter magis diſtinctus, quòd ad veram religionem ducunt, ſiue potiùs trahunt. Fit enim diuinâ benignitate, & arcanâ Prouidentiâ, vt vera Miracula nuſquam & numquam, niſi in verâ fide, & à fidelibus patrentur: ne falſa quidem ſæpè apud alios, & certè non ſic conſpicua & inſignita. De *Veſpaſiano, Hadriano*, talibus, quædam leguntur, fronte & facie Miraculorum: ſed inſpecta dignoſcuntur, & vanitas aut ſimulatio adparent: & quod dixi, raro eaipſa edita, ne ſi Magos quidem omnes adiungas, vel milleſimâ pro noſtris parte. Ergo vbi ea video, & tam certa & crebra video: quid, niſi fauorem & inclinationem Numinis agnoſco? quid etiam, niſi velut tubam & claſſicum audio, quod ad talem fidem & cœtum appellat? Benè Auguſtinus: *Catholicæ Eccleſiæ auctoritatem Miraculis eſſe* INCOHATAM, *Vetuſtate* FIRMATAM. Vtrumq; agnoſco, & initia, Miraculis eguerũt; & progreſſio, qui auctoritate ſe defendit. Sed & in ipsâ Vetuſtate, Miracula vſum habẽt. Sicut pueris lac neceſſarium eſt ad alimẽtum, viris etiam vtile & iuuat: ſic tirones aut errones in fide Miraculis nutriuntur, viri & robuſti etiã oblectantur. Itaq; idem Deus, etſi Chriſtianis, tamen extraneis à Catholicâ, hoc donum non indulget: teſſerã & ſignum

Contra Epiſt. Manich. cap. IIII.

gnum veri ſui cultus ſeruat. Auguſtinus: *Culmen auctoritatis obtinuiſſe Eccleſiam Catholicam, hæreticis* MIRACVLORVM MAIESTATE *damnatis*. Ita verò, maieſtate & ſplendore illo damnatis. An nõ maieſtas eſt, diuina illa opera edere? cæcis lumen, claudis greſſum, ęgris ſalutem, mortuis vitã reddere? Noſtri faciunt: & imperium in ipſos dæmones etiam exercent. Hæc cùm vident, qui in beato cœtu iſto ſunt, iure firmantur, & diſputationum omnes nebulas factorum Sole diſpellunt. Clamant cum pio ſcriptore: *Domine, ſi error eſt, à te decepti ſumus. nam iſta in nobis tantis ſignis & prodigijs confirmata ſunt, & talibus, quæ non niſi per te fieri poſſunt*. Et agnoſcas ſanè hîc diuinam bonitatem. qui non contentus libris ſacris & concionibus ducere & docere, hæc etiam Miracula ſuperiore & noſtro æuo adiungit, ſuis firmandis, aliis formandis. Nec vno ea loco, aut tempore: ſpargit & variat, vt plures certò cognoſcant, nec aurium ſolùm, ſed oculorũ ſenſu hauriãtur. Quid in noſtrâ Belgicâ, factionibus iſtis ciuilibus, & ſacris, nónne paſſim ea edidit: & iam recenter edit, in viciniâ hac noſtrâ, limite à partibus infeſto? Edit, & triũphamus ac plaudimus: & ſunt ea ipſa, quę ſtilo eo vulgatũ.

De vtil. cred cap. XVII.

Richard. de S. Victore. De Trinitate lib. I. cap. 2.

Perge calame, perge, pange Virginis Miracula,
Quæ Sichemienſi in agro, tractu COLLIS ASPERI
Euenêre, itemq́; eueniunt, arbitris his ſenſibus.
Nos videmus, nos audimus: quis profeſtus abnuet?

Niſi profeſſus Scepticā ipſam, & hæreſim Pyrrhoniam.
Perge calame, perge laudes Virginis diffundere,
Illius, quæ peperit orbi Seruatorem gentium,
Illius, quæ pergit orbi dare, donare, munera.
Sanat ægros animi, ſanat ægros etiam corporis.
Quàm benigna in his volenſq;, quàm potēs & efficax,
Vis videre? videſis noſtra, ſed mentem affer & fidem.
Illam pronam, & iſtam promptam: fruſtrà alioqui iſtæc legas.

*Miracula diuina conſideranda ſunt, & non diſcutienda. Gregor.

**In diuina non inquire, crede, qui fructum petis.*

CAP. III.

Ad rem ipſam. & obiter de Sichemio, & Colle, & Imagine, & Paſtore.

SICHEMIVM autem opidulum, ad Demeram fluuium ſitum, inter exigua, ſed vetera Brabantiæ habetur. Annales noſtri in æuo paullò magis remoto deficiunt, & tenebræ igitur habent: quas ſagacia ingenia coniecturis interim illuſtrant. Sanè *Sichemium*, quaſi *Aegrorum domus* dicta videtur, quia fortè ibi Valetudinarium, *Sick-heim*: an meliori nomine *Sig-heim*, id eſt Victoriæ domus? Faciat, quòd propinquum opidum *Dieſt-hemium* dictum: quid niſi Martis & belli ſedes? quiáne ibi caſtra, an ipſe ille bellicus Deus olim cultus? *Dieſtum*, aut *Dienſtum* certè eum vocauimus: & dies ab eius nomine etiam-

nunc

nunc adfirmat. Quid, quòd finitimum opidum *Areſcotum* (ita vetuſtiores dicunt) notas item Romani huius æui & ritus præfert? Eſt enim *Aquilæ repoſitorium*, aut *ſedes*. Sed vtcumque iſta, Sichemium vetus opidum, & quinto milliari à Louanio noſtro, vno circiter à *Dieſthemio* abiunctum. Paret & proprium eſt, cum finitimis, Naſſouiæ genti: & in eâ tutelâ *diu floruit, donec nuper & ciuilibus his bellis, non florem ſolùm, ſed vitam pænè amiſit. Captum, receptum; præſidijs aut prædonibus inſeſſum; ignes etiam paſſum; ad eam infrequentiam deductum eſt, vt paucos ciues habeat, relictos velut in ſemen. Sed in eius opidi finibus, medio illinc milliari, COLLIS exſurgit, leni faſtigio: quem ACVTVM vulgò dicunt, non quia in verticem talem aut conum deſinat (imò æquabili ferè planicie eſt, & ſatis latâ:) ſed quia idiotiſmo ruſtico & metaphorâ, terram ſcabram, aridam, horridam, *Acutam* etiam dicunt: quam Latinè *Aſperam*, verè & pro ingenio loci reddas. Ita enim eſt. exſuccum, macrum, amarum ibi ſolum, frugum & pænè herbæ vacuum, arbuſtis quàm arboribus gaudet. In eius parte verruca ſiue colliculus fuit, & in eo quercus: & in hac DIVÆ VIRGINIS adfixa icuncula: quæ culta accolis à tali initio fertur. Aiunt ante annos centum (& conſtans ita fama habet) fuiſſe paſtorem, qui oues in eo tractu paſceret: atque

*Ab anno circiter ∞.cccc. l.

queis repertam, neſcio quo caſu, humi imaginem ſuſtulit, in ſinum condidit, certus eam domum ſecum auferre. Parua enim erat,& priuato cultui videbatur opportuna. Sed dum agitat, ecce membra eius omnia ſtupere,pedes vtique non mouere, & quaſi frutex aut ſtipes ibi ſtare. Ipſe mirari,& animo quoque ſtupere,nec ad cauſſam adſurgere: herus autem villicus abſens, requirere paſtorem ſuum & gregem. nam hora iam reditui lapſa, & Sole remoto nox propinquabat. Itaque infortunij anxius, eò accurrit: & repperit defixum ſtantem, & quæ geſta ſimpliciter narrantem. At ille mentis melior, imaginem ſtatim recipit, & timidâ religione in veteri ſuâ ſede & quercu reponit. Eoque facto, paſtor velut vinculis liberatur: & venerati vterque Numen domum abeunt, rem denarrant,& viciniam totam religionis implent.

Beate paſtor, cui ſacratam imaginem
Datum inuenire, & tangere.
Beata vita ruſtica, ô vita innocens,
Amica ſemper Numini!
Te ſolitudo, & à malis ſecretio,
Cæleſtium iungit choris.
Hæc vita quondam, ab orbe condito, fuit
Primigenijs parentibus.
Cum rure quiſque, & ſiluulis lætus ſuis,
Et coniuge atque liberis,

Luxum

Luxum affluentem, & improbum cupidinem,
Neſciret, aut contemneret.
Non fora ſtrepebant litibus, non claßibus
Infida feruebant freta.
Non purpuræ, aut argento honos: ſed præmium
Pretiumq́ erat virtutibus.
Hæc vita redeat, mihi ſit hæc voto, ô Dea!
Vt numen atque te colam,
Expers ab aliâ curâ. & in libris ſacris
Aut cogitationibus,
Quod temporis erit relliqui, fallam & teram:
Dum Parca me fallens mea
Obrepat, atque abducat ad cæleſtium,
Præeunte Diuâ te, choros.

CAP. IIII.

Febrium ibi curatio. Imaginis abolitio, & alius ſubſtitutio. Aliquid de quercu.

AB hoc deinde Miraculo, in famâ iam multâ & cultu imago fuit: & auxit, quòd morbis, & præſertim febri, ſollennis ac pænè certa ibi medicina. Confluebant vndique *Sichemio, Dieſthemio, Areſchoto,* locis finitimis, ciues, pagani, milites, & ſalutarem illìc opem poſcebant, & ferebant. Hoc qui viuunt boni ſenes, aut nuper vixerunt, ex fide teſtati ſunt: & liquet communi ſuffragio, ante hos viginti annos ſic fuiſſe. Itaque

locus frequens & celeber, vt dixi. ſed enim euênit, & candidè fatendum eſt, vt dicta imago illa ſiue ſtatua perierit; incertum quâ vi, aut caſu, niſi quòd ſuſpicio prædones culpat, in ijs luſtris aſſiduos per hæc bella, non ſolùm crebros. Ea amiſſio incidit circa annum ∞. IↃ. LXXX. vt aiunt: & conſpici ibi DIVA deſijt, ſed non coli. Veniebant enim nihilo ſegniùs ad locum loculumque vacuum: & opem ac ſolatium etiam inueniebant. Quis miretur, aut culpet? Perſæ, regis ſui ſellam venerati ſunt, quia maieſtas illa inſediſſet, & attactu velut ſacraſſet: cur non liceat pijs loca Numini electa, & conſecrata? Nec tamen quercum illam (nemo cenſeat) ob ipſam, ſed in eâ ſtatuam, in ſtatuâ Diuam; in hac Deum venerati ſunt, & adorarunt. Nec in ſtatuâ ſanè propriè vis aut virtus: quod res hîc docuit eâ amiſsâ, & mox mutatâ. Nam poſt annos ſeptem, id eſt anno ∞. IↃ. LXXXVI. religioſus quidam ſenior & Senator Sichemienſis, conſpectâ affluentium multitudine & ardore, qui inter ſicarios & tela prædonum, non abſiſtebant locum hunc petere; ſuffecit imaginem arculæ ligneæ impoſitam, & quercui ibidem affixit. Manſit, donec anno ∞. IↃCII. maiore in dies concurſu, *Godefridus* Paſtor Sichemienſis, venerationi augendæ, detractam arbore, in ſacello modico, quod è tabulis iuxtà ſtruxerat, ritè & piè collocauit. Sed enimuerò, cùm

cùm id anguſtum turbis(ita loquendum eſt,& ſine numero iam concurrebant) eſſet: ſacellum è lapide ſecto incohatum abſolutumque eſt, & DIVÆ dicatum ſacratumque ab Illmo & Reumo *Matthiâ Houio*, Mechlinienſi Archiepiſcopo, tanto hominum,è diſſitis etiam locis, conuentu, vt id quoque inter Miranda,ſi non Miracula,cenſeri mereatur. Hoc factum anno iſto ∞. IↃC. IIII. Idibus Iunijs, die qui SS. Trinitati eſt ſacer: & ex eo,ipſa illa imagũcula ibi perſeuerat. At quercus paullò antè, conſilio & decreto, à ſtirpe exciſa eſt: idque vel ideò, quòd trunco variè ſciſſo & imminuto,cùm fragmenta & aſſulas quiſque ſibi peteret,caſum iam minabatur. Exciſa itaque, & Sichemium, quod eius ſuperfuit tranſlatum. Vnde quidam,& icunculas ſibi fecêre, & piè colunt: alij fruſtulis in potu vſi, & conſtat quòd cùm morborum medelâ.

CAP. V.

Sanguinis ſudor in Statuâ.

AT iam ad ipſa Miracula veniamus: quæ pullulare, vt ſic dicam, & magnis auctibus augeſcere cœperunt, poſt Paſcha ſtatim anni ſuperioris,*milleſimi ſexcenteſimi tertij*. Etſi iamantè plurima: vnde enim locus aliter in tanto cultu, & confluxu? ſed parùm obſeruata,aut quidem con-

ſignata ſunt: & certum nobis, nihil niſi certum dare. Primum igitur quod memorem, eſt in ipsâ ſtatuâ: quam ſanguinem ſtillaſſe, anno iam dicto, plurium oculis eſt vſurpatum. Venerant Sichemium è magiſtratibus pagorum adiacentium, negotij publici cauſsâ: eoque peracto domum quiſque redituri, ad ſacrum tamen locum, religionis & orationis ergô, diuertunt. Quinque erant: atque ij dum corpore flexo orant, vnus intentior in Diuam, guttam ſanguinis, floridè purpurantem, in labro eius videt. Hæret, ambigit, accedit: & audet manu tangere, & digitis primoribus abſtergere. Attonitus, oſtendit proximis, pariter mirantibus: atque ecce alia eodem loci gutta ſe oſtendit, & ab alio detergetur. Fit tertiùm, fit quartùm: quam primus ille (*Waltherus Vuckelenus* nomen) candido linteo exceptam, omnibus exhibuit, veri ſanguinis colore & facie: manſitque & in poſterum diem, denarij nummi modulo diffuſſa, ſed dilutiùs rubens. Circumſpicere ijs cura fuit ſacelli tectum, & num perplueret: ne quis humor fortè delapſus fefelliſſet. nihil fuit: ne ipſa quidem ſtatua colore vllo nouo tincta iampridem. ſed quidquid, & quaquâ cauſsâ hoc fuit, vi cæleſti ex arido ligno ſtillauit.

Quid ſigni tamen hoc fuiſſe dicam?
An ſudas, Dea, ſanguinem hoc in æuo,
Quo ſanguis malè funditur: dolorem

Et

Et ſic exprimis? an magis cruenta
Siſtes bella, tuiſq; gutta labris
Vt deterſa fuit, ſic & madenti
Huic fiet patriæ? ô benigna, fiat:
Et iuua precibus, Deumq; placa.

CAP. VI.

Puella claudicans correcta.

HOc in ſtatuâ miraculum, nunc ab ipsâ, aut ad ipſam. Areſchoti erat *Maria Leukena, Franciſci & Catharinæ filia*, decem admodum annos nata. Contractio huic in tibiâ & pede facta eſt dextro, & vel tres digitos minuit ab altero. Minuit etiam craſſitie, cœpitque marceſſere & tabêre. Tres annos ita fuit, difficili aut nullo inceſſu: nec medicina ſubuênit. Mater excita miraculis, ad Diuam eam ducit, & in equo ventum ad *Demeram*, propinquum Colli flumen. Sed ibi ſalebræ, lamæ & vligines erant, infida equiti: & filia deſcendit. Pedibus conniſa, & identidem lapſabunda, ægrè quidem, tamen eò peruêuit. Funduntur preces, ſtatim malum mitius, & vigor tibiæ redditur, pedibusque ſuis domum ex facili redit. Ipſa mox tibia par & æqualis vndique concinnatur; craſſa, longa, vt ante noxam illam fuit. Verbo, nullum eius vltrà veſtigium. Aprili. ∞. IϽC. III.

Tale fac nobis, veneranda mater:

Claudimus greſſu inualidi, atque ſcambi,
Semitam virtutis inire lenti:
Fac properemus.
Corrige incuruos, vitiiſq; fractos:
Vt domum læti redeamus, illam
Quam colis cum prole tuâ, coleſq;
Omne per æuum.

CAP. VII.

Mulier oculis grauiter affecta, ſtatim ſanata.

Anno ∞. IↃC. II menſe Maio.

FVIT *Petronella Ridderia*, vxor *Lamberti Balduini*, boni & ſtrenui equitis, in bona ſelectáque alâ *Baronis Grobbendoncquij*, quæ Dieſthemij metationem ſuam tunc habebat. Hæc mulier ab oculis grauiter laborare cœpit, plures dies affligi, & velut vermium (ita loquebatur) eroſiones ſentire: donec cæca denique, prorſus & bonâ fide, eſt facta. Medici culpabant aſſiduos acrium humorum defluxus in eam partem: culpabant, non ſanabant. Iſta queri, lamentari, doloris & orbitatis illius impatiens eſſe. At enim mulierculæ aliæ miſerãtes, rogant & ſuggerunt, *Ecquid ad Diuam Aſpricollem vellet deduci? Multis ibi medelam adhibitam, & in manu Dei ac Diuæ eſſe, vt ipſi.* Statim aſſentit, fidem & fiduciam habet, & iam eſt in viâ. Appropinquat, ecce dolores minuunt, viſio redire incipit: nondum tamen tota. Illa alacris

cris pergere, & ad fontem primò, ſiue ſcaturiginem modicam ſub Sacello deduci. Ibi lauat aquâ oculos: venit deinde ad ipſum Sacellum, proſternitur, orat: quid verba facio? dicto citiùs viſum & ſanitatem recipit. gaudet, clamat, cum lętis lęta domum abit.

CAP. VIII.

Paralyſis & languor corporis ſublati.

C*Ampaniam*, tractum Brabantiæ dicimus, latum, vaſtum: ab opidis non ſic frequentem, pagis inſeſſum. Planities ferè & æquor eſt, ſed ſabuloſum, aut terrâ alibi fungosâ & paluſtri: ceterùm humano cultu & improbâ induſtriâ ſic emendatum, vt fruges fructuſque exuberent, etiam quæ accolis communicentur. Mirum dictu, & citra fidem videatur: ab annis iam triginta-ſeptem belli tempeſtas ferè ibi deſæuijt; nec frangere patientiam hominum, aut auertere à ſoli ſui affectu & cultu potuit. Omnia etiamnunc inter prædones, inter milites, inter exercitus diſcurſantes, rapientes, vaſtantes, omnia, inquam, florent, rident, pænè vt pace: iterùm dico, rem non niſi nobis credendam, ſenſuum fide. Sed in hac Campaniâ *Meerhoutium* pagus eſt, & in eo quid pro re noſtrâ euenerit, versâ oratione dicam. Anno ∞. IↃCIII. VII. Idus April.

Petrus erat, in Meerhoutio hoc, *Honsbergius*,
Honeſtiores inter, à cenſu, & loco:

Nam

*Scabinum.

Nam *Iudicem ſæpè,& Senatorem egerat.
Is luſtra vitæ dena iam decurrerat,
Sed virium & ſalutis integer ſatis.
Cùm ſubitus, ecce, languor inuadit; dehinc
Paralyſis inſecuta,& artuum ſtupor.
Non brachia,manus,genua,tibiæ,& pedes
Officia facere: viuus ipſe mortuus
Iamnunc videri, niſi quòd os vnum & caput
Vigeret,& moueret. ô ſortem malam!
Et aſperabat acer,aſſiduus,dolor,
Qui nec quietem nocte, nec die daret.
Ipsíne tantùm? imò & domeſticos ſimul
Habet inquietos,dum ferunt, dũ transferunt,
A ſede in hanc ſedem, à toro in alium torum.
Medici vocati, induſtriè facere omnia:
Sed irriti. artem pertinax vincit malum.
Dimittit ergo,& mittit aliò ſpes ſuas,
Auditque *Diuam* mira magna in *Aſpero*
Patrare *Colle:* adſpirat, & votum vouet,
Et vênit illuc,in die *Diuæ ſacro:
Venítne? reuoco, vectus in curru fuit.
Peruectus autem (turba populi ſic erat)
Attingere aut accedere aram non poteſt;
Sed,quod poteſt, ad illum Imaginem ferunt.
Piè oſculatur,corde & ore ſupplicat:
O Numen! ecce membra perfundi nouo
Vigore,& omnia ad ſuum vſum vergere.
Primùm ambulare cœpit, & fulcris tamen
Inniti;

* *Annunciationis ipſo feſto.*

Inniti; at iſtis ſcipio ſuccedere;
Et ſcipioni mox pedes ſoli. ambulat,
Viget, valétque plenè, & ad veterem modum.

Talem ſe domi & ſuis exhibuit: talem paullò pòſt in iſto ipſo *Colle*, vbi turbæ ſe oſtendit, & iterùm Diuæ gratias lubens meritò egit. VI. Id. Septemb.

CAP. IX.

Simile in Apoplexiâ, & cæcitate.

TALI etiam morbo (ſiue Apoplexia fuit) *Anna Verreyckia* ſuccubuit, in pago *Tiſtelio*, qui Sichemio eſt vicinus. Alius deinde oculorum acceſſit, & viſio planè deliquit. Quæ lamenta illius miſeræ? quæ mariti afflictio? nam ille hanc immobilem ferre, referre, ad lectum, focum, menſam, ſellam, opus habebat, & deſerere aliud pænè omne opus. Tres menſes ita perſeuerat: ad vicinam Diuam itur, & quàm promptè & certò auxiliarem! Vix vênit, precata eſt, impetrauit: & membra atque oculos, id eſt alteram vitã, recepit.

CAP. X.

Quidam ob dicteria punitus.

ATQVI & vindicem ſe, non beneficam ſolùm, eſt cùm oſtendit. *Dieſthemij* ciuis erat (nomen conſilio non prodimus) qui vxorem

ſuam aliasq́; fæminas illudebat identidem, vt fæminas; quæ ad hanc imagunculam aut pupam irent, & quæ ſolent iſti talium contemptores. Ad Diuam conuicia venerunt: ab eâ ſupplicium, an remedium dicam? nam vtrumque fuit, & hoc ab eo fluxit. Statim ille, ſine cauſſâ aliâ, claudus effectus, internis doloribus etiam adflictus, denique lecto adfixus. Quid ais homo? numen agnoſcis? Agnoſcit. ad Diuam ſe vertit, & ſeriò pœnitens pacem veniamq́ue, tum & ſanitatem apprecatur. Vouet ad *Collem* ire, & iuit. O benignitas! ſanitatem corporis ſtatim recipit: an non & animi? putamus.

Euenit, euenit hoc. audi impia turba, profanis
Quæ ſalibus gaudes diuina illudere facta.
Eſt Numen, quod cuncta oculis hæc arbitratur:
Eſt quoque, cùm punit. ſi non; in tempore fiet,
Credite, cùm fuerint vitaï lumina adempta.

CAP. XI.

Tabes, cæcitas, tumor, ſimul curata.

ALIVD, ſed eodem opido. *Ioanna* ibi *Maſia* vidua, ex marito *Ludouico Caſtelio* infantem vnius anni habebat, ſolatium & delicium, ſed quod vertit in pœnam. Nam ille morbo trimeſtri affligi, tabeſcere, & oſſa ac pellis totus eſſe. Præterea, & dextrum oculum amiſit, & inter cæculos

culos iam cenſeri. Aliud? aliud. tertium malum tumor in gutture, quem ἀνάδευσμὸν, ab illapſu prauæ materiæ, Græci vocant. Et puer pænè, & mater, confecti: quid remedij? humana experta erat; talum à ſacrâ lineâ, vt ſic dicam, mouet, & ad Diuam noſtram venit. Ter inuiſere & venerari eam, ſexto quoque die (Veneris dicimus) vouet: & incipit. Ac primâ viſione, puerum in ipſâ arâ cùm depoſuiſſet, ad ſe recipit, iam mitiorem & meliorem: atque adeò in brachijs eius (olim non factum) ſuauiter indormientem. Venit iterùm, iterumq́ue meliùs; tertiùm, & iam infans membris valetudinem, oculo lumen recipit, & pro vndique ſano deinde fuit.

CAP. XII.

Antiſtita quædam ab Ictero liberata, itemq́ Anginâ.

PAVLLò longiùs eo, quia iam fama & beneficia Diuæ longiùs diffuſa.

Eſt oppidum *Traiectum,* & eius finibus
Hochtum, ſacrata cœtui Veſtalium
Antiquitus ſedes. in hac Antiſtitæ
Munus gerebat, ſtirpe mulier nobili,
Franciſca Mombecana: & hanc morbus capit,
Quem *Regium* ſermo Latinus nuncupat,
Quòd regiè atque molliter curari amet:
Græci *Icterum*; quòd ſanet aſpectu hæc auis.

 Sed

Sed morbo eo laborat, & grauiter habet.
Medicus vocatur ipsâ ab vrbe Eburonum,
Artis vetus, famæque. vt ægram conſpicit;
Signa haud placere, & libero ore effarier,
Vitæ aut medelæ habere ſeſe ſpem leuem.
Præſcribit herbas tamen, & alia pharmaca,
Sed dicis atque moris ergo. Antiſtitam
Non fallit: abdicare ea hæc & ſpernere,
Et ſpes opeſque omnes in vnâ ponere
Diuâ Aſpricollę. vota ei ergo concipit,
Et quoniam obire ipſa impotens, vicem ſuam
*Cui nomen *Oda*. Fungi iubet *piam miniſtram virginem.
Venit, precatur: iam redibat, ſed priùs
Pauxilla fruſta de ſacrâ quercu impetrat,
Secumque lata porrigit ea Antiſtitæ.
Hoc pharmaco illa freta, mox in potibus
Cibiſque miſcet: ô bonam fiduciam!
Fugit ecce morbus, vnico hoc à pharmaco,
Et in diebus valuit illa pauculis.

De eâdem, aliud.

At fuit, vt etiam *Angina* pòſt inuaderet,
Minata fauces ſeriò intercludere:
Fit lingua nigra, & guttur. illicò vocant
Medicum, & Chirurgum: & iſte venã incidere
Linguâ ſub ipsâ, vt vſio hoc & ars habent.
Incidere, at non ſanguinem etiam educere.
Fit biſque terque; fruſtrà, nec vel guttula
Stillare. quid tunc ergo? medici muſſitant.

At

At iſta nuper tam potentem Diuæ opem
Experta, eò recurrit, vota nuncupat,
Iterumque mittit è miniſtris. illæ eunt
Redeuntque, & alma Sanitas vnà redit.

CAP. XIII.

Quidam in aſthmate & claudicatione ſanatus.

HVyum terræ Eburonum opidum (*Iuhones* Taciti fuiſſe arbitrantur) ciuem habet *Bertrandum*, fabrum ferrarium: qui ſæua correptus lumbagine, itemque ſuſpirio & aſthmate, ita virium vacuus eſt factus, vt ægrè primò opus facere, denique deſinere deberet: lecto etiam quinque circiter menſes affixus. Feſſus tam longi decubitus, pridie feſti Paſchatis tentat ſurgere; & ecce dum connititur, tibiam ſiniſtram videt toto pede breuiorem dextrâ eſſe. Miratur, angitur: fulcris incipit vti, eáque alis brachiorum ſupponit, & ſic lentè huc illuc ſe transfert. Aliquamdiu ſic fuit: audit de Diuâ Virgine, nouellíſque Miraculis: capitur ire, & in animo obfirmat. Quid facies æger, & claude, Vulcani fili? Animus, inquit, transferet: & quoniam opes ad currum non erant, pedibus ſuis, illiſque ligneis, dat ſe in iter, Iunio præcipitante. Dies ferè quinque in eo eſt, leucas decem ita conficit, & optatum collem venit: magno ſuo labore, & totius corporis fatiga-

tione. At ſpes & animus ſubleuant: & calidas mox preces ante aram edit: denique ſacellum ter, identidem orans, ambit. In ambitione alterâ, viſus adflari ſpiritu, aut aëre vehementiore: & cum eo calorem & vigorem membra artusq́ue penetrare. Denique tertiâ, ipſam tibiam ſiniſtram è contractione laxari, extendi, parem iam alteri factam. O lætitiam eius, ſed trepidam! & vix ſibi ſenſibusq́ue credere. Tamen res fidem facit: & fulcris abiectis, rectus ad aram & alacer ire, gratias agere, laudes prædicare. Fecit & poſteà, menſibus interiectis: atque ibidem videndum ſe exhibuit, ſanum & rectum.

CAP. XIIII.

Apoplectica in pede & manu reſtituitur.

CIRCA *Aquaſ-grani,* nobilem vrbem, & *Carolo* illi *Magno* olim in amoribus, habitauit in pago *Eſſelbekâ, Maria Iſertanda:* quæ diu in languore aut morbo, denique paullò melior, conatur in cellam ſubterraneam (vbi penu noſtri condunt) deſcendere: & in vltimo, ecce, gradu Apoplexia inuadit, abijcit; latere dehinc ſiniſtro affectam, itemq́ue pede & manu, ſic vt ſine motu aut vitâ eæ partes viderentur. Ipſa quidem manus in pugnum aſtricta, nec aperiri vi aut arte vllâ poterat. Decem ſeptimanas ita fuit. in quarum exitu,

itu, aures eius de *Colle Aſpero* ſermo pepulit, & ire inclinauit, & iuit. Vt vicina fuit, faſſa eſt ſentire velut pruritum in affectâ manu : & mirabatur, quia iamdiu adeò ſine ſenſu ea pars, vt nec ſtimulis aut punctionibus excitaretur. At tunc deinde, non ſenſum ſolùm, ſed veterem vſum recepit: & fidem ſpectantibus, eam aperuit, mouit, capiti admouit, atque adeò in proximo tuguriolo ſolutos capillos diſpoſuit ipſa ſibi, atque ornauit. Idem in reliquo corpore factum : ſana abijt, ſana perſeuerauit. xi. Kal. Iulias.

CAP. XV.

Claudus & paralyticus erigitur.

HEnricus *Caphenbergius*, è terrâ Limburgenſi, annos ipſos octo (tempus obſerua) claudus & ſine vſu pedum, reſolutione quâdam neruorum fuerat, vt vix etiam fulcris poſſet ire. Multa pater conſilia vel auxilia audiuerat, adhibuerat: fruſtrà, non remittebat malum. Fama accidit de noſtrâ Diuâ, & iter eò intendit : precibus effuſis ipſo *die *Viſitationis Virginis*, animo & corpore factus melior, domum iterùm cœpit reuerti. Sed dum *Aquaſ-grani* tranſit, & Diuam ibi tutelarem in ſuâ æde ſalutat, ita recreatus eſt, vt alterum è fulcris depoſuerit, vno contentus. In fine autem Iulij, noſtram Aſpricollem reuiſens, iterumque

* Poſtrid. Kal. Iul.

rumque

rumq́ue piè venerans, totam ſanitatem & greſſum recuperat, nullo adminiculo vltrà vſus, aut egens.

CAP. XVI.

Hernia, claudicatio, ventris tumor ſublata.

*Quaſi *propinquus murus*, noſtrâ linguâ.

N*Amurum* ad Moſam (cum ſcidis vetuſtioribus ita ſcribimus, & *originatio liquet) nobile opidum eſt, & in ſuburbanis agebat *Ioanna Caſia*, vxor *Guilielmi Boysij*: quę hernioſa vtrimque erat, iam à duodecim ferè annis. Ampliùs, cùm fœnum iumentis ſupernè deijceret, ipſa improuidè lapſa eſt, & tibiam ſibi dextram diffregit. Medicata eſt, ſed non vt vſum veterem reciperet: clauda manſit, & tibiâ item retractiore. Tertium, venter intumuit magno gibbo, & qui vel humanum caput exęquaret. Ita mulier variè afflicta, viribus & ſpe cadere, lecto decumbere, medicos admittere, dimittere nihil adiuuantes. Quin & ipſi eam deponere, & abdicare. Ad ſic adflictam, è vicinis mulier venit, & *Quin tu,* inquit, *magno illo remedio vteris, & Diuam inuocas Aſpricollem? me vide, feci in aſperrimo calculo, medicinam præſentem accepi.* Mouit fæminam, cui à cælo & bono Genio (& res erat) venire ea vox viſa. itaque auſcultat, & ſtatim corde atque ore votum vouet. Quid hîc dicam? rem effectu certiorem, quàm fide: tribus poſt horis, ab ipſo voto, inquam, mulier

lier plenè ſaneſcit. Hernia introcedit, & ſolidatur; ſtomachus detumeſcit; ipſa tibia vires ſumpſit, & de lecto ſurgens, ex facili, & ſine vllo innixu ambulauit. Hoc tantùm, tibia contractior etiam paullò manſit, palmari menſurâ circiter: ſed voto deinde ſoluto, eadem extendi cœpit, & pollex vix intereſſe inter vtramque. Iterùm, Quid ego dicam? ſtupeo. quid tu calumnia? vacat hîc omnis argutia, ſile.

CAP. XVII.

Louanij ſtrumoſa, & vlceroſa mirificè puella, ſanatur.

SED *ades, ades, Louanium, & tu claßicum*
Virginei honoris inſona mihi, & tubam.
Famæ ipſa ſedes, gloriæ domicilium,
Diffunde famam gloriamq́ Virginis.
Experta ſæpè numen eius es domi,
Experta nuper etiam Colle in Aſpero.
Quod tenui ego ore ediſſeram: tu ſpargere
Memento, & orbem implere nominis ſacri.

In hac vrbe *Gualterus Gillonius* agit, qui vitreas ex opificio cõcinnat, vir ſanè bonus, & mihi quoque, ab hac operâ, notus. Is filiam tredecennem habebat: quæ triennio antè infeſtari ſtrumis multiſque vlceribus cœpit, nec in vnâ corporis parte. Caput, brachia, manus, femora, tibię, pedes infici:

ſed caput maximè; atque ibi genæ, oculi, os ipſum, & aures obſideri, intumeſcere, ſic vt non palpebras diducere, vix labia aperire & ſpiritum emittere poſſet. Interim & diſrumpi alibi vlcera, & tætro odore adſtantes fugare. Anxius angor parentum, atque eius: & remedia doctè & ſolicitè adhibita, non iuuant. Tres, vt dixi, ſic annos affecta iacuit: verè iacuit, nam & ingredi inualida iam erat. Ecce audit de beneficâ iſtâ Diuâ: & parentes rogat, permittere illuc iter, & ſi commodum eſſet, comitari. Annuunt, & pater vir validus, *Vel humeris te meis filia,* inquit, *geſtabo.* Hoc illa per pietatem deprecari, & *Quinimò pedes pater ibo, & Diua conantem iuuabit.* Certè iuuit. iuerunt enim, & alij cum iis vicini, filiam miſerantes: quæ feſſa & languida, tardo gradu, ad votiuum tamen locum venit. Precantur ibi omnes calidè, domum redeunt, & in viâ puella animo alacrior eſſe, & corpore agilior, cantare etiam, quaſi veterum malorum ſana, aut certè oblita. Cænat domi, dormit: manè ignara matre ſurgit, ipſa ſe ornat & veſtit (diu non factũ:) deſcendit, & interulam linteam parentibus oſtendit mundam, & nullo pure attaminatam. Addit, dolorem omnem ſibi deterſum. Mirari parentes, & nondum credere. explorant linteam, inſpiciunt corpuſculum, vident omnia vlcera coïuiſſe, imò vix cicatrices aut veſtigia comparere. Tum ſeriò lęti, gra-

Poſtrid. Kal. Sextil.

tes

tes Diuæ acclamant: atque adeò mater eodem veſpere, certa ſanitatis, inter ſanos pueros eam in lecto deponit.

CAP. XVIII.

Fœdum vlcus, & cancri facie, in ſene curatum.

VICINVM Louanio, & milliari modico abiunctum, *Berthemium* pagus: vbi *Henricus Viſſcherius* agebat, vel & nũc agit, ſenior, & LXXVI. annos natus. In hac ætate, quæ ipſa morbus, occupat tibiæ vtriuſque inflatio & tumor, ita vt calceari vltrà non poſſet. Quid etiam? ab eo mox tumore, ſingula in ſingulis vlcera, quæ verè *Telephia* liceat appellare, fœda, immedicabilia, oris ſideratis, & carne exſensâ ac mortuâ: vt plerique *Cancrum* interpretarentur. Accedebat fœtor puris emanantis, mixto ſanguine, qui omnes fugabat: dolor etiam interior vehemens, & (vt ipſe dicebat) quaſi canes arroderent & lancinarent. Suadetur bonus ſenex ire ad *Collem Aſperum*: & audit. Sed non à ſuis ipſe auditur, qui hominem ſic affectum, & id ætatis, tardabant vehere: ne in viâ fortè deficeret, & in ipſo conatu moreretur. Viſum ergo, vt priùs peccata expiaret, ſacrum viaticum ſumeret: quod fecit, & in currum ita viamque ſe dedit. Ter, de conſilio alicuius pij viri, vouit ire: ac primo itu, remiſit ſe dolor & tumor; magis ſe-

cundo; poſt vicem tertiam, cùm domum rediſſet, animo malè factum eſt, & defectionem eius ſenſit, ſic vt domeſtici exitum exſpectarent. At ille cùm ad ſe rediſſet, clamare tibias ſibi meliùs habere: & ab eo die paullatim conſanuerunt, ſine humanâ vllâ operâ, atque ipſa caro morticina in viuam vigentemq; ſponte mutauit. Viuebat ante hos paucos dies, eâdem ſanitate, & cicatrices vlcerum oſtendebat, latas palmari modo.

Cap. XIX.

Gibberus tumor in virgine æquatus.

ITERVM noſtrum Louanium. in quo cùm alij cœtus Sacrarum virginum ſunt, tum frequens vnus in *Plateâ dimidiatâ*, quam vocant, in *Diuæ Vrſulæ* tutelâ. Ibi *Beatrix* quædam, inter Laïcas, (ſic appellant, & diſtinguunt) tumore affecta eſt infra humerum, & ad papillam dextram, parte inquam anteriore: atque ea ſpecies Gibbi videbatur. Deforme & moleſtum malum, maximè ſiquis admotâ manu premeret: tum enim acuto dolore, etiam ſanguinem per os reijciebat. Cauſſa, & medela mali, ignota: & ſeſquiannũ iam patiebatur. Ad Diuam denique itum: & cùm preces ibi fundit, ſentit diſtendi, & velut diſtrahi partes illas affectas: reuerſaq; Louanium, quieti ſe dat, & manè valens ſurgit, nullo veſtigio vltrà tumoris.

Cap.

Cap. XX.

Epilepſia frequens & vetus curata.

In terrâ *Iuliacenſi Matthias Packgenius*, ſeptem annos diuexatus aſſiduè ab Epilepſiæ non vno genere erat; & ſępiùs in die cadere, ſpumare, frendere, verberare, morſicare, cum magno aſtantium vel terrore, vel miſeratione, ſolebat. Hic quoque ad decantatum iam in ijs locis remedium properare, & ſiſtere ſe in *Aſpero Colle.* Decem dies manſit: & primis illis morbus nihil remiſit, aut intermiſit, ſed quinquies, ſexies vel vno die inuaſit. Credo, vt ille manifeſtior, & medicina item eſſet. Nam pridie *Aſſumptionis D. Virginis*, piè precatus ante arã ſtatuamque, immunem illum diem habuit: & mox palàm affirmauit, ſanum ſe & morbi ſolutum. Poſtero etiam die, ita viſentibus apparuit, quin & rubor vigorque in facie, quam pallor & luror anteà deformabant. Domum redijt, huc poſt menſes aliquot ſemel iterumque redijt, firmiter & bonâ fide ſanus.

Cap. XXI.

Elephantiacus mundatur.

In *Huyo* Eburonum opido, *Matthæus Croiſecius Reineri* filius, annum duodecimum agebat: & ſcabies aut vitiligo totum corpus eius infecit, quam *Elephantiam* eſſe (Græci λέπραν dicunt) arbitri & inſpectores iudicabant. Deteſtabile malum, & quod extra conſortium hominum ablegat: Europæ noſtræ, vt cenſent, primùm *Cn. Pompeij* tempore cognitum, & è Syriâ Iudæaque illatum. Pater dolere, & pudere: & quia recèns in *Colle* noſtro fuerat, ſtatim eò mentem & filium mittere: iubetque deduci. Venit, & circum Sacellum defertur: atque in ipsâ latione clamat, introrſus totum ſe æſtuare, & velut igne comburi. O ſalutaris ignis, qui malam illam luem abſumpſit! nam delatus deinde in tuguriolum, cœnauit, quieuit: & manè pleraque vlcerum & tuberculorum coïuerant, aut reſederant, & poſt biduum denique reliquiarum reliquiæ ſublatæ. Nihil in corpore, præter veſtigia, quæ dicerent malum fuiſſe. Ampliùs. Idem ille in ſcroto ipſo vtrimque diruptus & herniosus: eademque diuinâ ope perſanatus.

CAP. XXII.

Hernioſi atque hernioſæ plures ſolidatæ.

SED heus, quia ſæpè de *Ramice* aut tali eruptione: an non melius, tædij vitandi, in vnum ea faſcem conie&ta proponi? Videtur,& faciam: tu, Lector, nihilo ſequiùs miraberis ſingula, etſi iunctim videbis plura.

Ioannes Hagelius iuxta Tillæmontem habitabat, annum agens ſexageſimum quartum. Anno ſuperiore, cùm ſegetem meteret, menſe Auguſto, valido & continuo illo motu, comperit viſcera ſibi rupta, & mox prominere. In dolore iſto annum hæret; tum ad Diuam venit ipſo Natiuitatis eius feſto, & bis deinde iterat. Tertiâ vice, coaleſcunt viſcera, faſciam ponit, ibique ſuſpendit, ex eo liber. ∞.IↃCII. VI. Idus Septemb.

Daniel Smetius, Viluordiæ templi æditiuus, natus annos LXVII. hernioſus ante viginti factus erat. Acceſſit & morbus ventriculi, cum perpetuâ nauſeâ: & hydropem medici præſagiebant. Vxor miſerta viri, intendit ad *Collem* ire, & pro eo deprecari. ipsâ horâ veſpertinâ, quâ id facit, morbus nauſeæ hominem relinquit, edit, bibit vt ſanus. Eâ re motus Daniel, ipſe iter eò parat, & exſequitur: nam ab herniâ nondum erat liber. Venit, faſciam poſuit, neque vmquam reſumpſit: Menſe Septembri, ∞.IↃCIII.

hoc

hoc tantùm? imò & vires nouas ſumpſit, fa ſſus ante viginti annos vegetiorem ſe non fuiſſe.

Idem in *Franciſco Alarcone*, è familiâ Principum noſtrorum: qui dum equum tractat ferociorem, hernia prorupit, tulitque tres annos & dimidium. Ad Collem venit, hernia ab eo abit.

Idem in illuſtri viro *Balthazare Roſſemio*, qui Tribunus legioni Germanicæ præfuit. Et is Lucemburgi cùm ageret, diſruptus eſt, & poſt ſex annos, ſolâ inuiſione Diuæ, plenè curatus.

In Septembri, ∞. IↃC. III.

Idem in *Joanne Montadio*, ex interiore Galliâ, Angoliſmo vrbe. Qui annos natus nonaginta, ſed crudâ adhuc ſenectute, militabat in legione Comitis Buckoij, caſtris Oſtendanis. Fuit vt pila ferrea, tormento ab hoſtibus emiſſa, palum ligneum raperet, & iuxta *Montadium* (qui vigilem tunc agebat) eum ferret. Ille à vi moti aëris, ſenſit concuti ſe, & mox rumpi, idque latere ſiniſtro: tantâ quidem procidentiâ, vt caput humanum tumor æquaret. Diſceſſit commeatu accepto, & Inſulis fortè erat: auditque de hac Diuâ. Vouet adire, fulcra ſua lignea capit, & iam eſt in viâ: ſentitque vires palàm ſibi augeri, & celeriùs ſolito ambulare. Iam peruênit, eſt ante aram, orat: inter orandum motus & dolor inherniâ, quaſi infans in vtero ſe agitaret. Dolor, dico, qui exclamare eum, etſi inuitum, coëgit. Accurrit, qui à Sacris ibi eſt, *Bartholomæus Tichonius*, alleuat hominem, inſpicit,

∞. IↃC. IIII. menſe Aprili.

cit,videtq́ue reducta viſcera & retracta. Sic manſêre: & ipſe lætus, fulcris ſuis, & Diuæ, valedicit.

Iam & in fęminis, *Chriſtina Schobekia,* Antuerpienſis,à primâ ętate hernioſa vtroque latere fuit, manſitq́ue annos octo. Mater denique Diuę eam ſiſtit, precatur,& in fontanâ aquâ ſubiecta Sacello lauat. Iterùm vtrumque facit: & cùm in diuerſorio eſſent, prandij cauſsâ, queritur filia faſciam ſe ſtringere, nec vltrà ferendæ eſſe. Bona mater manu illam capit, & miſerans ad Sacellum reducit. vix pedem intulerant, frangitur ſponte faſcia, & ad pedes puellæ cadit. Quid plura? ſana erat,& ipſo illo die ſex milliaria pedibus,ſine ſenſu vllo doloris, confecit.

Denique *Gudila Schinckia* Bruxellæ, *Martini Alardi,* noti Notarij vidua, cùm eſſet annos nata triginta duos,ſitellam aquę grandiorem attollens rupta eſt ſiniſtro latere, idq́ue cùm grauida puero etiam eſſet.Ita manſit triginta alteros duos annos: donec ad *Collem* hunc iuit, ibiq́ue ſanitatem recepit. ∞. IↃC. IIII. menſe Iunio.

CAP. XXIII.

Pectus graui caſu ſaucium curatur.

CORNELIUS, cognomen illi *Foxius,*
Dieſthemienſis incola,ad pagum adſitum
Rei ſuæ cauſsâ ibat: in viâ cadit
Præceps in arboris reciſæ ſtipitem,

E Illiq́ue

Illique pectus grauiter illidit ſuum.
Medici aduocati, interna læſa dicere,
Sed rebus haud mederi. ita ad *Collem* venit,
In fonte Colli ſubdito pectus lauat,
Vnáq; morbũ, eiúſq; ſenſum omnem, abluit.

CAP. XXIIII.

Claudus & vlceroſus perſanatur.

ET tale factum in *Leonardo Stocquæo,* qui iuxta *Huyum* habitabat: ſed cùm negotia eum miſiſſent Bruxellam noſtram verſus, in ſiluâ Sogniacenſi prædo hominem aggreſſus, multis vulneribus afficit, & pro confecto ibi relinquit. Delatus eſt in vrbem, ad publicum Noſocomium: ſanatur, exceptâ vnâ plagâ grandiore in tibiâ auersâ, ſub ipſo genu. quam cæſim ſicarius intulerat, & neruos omnes valido ictu abſciderat. Itaque eâ etiam apertâ (& chirurgi ſanare deſperabant) ſurgit, in patriam redit, ſed lignis ſubalaribus fultus & adiutus. At enim delapſu humorum in partem imbecillam, alia etiam vlcera aut foramina ſponte circum plagam nata: & magis ægreſcit cottidie ac debilitatur, donec Collem noſtrum vênit. Ibi nouem dies manſit, poſt preces in Sacello, ad fontem ſolitus deſcendere, atque ibi plagas lauare. Illo igitur ſpatio, omnes minores aut nouitiæ illæ coaluerunt; vetus & grandior, ipſo dierum fine.

Nam

Nam tum inſpexit, & vidit neruos palàm creuiſſe, & extenſos coïuiſſe, carne etiam & cute nouellâ inductâ. Tantùm veſtigium concaui vulneris apparebat, hiatu in quem pugnum liceret immittere. At cetera ſanus, & æqualiter vtraque tibiâ validus fuit. O vim diuinam! & quæ glaucoma oculis hîc poteſt obijci?

CAP. XXV.

Vulgi Scorbutus tollitur.

IAM non procul Dieſthemio, in pago Craſeno, mulier erat *Elizabetha Houia*, quam morbus cepit, veteribus haud certò notus: etſi quidam ϛομακάκην fuiſſe (Latinorum *Oſcedinem*) aut σκελοτύρβην arbitrentur. Et inuadit quidem os & tibias id malum, ſed & in alijs partibus ſe prodit: noſtri *Scorbutum* appellant. Atque eſt ferè vernaculus Friſijs, Batauis, Chaucis morbus: quique in maritimo tractu, ſiue diutiùs in mari agunt. Itaque & nautas ſæpè corripit, & vexat aut occidit. Sed pro re, tali iſto morbo conflictari dicta mulier viſa, & paſſim liuentes maculæ in corpore ſparſæ, grandes, vel ad Philippæi nummi modum. Valdè affligebatur, nec die quietem, nec nocte capiebat: idque ſemeſtre, totum eſt paſſa. Venit demum ad Diuam, ad ipſam ſanitas: & primò dolores ſenſit minui; & iterùm cùm redijt, & precata eſt, to-

tam ſanam valentemque, vt nec in omni vitâ magis, ſe eſt profeſſa.

CAP. XXVI.

Celebritas loci, concurſus, & noſtra inuiſio preceſq́;.

O CREBRA, ô aſſidua Miracula! & quis non excitetur? Iam fama meritò vicina & longinqua implebat, iam concurſus vndique, & tanta cottidie frequentia (ipſi vidimus) vt viæ pænè commeantibus anguſtæ eſſent. Sæpè in vno die quinque, ſex, millia notata: vis & quaſi-miraculum? in vno *Natiuitatis* eius feſto, ad viginti millia ſunt obſeruata. Quis, niſi Numen, in vnum locum ſic conduxit, & hunc Pietatis ſenſum infudit? Nos quoque, ſub id tempus, pars inuiſentium fuimus: & ad te Diua, animi magis quàm corporis cauſsâ, iuimus: tamen & pro iſto apprecati, ſi ſanari & vireſcere expediret. Preces eas & verſu poſteà concepi; quas corde itero, & pono.

Accedo, DIVA, *trepidus ad ſacrum locum,*
Quem tu colis colenda; quem notum facis
Notum per orbem, ab inclytis Miraculis,
Quæ magna, noua & inuſitata, iſtîc patras.
En, DIVA, *pronus aræ ego aduoluor tuæ,*
Tu ſupplicem audi. tabet hoc corpus mihi,
Simulq́; corpore ipſa mens: & hæc negat
Munus ſuum vicesq́;, & illud fungier.

Lan-

Languore langueo, marceo; ego ſum linea,
Vt vera dicam, vnius homo. tu ſubueni,
Aut ire iam mox Lipſio exſequias licet.
Sed ſubueni. rogamus hoc, per gaudia
Quæ nuncius cæleſtis attulit, ſacra
Cùm partioni te parentem deſtinat.
Rogamus hoc, & per doloris intimi
Senſus, vbi oculis ipſa conſpexti tuis
Cruentum in altâ filium fixum cruce.
Miſerere. VIRGO *mitis es; fac, quod ſoles.*
Miſerere. MATER *es Dei; fac, quod potes.*

CAP. XXVII.

Sacer morbus vetus ſublatus.

SED nos porrò excerpamus, vt cœpimus. *Aegidius Liebenus*, pago *Attenhouio*, annos LXX. natus, ab anno ætatis vigeſimo, morbo Herculaneo, ſiue caduco, laborarat: & inuadebat maximè feſtis diebus, aut diuino cultui deſtinatis. Remedium à Diuâ in loco flagitauit, impetrauit, liber rediit, & manſit. Septembri.

CAP. XXVIII.

Aſthma & Apoplexia ſimul pulſa.

FRanciſcus Elandius, Theologus, ſacerdos & paſtor parochiæ (*Curiam* liceat dicere: ſed receptis vtendum eſt) quam *Capellam* Bruxellæ dicimus,

cimus, diutino Hemorrhoïdum fluxu exhauſtus attenuatuſque eſt; tum & aſthmate cœpit diuexari, ac mirificè ſuſpirioſus eſſe. Eò denique deductus, vt medici reſtitui poſſe abnegarent: & iam ab aquâ intercute palàm metus eſſe, cùm pedes & tibiæ tumeſcerent,& quattuor ſic annos langueret. Balnea, fomenta, alia adhibita: ſed in peius ibat: & anno ipſo ſexageſimo tertio, apoplexiâ viſus corripi,& mens & memoria minuta, lingua debilitata, inutilem functioni ſuæ reddebant. Vertit igitur ſe ad Deum, & hanc Diuam: quam inuiſit, veneratusque eſt: & rediens, in ipsâ viâ quaſi pruritum & neſcio quem motum in tibijs ſentit, & prætereà nouum aliquem in neruis & toto corpore vigorem. Sed domi cùm eſſet, planè pleneq; ſanum ſe agnoſcit, omnia detumuiſſe, ſtomacho vim rediſſe, Hemorrhoïdas ceſſaſſe: atque ex eo die (fatetur,& ad Dei gloriam iactat) vires & alacritatem habuit, quam vel in mediâ ætate vmquam. Qui diffidit, ad ipſum ito: viuit, & munus ſuum cum laude obit.

CAP. XXIX.

Femur fœdè vlceroſum ſaneſcit.

ILLVSTRI ſtirpe mulier, *Martha Roſenbergia*, Baronis *Maximiliani Roſenbergij* filia, maritum in militiam noſtram ſecuta fuerat, eoque amiſſo vidua

vidua agebat, annos circiter LX. nata. Hæc ante biennium femore fædè affecta fuit, à ſummo eo ad genu, tribus vlceribus grandibus, minoribus aliis in ambitu duodenis. Ac primùm, pudore muliebri, verecundata partes eas viris oſtendere, mulierum operâ ac curâ vſa fuerat: fruſtrà. adhibuit & chirurgum igitur, peritum, ſedulum: fruſtrà. Ad Diuam confugit, ſomnio etiam monita. in quo ſibi viſa videre ſtatuam eius in *Colle*, & aream, & aram, & ſiluam ambientem: atq; experrecta, calore quodam & inſtinctu interno impelli ſe ad iter ſentit. Paret, in ipsâ viâ paullò melior facta; magis in loco; maximè cùm domum rediit, vlceribus omnibus, vnico excepto, ſanis. Illud ipſum reliquum, biduo pòſt ſponte coiuit: ipſa quoque faſſa & gloriata de meliore valetudine & viribus, quàm quibus anteà vſa fuiſſet.

CAP. XXX.

Veneficio affecta & penè confecta mulier, ſanitatem recipit.

AT mirum etiam hîc factum euentuſque narranda, in fæminâ item ſexagenariâ: quæ veneficio, nec ſine Geniali operâ, affecta diu languit, & in ſolâ Diuæ benignitate repperit medelam. *Magdalena Preudkommia* illi nomen, patria Bruxella, artificium veſtes aut ſcruta vendere, quo

quo quæſtu ſe & vitam tenebat. Fuit vt anno ∞. IↃ. XCIII. id eſt ante annos decem, *Berthemium* pagum veniret, iuxta Louanium, & id tempore meſſis. Ibi in agro, & dum frumenta demeſſa colliguntur, & deportantur; villicus hanc orat cuſtodiæ operam dare, & nequis ſpecie ſpicas legendi auferret. Suſcipit, & ecce fæmina eiuſdem pagi aduenit, & manipulos aliquot capit, aſportat. Villicus ab iſtâ monitus, perſequitur, & compertam malè excipit, & ipſum frumentum aufert. Indignata fæmilla, & huic ſtatim minata, vt indici: *Et tu,* inquit, *tuo malo hoc mihi lues. Nam garrula, accuſaſti.* Eunt domum vtraque, & in vicino hæc diuerſabatur: venítque mala fæmina, ſed vultu bona, & faſeolos aliquot frixos ei offert. De irâ etiam præteritâ dicit, ſed præteritâ: obliteratum hoc totum in animo eſſe. Magdalena haud libens, tamen vel hoc nomine capit, ne videatur offenſa: comedit pauculos, febrile aliquid eâ nocte ſentit. Manè iterùm in agro, & dolor capitis aduenit, acer, intolerabilis: ſic vt illa ſe torqueret, verteret, inſanum in modum. Veſpere etiam diarrhœa vehemens moleſtauit, & perſeuerauit. Notæ fæminæ, & quæ malam illam nouerant, hanc obiurgare, quòd cibos de manu eius ſumpſiſſet, quæ venefica vulgò audiret. Serum erat. redit Bruxellam Magdalena, & cubiculum ſibi conducit apud *Simonem* quendam, in Sabuleto: ſed non diu

diu hæret, quia ille ſordes eas & continuum (ſit honos auribus) ſterquilinium abhorrens, migrare iuſſit: quod etiam ter quaterq; alijs locis euênit. Omnes fugere, deſpuere: & velut purgamentum eam habere. Plures annos in hac miſeriâ egit, & ferè die ac nocte, quadraginta deiectiones habebat. Quæſierat interim remedia à medicis, non inuenerat: Berthemium etiam redierat, ab ipsâ maleficâ petitura, ſed ſupplicio affectam accepit. Quò nunc miſera? ad errorem aut culpam vulgariam. Audijt enim eſſe iuxta Hallas hominem talium gnarnm, qui iudicare de veneficijs, qui liberare poſſet: adijt, ſpem non rettulit, imò ætatem is huic malo eam damnauit. Certè magis magisq́ue affligebatur, & annum totum nil niſi purum ſanguinem per aluum emiſit. Itaque debilitari ſupra modum, vix pedibus incedere, ſæpè per domum manibus pedibusq́ue repere. Ecce aliud igitur remedium, ſed contra malum Genium à Genio tali. Mulier Bruxellæ conſulta, quę piatrix habebatur, vinum bibendum porrigit, herbulis aliquot temperatum. Biberat, domum redibat, in viâ iuxta Capucinorum templum malè fit, & nauſeat & (iterùm venia) vomit: quid? octo beſtiolas, quæ muſculos recentes à matre imitabantur, raro pilo, caudatas, & viuas. Bibit ſecundò, nihil exit: tertiò, piſciculos minutos è vilium capitonum genere duos eijcit, iterùm

F alîus

alîus generis quattuor, denique vermem inſtar modicæ viperæ. Poſt hæc meliùs habere viſa, & præcordia magis libera: ſed fluxus tamen manere, & iam cibi, vt aſſumpti erant, emitti. Decennium, in vniuerſum, hæc afflictio: & miſerante Deo, ſuadetur denique ad matrem eius ire, in *Aſperum* & celebrem illum *Collem*. Deſtinat, ſed ecce fæminæ duæ è notis illuc ierant, & reditum earum exſpectat, auditura plura & rogatura. Cùm rediſſent, altera earum è ligno Quercus, de quâ diximus, fruſtulum cum hac participat, & ſuadet piâ in Diuam veneratione potui iniiciat, & bibat. Illa auidè accepto, ſtatim ad templum quod *Capellam* dicunt (in propinquo habitabat) ire pergit; & ante Virginis altare inclinata, illâ feruidè inuocatâ, fruſtum ore ſumit, atterit, & demittit. Vix factum, ſentit pondus aliquod è ſtomacho ſiniſtram in partem deſcendere: ceterùm toto corpore meliùs habere, atque adeò fluxum illum reprimi & ſiſtere. Læta igitur, ad fæminam donatricem recurrit, nunciat, & ſtatim ad iter ſe parat, & cum aliis adeò ciuibus pergit. Etiamnũuc fluxus ceſſare, & fortior meliorque aſſiduè in ipsâ viâ fieri: donec propinqua iam *Colli*, vbi ſuppliciorum locus eſt, ventre ſic doluit, quaſi partus inſtaret. Et coacta ſubſiſtere, alios præmiſit, exceptis duabus fæminis, quarum altera filia eius erat. Ibi adnixa arbori, emiſit parte genitali aliquid, inſtar

ſtar cullei aut veſicæ, magnitudine heminæ vinariæ circiter: atque id diſploſione quâdam & ſonitu. Fracta autem veſica (baculis & pedibus id fecêre) ſordes oſtendit varij coloris, & miſcellas, è luteo, viridi, cærulo, nigro. Sed emiſſâ eâ, nimium quantum vegeta & valida mulier facta: ac curſu præeuntes aſſecuta, ſimul ante Diuam preces, & hæc etiam grates, fuderunt. Fuſiſque, reuerſæ iuxta Louanium diuerterunt: cùm eo die Magdalena decem circiter milliaria noſtra, ſine vllâ fatigatione feciſſet. Quid ampliùs? quod res eſt, exſpecta: liberam & immunem deinceps ab omni Geniali illo malo vixiſſe. Hæc in nobili illâ vrbium Bruxellâ nota: nec niſi impudentia neget, impietas cauilletur.

Et quem non Genium fuget,
Quam non Theſſalicam ſtriga,
Magni magna Dei parens?
De quâ Sacra profantur,
Hanc fore, quæ ſerpentis
Contereret caput improbi.
Feciſti ô Dea: porrò fac,
Et fraudes, laqueos Mali
Detege, ſolue, aut frange.

CAP. XXXI.

Religioſa virgo ab congenitâ claudicatione reſtituta.

VOLENS ſciensque omitto quædam: nam quis finis ſit? & paritatem fugio, atque ex eâ tædium. Dicam quod in noſtrâ hac vrbe mirabile euênit, & me gnaro ac fortuito quodam teſte. *Catharina Serraertia,* nobili ſtirpe virgo, *Antonij* Equitis filia, Deo caſtitatem & vitam vouit, in cœtu Virginum Louanij, quas *Albas* (ab habitu) vulgò vocant, *Diuo Victori* ſacras. Ea ab natiuitate ipsâ clauda fuerat, pede altero breuiore, &, niſi cothurno adiuuaretur, inutili ad greſſum. Cauſſa in coxendice apparebat, vbi os emotum ſuo ſitu retrorſum eminebat, & velut gibbum reddebat: genu autem ſuppoſitum intrò curuabatur, & breuitatem faciebat quam dixi, palmari circiter modo. Itaque altiuſculo calceo neceſſum habebat attolli, aut nec ambulare. Quid, quòd neque ingeniculare & inflectere, niſi alterũ genu, poſſet? Et res hæc nota domeſticis, & amicis omnibus; nota & calceolarijs, qui nuper aut olim tales illos cothurnos adaptaſſent. Nota & chirurgis, quos variè pater aduocauerat, peritiſſimos: nec impendij parcus in filiâ, & opum largus. Omnia in naturã pro vano fuêre: ita manſit ad annum quadrageſimum ætatis. Eo tempore, famâ mota tot mira-

miraculorum, & ipſa ad *Collem* adſpirauit: ſed qui quæque præerant (inter eos *Iacobus Janſſonius*, Theologiæ Doctor, amicus noſter & Virtutis) commeatum non indulgere, & monere acquieſceret in ſorte, quam Deus adſignaſſet; & melius ita ſalubriusque cenſeret. Acquieuit. donec ecce Ill[mus] Princeps *Carolus-Philippus*, Haurechij Marchio, Louanium venit, pietatis ergò ad Diuam illam iturus. Hanc inuitat, & veniam impetrat: & cum conſorte ſuâ virgine, curru illuc eſt vecta. *Dieſthemium* veſpere diuerterunt, manè cum Marchione ipſa in eſſedo ad Collem: & in viâ, Princeps interrogare (ab ipſo audiui) *Ecquid precari Diuam pro ſanitate, & reſtitutione greſſus vellet?* Illa ambigere, & natiuum hoc malum dicere: tot annos tuliſſe, & porrò laturam quamdiu Deo viſum eſſet: oratum autem pro ſalute & quiete Eccleſiæ, ac patriæ, ſeriò veniſſe. Iam in ſacello, iam ſacro interſunt: & illa ab aure ſiniſtrâ dolorẽ viſa percipere, qui totum corpus permearet aduſque femur, & tibiã adfectam. Nihil etiam ſuſpicari: ſacris peractis ad prandiolum, inde in eſſedum, in eo Louanium veniũt. Et quia veſpera erat, ſtatim (vt Antiſtitam ſalutauit, & ſe exhibuit) ad cellulam properat; ſed enim in adſcenſu, aduertit calceum illum altiuſculum impedimento ſibi eſſe, & gradum refrænare. Cùm aſcendit igitur, abijcit, & videt abſque eo (numquam an-

teà factum) inſiſtere, & ambulare rectam poſſe. Percipit & tenſiones quaſdam , & laxationes in totâ eâ parte : atque gaudio attonita, orationi incumbit, Deum & Diuam rogat, firmum & proprium hoc bonum ſibi eſſe. Laſſa denique in lectulum incumbit: manè ſurgens, & experta, videt nihil cothurno opus eſſe. æquales ſoleas ſumit,& iis quaquauerſus inambulat,& Antiſtitam ac ſodales gnaras facit, & ſe oſtendit. Mirari omnes, laudes dicere, & canere : denique fama in vrbem , & ſtatim ad Marchionem deferri. Ego ei fortè aderam, & ſeriis de rebus ſermones erant, conclaui etiam clauſo. Pulſant validè, ingreſſi Miraculum acclamant,& narrant: ipſe gaudio exſultare, & pias lacrymas manare. Mittere tamen *Philippum Numannum* (iſtum vnà venerat) virum fidei & probitatis notum, cum alio nobili, vt ipſi adirent & oculis vſurparent, ſatin' certò ita eſſet? Clara, conſpecta omnia: ergo veniam impetrat, vt ſecum ea Virgo Bruxellam iret, & Ser^mæ^ *Iſabellæ*, Principi noſtræ, piiſſimæ fæminarum, ſiſteretur. Factum : & ipſa Virgo aſſiduè melior , non greſſum ſolùm , ſed modulum tibiæ (quæ attenuatior anteà) receperat, & gibbum in femore exſtantem amiſerat. Ipſe calceus altior eò latus, quem & nos vidimus, & menſi ſumus, ad modum ſuprà dictum : qui ad aram deinde D. Virginis appenſus, monumentum rei exſtat. Exhibuit

buit ſe omnibus, etiam Illmo Antiſtiti Mechlinienſi, qui tum Bruxellę: is inquiſiuit, & comperit fraude omnia vacua, Deo plena.

CAP. XXXII.

Prolapſus vteri ſubitò repoſitus, firmatusq́.

ITA fuit. neque aliter in *Magdalenâ Horeniâ*, Bruxellæ, virgine adultâ, & quinquaginta circiter annorum. Ea ante annos tres eniſa aliquid ab alto ſumere, dum viribus ſe attollit & ſublimat; interiora viſcerum læſit, & vteri pars procidit, atque in loco quem fæmineus pudor celat, propendit. Turpe malum, triſte malum: & medici vix ſpondent leuamen. Retinaculum aliquod, faſciari & inuolui, & vetare vlteriorem aut totum lapſum. At dolor tamen continuus adeſt, & greſſus impedimentum, & quiete etſi inquietâ eſt opus. Ita in illâ fuit ad Octobrem vſque menſem: & tum diuino inſtinctu, & comitatu honeſtiorum matronarum aliquot aut virginum, ad *Collem* ſacrum eſt vecta. Orauit, pars ea reducta & firmata eſt, faſcias Diuæ obtulit liberatrici. ∞.IↃC.III.

CAP.

CAP. XXXIII.

Cephalalgia continua, & permoleſta, ſublata.

SÆPE *Louanium* noſtrum, atque etiamnunc vocat. Quid mirum? ſedes illa pietatis & doctrinæ eſt: in Deum & diuina afficitur, & fructum ac gaudium ſæpè ſentit. Louanij igitur, inter alia religioſorum cœnobia, duo ſunt, quæ Ill^mus Princeps *Guilielmus Croÿus*, Dux Soræ, & idem magni illius *Caroli Quinti* educator & doctor, ſuâ pecuniâ ſtruxit: aut certè, eo defuncto, vxor. Sine liberis enim erat, & magnas opes diuino cultui, etiam poſt ſe, impendit. Hoc fine extra opidum, ad arcem *Heuerléam,* cœtui Cæleſtinorum ſacram ædem, & ædificia alia ampla ſtruxit, inſtruxitque: in ipsâ vrbe, Virginum, quæ ſupremæ Virgini, *Annunciatæ* titulo, ex inſtituto ſacrantur. Inter iſtas erat *Anna Laurentia,* annos nunc ſexaginta tres nata: quæ cùm, de more, inter conſortes caneret (ante annos circitet octodecim) caneret dico, & vocem altiùs tolleret, correpta eſt dolore capitis, qui vltra patientiam eſſet: ſecutusque tinnitus & ſonitus in eo continuus, velut horologij, per rotulas ſuas labentis. Itaque ſecedere, & diuinis officijs abeſſe plurimùm coacta: cùm adeò cantum non ferret, vt vix vocem aut ſermonem elatiorem. Inſomnia accedebat, & corpore

corpore ac viribus iam tabeſcebat. Fama tetigit de *Diuâ Aſpricolle*, animum & preces eò vertit: ſed quia, ex lege, nefas finibus ſacrati loci egredi; ecce Virgines in horto elegerant ſacellum quoddam modicum, & collapſum inſtaurauerant, in quo Diua illa, atque inſtar eius, coleretur. Huc triduum ſe contulit, piè precibus precata eſt: ſub veſperam, valdè alleuata animo ac corpore, noctem eam quietam habuit, nullo ſonitu interpellante aut moleſtante. Imò experrecta, ſanam ſe ac vegetam ſenſit: ac deinceps bonâ fide manſit.

CAP. XXXIIII.

Vehemens Paralyſis curata.

Et tale in religiosâ, ſed vrbe aliâ, & valetudine: Antuerpiæ dico, & in Paralyſi, ac membrorum omnium ſtupore aut inuſu. Erat *Anna Bruynia*, in cœtu *Clariſſarum*, Diuum Franciſcũ æmulantium: quæ anno ∞. IↃ. XCVII. in morbum incidit ancipitem, vel vt iudicabant, extremum: atque adeò bis Sacramentorum adminiſtratione ad exitum erat, communi decreto, præparata. Tamen refici leuiter viſa: ſed hactenus, vt ſcipione innixa, aut parieti inclinata, ambulare lentè & trepidè poſſet. Mox incumbit malum, & plenâ reſolutione neruorum adfecta, nec ambulare vltrà, nec ingeniculare, nec ſtare quidem potuit:

tuit: aut ſi loco mouenda eſſet, trãsferri à duabus fœminis, aut certè trahi, neceſſum haberet. Ipſæ manus plurimùm ſic immobiles, vt cibari alienâ ope manuque, inſtar infantium, deberet. Sex annos impotentia hęc tenuit: nec medici, pharmaca, balnea, vnguina, hilum profuerunt. Deſperata, ad piam illam Matrem reſpexit: & Antiſtitam ſuam rogauit (quoniam ipſa obſtricta non egredi) mittere è Laicis Virginibus, quæ vicẽ ſuam functæ, munuſculum & preces in *Aſpero Colle* offerrent. Facilè impetrat, eunt, biduum orant: ipſo tertio die, manè cùm experrecta Anna eſſet, dolor etiam habuit & angor, in morbo nondum ſoluto. Tamen confiſa dixit, *Et quis Deo legem ponit? quis miſerationi eius terminum? Quod non eſt, eſſe poteſt: imò erit, adiuua ô Diua.* Dixerat, vigorem nouum capit, & impetum ſurgẽdi, atque ad Chorum eundi. Arripit baculum lecto vicinum, innititur: procedit, videt opus non eſſe, abiicit: & ſine adminiculo (mirata ipſa, cruce ſe ſignans, & bis terque precata) ad Chorum venit, proſternitur, laudes & grates Deo ac Diuæ dicit. Facit idẽ Antiſtita, ab ipsâ iam monita, & publicè vniuerſus ille cœtus. O gratas à piis illis laudes! & addo, ſanitatem huic ratam.

v. Kal. Octob.

Cap. XXXV.

A duro & diro Cancro virgo religioſa liberata.

ITERVM in clarâ vrbium *Antuerpiâ,* & in religioſâ Virgine *Margaretâ Perriâ,* Miraculum illuſtre. Ea Margareta in cœtu tertij ordinis *D. Franciſci,* agebat annum trigeſimum: & iam duos annos ac menſes quattuor infeſtata duro tumore, in vtrâque mammâ, fuerat: quem medici conſenſu *Cancrum* definierunt. Et erat. nam præter duritiem, quæ lapidis videbatur, liuor aderat, perpetuus dolor & exeſio: & ſerpebat ſub alã in dorſum vſque malum. Horrebant, qui adſpiciebant: quid illa miſera quæ ferebat? Non motum, non quietem tolerabat: ipſas noctes inſomnes plurimùm, & ſedens (nam decumbere inimicum) tranſigebat. Brachium prætereà alterũ ſtupere & rigeſcere, & nec ad caput admouere poſſe. Quid etiam? ô Deus benè tuos exerces: herniæ malum iam ab octo annis affligebat. Medici, medicæ, variè aduocati aut euocati, manum adhibuerunt, non remedium: & victi denique ægram deponere, & carcinoma illud non, niſi diuinâ ope, curandum dictitare. Ea adfuit, & Diua Aſpricollis, ab hac occaſione Iam narraui, *Annam Bruyniam* in eâdem vrbe miraculo perſanatam: vênit ad huius aures, ſpem & votum concipit, & Antiſtitam

Pridie Nonas Nouemb. ſuam adit,& commeatum poſcit. Hæc indulget, comitem è ſuis adiungit: perueniunt, orant,& trino ſacrificio Miſſæ interſunt. In primo, debilitari & langueſcere ſatis cœpit : ſed ſacro Domini corpori cùm communicaſſet, meliùs exinde habuit,& mox in tertio ſacrificio viſa manum ſentire certò, quæ fricaret & demulceret partes cauſſarias, & dolorem tolleret, atque adeò ſanaret. quam manum,niſi diuinam? Illam,illam: & omni malo depulſo,extemplò,imò in templo,conualuit:omni. etiam illo Herniæ,quod, vt dixi, vetus habebat. Quæ,putas,lætitia ſacrarum Virginum, cùm ad eas rediit? quæ admiratio medicorum,& ibi ciuium? Omnes concurrere, ad videndum: illi etiam,ad tractandum & explorandum. Vera ſanitas erat, nihil mimicum: & vera etiamnunc manet. O Diua,quæ non curanda curas,hanc deſperatam patriam etiam adſpice & adiuua. Nam

Altera iam bello ciuili voluitur ætas,
Suisq; Belga viribus
Interit, ac toti debet ludibria mundo:
Heu triſte fatum! quis modus
Et quis finis erit? finis, ſi turbida vita,
Emancipata crimini,
Mundatur, ſi vindicat hanc ſibi maſcula virtus.
Tu Diua conantes iuua.
Et veluti cancer ferus ille quieuit, & à te
Prohibitus vltrà ſerpere:

Sic

Sic gangræna mali deſæuiat inteſtini,
Et in vicem veniat Quies.
Illa Quies optata bonis, & ſuſpirata:
Adſpira, & indulge frui.

Cap. XXXVI.

Languor varius mixtusq́ curatus.

Est Louanij in meâ viciniâ, ſic vt manu tangi pænè poſſit, *Thomas Blijleuius*, vir perhoneſtus & amicus noſter, vigilum vigil Pręfectus. Filia illi eſt, aut fuit (nã Deo dedit & dicauit) *Michaëla*, quæ in B. Virginis *Annunciatæ* cœnobio religiosã vitam eſt profeſſa. Hæc in languorem incidit prauum, occultũ, incertâ cauſsâ: qui cor aſſiduè obſideret, & angeret; item ſuſpirium gigneret; imbecillitatẽ denique omnium virium pareret; ſudore, vno aliquo die, vel ſepties erumpente. Nauſea ſtomachi acceſſit, nec appetitu, ſed imperio, leue aliquid cibi ſumebat. Sex menſes ita languit, nec periti noſtri medici profuêre: profuit illa cæleſtis, & *Virgini Aſpricolli* ſe deuouit, eiusq́ue ſacellum (quod antè monui) in horto ibi piè ſtructum adornatumq́ue, inuiſit. Dum illîc ergo precatur, vigorem nouum in corpore ſentiſcit: eodemq; die in genua proſtrata, orationes aliquot ſolitas legit. Hoc ei à quinque menſibus non licitum animos addit: & nocte in pſallentium chorum ingreſſa,

dum cum iiſdem pſallit, ipſo momento quo inclytum illud *Salue Regina* canitur, manum ſuper humeros incumbentem & prementem percipit, atq; adeò ipſos digitos tractim diducentem. Mota eſt, & ſubſiliit, & reſpexit: neminem videt. Lectum & ſomnum petiit, iterùm ſurrexit, & manè in templo ſic clarum & validum voce ſuâ concinuit, vt mirarentur aliæ Virgines, quæ tam ſonora vox, & vnde hoc robur? Talis eſt, & maneat: pro patriâ, parentibus, ſed & vicinis oret.

Cap. XXXVII.

Apoplexia & Spaſmus fugantur.

Est Anuerpiæ *Angela Wouteria,* patre *Matthiâ,* vaſculario; quæ tredecim annos nata incidit in Apoplexiam, & præſertim dextri totius lateris. Adhærebat tremor & quaſſatio artuum, vt ire, ſtare, ſedere ſine agitatione non poſſet. Ampliùs, lingua & os primùm impediri, & balbum loqui: tum muteſcere, & ſenſu denique alienari, & palàm dementire. Spaſmum ſiue conuulſionem mixtam eſſe, medici etiam cenſebant: ſed medelam nemo ferebat. Parentes mœſti, ſuaſi ſunt ad Diuam noſtram hanc ducere: quod deſtinant vouentque facere, vtique cum eâ eorum alter. Dum in eo ſunt, Virginis feſtum, quod *Præſentatio* dicitur, aduênit: & pater obſeruat, ac manè

nè vxorem monet, cum filiâ ad templum Diuæ ſacrum in eâ vrbe ire, & precari. Exſequitur, cereum emit, & puellæ iubet accendere, accenſumq́ue ante aram Diuę collocare. Quod fecit, ipsâ manu ægrâ; quam attollere tamen, niſi adiuuante alterâ, non quiuit. Ecce autem hîc mirum. cereus ille ſic benè accenſus, ſponte extinguitur, ſine vento aut aliâ vi; iterumq́ue accenditur, reponitur vt antè; exſtinguitur ſecundò, tertioq́ue fit idem. Mater mirata, & toto corde Deum precata pro filiæ ſalute, pro ſuo ſolatio, domum redit. Nihil eo die filia mutat: ſed ſequenti, benè manè ſurgit, ſeſe veſtit, calceat, deſcendit. Mirantur parentes, & trepidè gaudẽt: mater, *Quis te alleuauit, & veſtiit?* Illa, *Ego me*, inquit. *Sine alienâ operâ? Sine vllâ.* Tum iſti ſeriò gaudere: & magis cùm ambulare, ſedere, ſtare, omnia pro ſanâ facere vident. Et gratias ergo Diuæ agunt, & tam inopinatam ei ſalutem meritò adſcribunt, & diuulgant.

CAP. XXXVIII.

Mirus, nec ſine Genio fortaſſe morbus, tollitur.

IBIDEM etiam *Barbara à Bergis, Gerardi* Doctoris medici filia, in monaſterio deuota Deo virgo erat, quod *Diui Auguſtini* inſtitutum & normam profitetur, & inter pia opera, Elephantiacis ſiue leproſis curat. Hæc annos triginta ſex fecerat,

rat, cùm incerto morbo, ſed graui deiicitur, qui ſex totos annos& tres menſes adfixam lectulo habet. Incerto dixi. nam medici variè differebant; alij Cancrum internum eſſe; alij Melancholiam Hypochondriacam, ſed variis ſymptomatis mixtam. Certè grauia & inſolita patiebatur. vt, cordis perpetuam ferè palpitationem; vt, angorem & animi deliquium, quod occupabat, ſimul aliquis vel leuiter eam tangeret: atque ita, vt mortem in limine eſſe iudicares. Inde factum, vt vix bis terque in anno lecto demoueretur, concinnandi & inſternendi cauſsâ: & hoc tam periculosè, vt quâdam vice in lectulum humi depoſitam, & ſic ægreſcentem, nemo auſus ſit tangere, manſeritque ad quindecim dies. Multis & primariis viris hæc nota, quos nouitas rei ad viſendum, aut & miſeratio excitabat: atque eò res venit, vt neque linteo corpus mundare aut tergere: quid corpus? nec ſpondam aut partem lignei lecti digito libare, ſine manifeſto eius deliquio, liceret. Itaq; virgines, quę curabant, lectum interim ſpinis circumdederāt, nequis temerè manū admoueret, cum tantâ ægrę noxâ. Ampliùs, contractio neruorum ex tam longo decubitu ſecuta, & ſiniſtra tibia toto pede breuior, quàm dextra erat. Denique ſex ipſos menſes (obſerua) ante curationem, lecto ſe non mouerat: viua non viua, portentum vix homo. Et ſanè aliquid Geniale huic toti morbo interueniſſe, facilè

cilè ego ſuadeor: neque mirum igitur, humanâ nullâ ope ſublatum. Diuinâ opus fuit, & ad hanc ventum. Virgo noſtra, iam in eâ vrbe celebris, inuocata; & ipſa Præfecta cœtui, pia & amans ſuarum fæmina, vicem ægræ, eò iuit. Rediјt, nihil mutatum repperit: nec ægra tamen animo aut ſpe deijcitur, ſed ait *Deſtinatum ſibi, ter eò mittere, aut certè ipſam ſe (quod ſperabat) tertiò illuc ire.* Sub id tempus, perhoneſtus quidam Canonicus Antuerpiæ, ſacrificium Miſſæ in eo cœnobio fortè offerebat: oblatoque, ad ægram viſit, vt anteà ſæpiùs, & dicit, in ipſo ſacrificio memorem ſe eius precibus fuiſſe, & decreuiſſe ad Diuam, vicem illius, ire. Valdè lætari viſa eſt, hoc promiſſo: & ipſe in rem contulit, atque vnà cum *Vulmaro Scheto,* qui Paſtor in eo loco, iter ineunt, & a. d. III. Nonarum Nouembrium ibi ſe ſiſtunt. Myſticum ſacrum pro eâ offerunt: & ecce eodem die, vires illa abſens recipere viſa eſt, ſed mox acres dolores ſecuti, ſic vt in febrim morbus tranſiret. Sequenti autem die, iterùm emendatio & alacritas, & vnam ex aſſiſtentibus rogat, manum ſibi commodare leuaturæ. Facit, & tactu illo (quod ſolet) non offenditur, imò adſurgit, pedibus inſtat: quod altera ſic miratur, vt clamet, & eam deſerat, iterùm in lectum ſic delapſam. Sed ſequenti ecce die, ſeriò & certò iam ſanam ſe approbat. veſtes manè petit, ſumit, ipſa induit, nullo adiu-

 torio:

torio: deſcendit, ambulat, ad focum ſedet, cibum potumque capit. Quæ voces videntium, quæ gaudia? lacrimas etiam aliquæ non tenent. At illa magis magisque vigeſcere: & faſſa eſt, infundi ſibi vires, vt aquam ab alto, & per corpus totum manare ac diſpergi. Sic igitur refecta, ipſa tertiam peregrinationem (quod prædixerat) ad Diuam noſtram obiuit, rediuit, populisque mirantibus ſe oſtendit.

CAP. XXXIX.

Auditus ſurdæ redditus.

O*Vdergemium* pagus eſt, in exitu Sogniacenſis ſiluæ, Bruxellam verſus: & ibi Virginum cœnobium à Ducibus Brabantiæ, inter plura alia inſtitutum, vt pietas maiorum fuit. Inter eas *Hadriana Gouſia,* quæ ab annis iam triginta octo ſurda facta erat: vt, non dicam verba aut ſermones, ſed nec cantum, nec validũ campani æris ſonum audiret, niſi leuiter & incertò. Adhærebat dolor in vertice capitis aſſiduus, & ſtrepitus in auribus permoleſtus, qui murmur rotæ molaris referret. Poſt medicos, ad *Diuam Aſpricollem* bis miſit: & à reditu, cùm noctu quieti ſe componeret, nondum etiam dormiens: vidit adſtantem lecto Diuam Virginem, quæ oculis ſublatis intentisq; adſpiciebat. Primùm formidine aliquâ correpta

eſt;

eſt; ſed depulsâ, ad preces ſe vertit, & ſanitatem ab eâ ſupplex rogat. Statim Diua manum exſerit, tempus vtrumque in capite ei tangit, tangit & oculos: & verba addidit, quæ edere Virgini non eſt viſum. At ſequenti die meliùs illa audire, & mox meliùs meliusq́ue, donec ad verum & veterem ſenſum venit.

Cap. XL.

Clauda in greſſum erigitur.

Margareta, filia *Ioannis Neomagi*, aromatarij Antuerpiæ, tredecim annos nata, clauda ab infantiâ fuerat, id eſt à ſexto ætatis menſe. Clauda inquam, vt toto palmo pes alter retractior eſſet, & in calceo altiore ac ſuffulto ambularet: id quoque ægrè, nec niſi digitis primoribus, calce ſolum vix calcans. Patrem igitur orat, copiâ hac miraculorum excîta, ad Diuam iſtam ſe mitti: mittit, & cum eâ ancillam. Biduum ibi ſunt, orant: ipſo ſecundo die, Miſſæ ſacrificio, animus puellæ dicit (id eſt, bonus Genius) ſanam eſſe, adſurgeret, experiretur. Audit, ancillę dicit, & calceum altiorem abiicit, vtroque pede æqualiter inſiſtit. Dieſthemium veniunt, alios calceos pares emunt, domum redeunt, lętificant parentes.

CAP. XLI.

Puella malis Geniis inſeſſa, & diu poſſeſſa, vindicatur & ſibi redditur.

INſulas Flandriæ opidum appellamus, mercatu & opibus celebre: in quo *Catharina Buſia* erat, ſed non pro nomine ſuo pura. Malus Genius, aut veriùs Genij, eam ſedem ſibi, arcano Dei permiſſu, legerant ceperantque, & iam ab anno ætatis decimoſexto tenebant. O puellæ miſerias, aut iniurias! torquebant, diſtrahebant, geſtus motusque fœdos, aut ſupra naturã validos, edebant: & ſæpè quini aut ſeni homines non erant coërcendæ. Quid, quòd Latinè, Græcè, Hebraïcè loquebatur? Quid, quòd præterita & occulta edicebat, facta aliena, aut culpas? Et euênit, cùm duo milites (Heluetij erant) ſigna & caſtra deſeruiſſent ad Oſtendam, & in opidũ illud veniſſent, rumorem ſparſerunt de eâ deditâ, & valdè adfirmarunt. Creduli ciues lętari, alius alij nunciare: ſed hæc, interno ſuo auctore, falſa dicere, & ampliùs addere, *Duos iſtos profugos eſſe, & ex opido Nouoportu argenteam thecam, Dominici corporis receptaculum, furto abſtuliſſe. Rem ſic habere. inquirerẽt: ſeſe autem cogi ad vulgandum à magno* (ita loquebatur) *magiſtro.* Inquiſiti, comperti ſunt: & talia multa efferębat. Amici ad Exorciſmos, Eccleſię ſollen-

ſollennes, rem deduxerunt. ſæpè vſurpati, & iterati ſunt: cum illo denique fructu, vt ſeptem Genij (tot ſe eſſe dixerant) eiicerentur. Sed falsò dixerant, plures enim erant, quod res oſtendit. Priuſquam autem eiicerentur, dignum memoratu, per puellæ os acus multas effuderunt, item ſulphur, nummum argenteum eroſum, clauum ferreũ palmarem. Sed quod meritò admiremur, in turbâ adſiſtentium fuit vnus, qui à Diuâ noſtrâ recèns veniret: quem puella deſignans, *Et tu,* inquit, *ibi es? Vnde venias, quid adferas, ſatis ſcio. A Mariâ illâ Aſpricolle es, quam viſum iuiſti.* Alij in eum oculos coniiciunt, & ipſe adiurator ſiue Exorciſta (cui *Siluestro* nomen, è Capucinorum cœtu) appellat eum, & rogat. Ille fatetur, & quercus etiã fragmentum ſe adferre. Siluester bono conſilio, an inſtinctu potiùs, de quercu aſſulã poſcit, & ſumit: & puellę in os inſerit, ac iubet comedere ac demittere. Paret. vix demiſerat, cùm Genius in gutture ſe oſtendit, clamat & queritur ardere ſe ac torqueri à ligno. addidit, tres etiam reliquos ſe in hoſpitio iſto eſſe. Iterumq́ue adiuratus & adiurati de egreſſu, facturos reſpondent, idq́ue *virtute & interceſsione Mariæ Aſpricollis. Quo ſigno?* inquit ille: *Vitream,* inquiunt, *frangemus.* Duo egreſſi, frangunt: tertius vltimusq́ue clauum ferreum è pariete eductum in vitream proiicit, nec tamen tangit. At ille in exitu altùm

clamat, *Viuat Domina Aſpricollis, quæ egredi me cogit.* Quid? inquies. ipſe laudat & magnificat? Ita. ſic & à Chriſto olim eiecti, predicabant, & teſtabantur *filium Dei eſſe.* Sed de puellâ, pura ſemel facta, ex eo manſit; ad Collem venit, nouem ibi dies precata, & ſacris operata eſt. O quis ille malus Diuæ vires abnuat, quas princeps malorum Genius agnoſcit?

Cap. XLII.

Cæcus ab vtroque oculo illuminatur.

ANtonius Grotius, è confinio Antuerpiæ, militem ibidem in propugnaculo aliquo egit. Ante annos ferè ſeptem, defluxio in oculum dextrum facta vexauit, & adegit Antuerpiam ire, medicinæ cauſsâ. Adhibita eſt, ſed adeò non iuuit, vt cæcum fecerit, amiſſo prorſus oculi eius vſu. Rediit ad militiam: & biennio pòſt idem fluxus in alterum oculum incubuit, eodem fine. Nam & huius vſum intra dies octo planiſſimè amiſit. Ita militiam coactus deſerere, Antuerpiam ſe contulit, reſculas ſuas vendidit, & paulliſper eâ pecuniâ ſe tolerauit. Inſumptâ, ad mendicimonium verſus, ſtipe aut cibo vicatim quæſito ſuſtentabatur. Sed audito de Diuâ Virgine, ad eam iter deſtinat, & ingreditur, puero ductore. Preces fundit, triduum hæret, ac quoque die bis

aquâ

aquâ ibi fontanâ oculos lauat. Primo die nihil mutat: ſequenti, dolores acutos in capite, & præſertim circa oculos, habet; tertio, cùm Dominicum corpus ſumpſiſſet, & ſub veſperam in Sacello precaretur, viſum ei vincula quędam in oculis rumpi, & ſtatim aperti ſunt, manſeruntque, ad plenam viſionem. Multi grauesque teſtes, & mali huius, & remedij: nec ambigere eſt, niſi iis, qui ex profeſſo impugnant Diuam & diuina.

Cap. XLIII.

Herpes exedens ſiſtitur, fugaturque.

HAdrianus Asbroeckius, notum Bruxellę nomen & in munere publico, filium *Guilielmum* habuit, quem *Herpes* occupauit, & depaſci cœpit: ex illo peſſimo genere, quem *Exedentem* medici vocant, inſtar ignis peruadentem & abſumentem. Puſtulæ erant, & papulæ, ſed ſtillantes pure ſordido: atque eæ toto corpore, totâ facie ſparſæ, vt liberum nihil, præter os ſolum, eſſet. Pruritus accedebat, & pueri frictus aſſiduus, ſic vt ſanguis paſſim manaret: & iam penetrabāt vlcera atque exedebant cutem, carnem, ad ipſa vſque oſſa. Fœdus aſpectus, & fugabat videntes. Medici adhibiti abſiſtere, indomitum malum cenſere: Diua aduocatur. Parens vterque puerum defert, & offert: redeunt, nec medelæ copiam

VII. Kal. Iulias.

piam

piam primò vident. Sed mox deinde apparuit vlcera ſiccari, minui, euaneſcere: vt intra quindecim dies nihil maligni in corpore eſſet, ſpecie omni morbi, cum ipſo, depulsâ. Ne cicatrix quidem (ô mirabile!) vſquam conſpici potuit.

CAP. XLIIII.

Vulnus incurabile curatum.

IOannes *Courteſius*, inter belli adminiſtros, Antuerpiæ domum habebat. Fortè in Campaniâ noſtrâ, ad *Hoochſtratam* arcem, in rixâ aliquâ, ictus gladio punctim fuit: idque in manu iuxta pollicem, ſed ita vt ad cubitum læſio & vis pertingeret, ac nerui plerique brachij abſcinderentur. Dum curatur, inflammatio ſuperuênit; & medicantium ſententia decretoria, brachium amitti atque abſcindi, aut vitam debere. Ille tamen mollior ad iſta, abnuere, & mortem potiùs eligere: ſed ante omnia ad Diuam Hallenſem recurrere, & votum ei vouere. Audit ab ipſo voto, & intra paucos dies ſanitatem recipit, & vires: ita vt Antuerpiam rediret, & inde Hallas iret. Ceterùm plena illa ſanitas non fuit; manus manca, & digiti tres primores rigidi, & ſine motu, manſerunt. Non impotentia hæc (nos ſcimus) numinis, ſed prouidentia fuit: & in partem venire Diuam etiam *Aſpricollem* voluit, aut potiùs idem Deus

& Diua hîc etiam reliqua beneficij ire expunctum. Venit eò, inuocat: globulos, quibus preces ſolet perſoluere, ſacerdoti offert, vt ſacram ſtatuam tangant. Dum recipit, manum laxatam videt, moueri, claudi, vt anteà, & nihil ex contractione vltrà eſſe. Prid. Nonas Iul. ∞.ↄↄc.IIII.

Cap. XLV.

Fœda facies membrorum correcta, & congenita reductio laxata.

PLVRA ſunt, & ſciens quædam omiſi: quàm multa & ipſi, qui beneficia adepti, gaudij ſui tacitâ conſcientiâ contenti, non retulerunt ad Actuarium, aut expreſſerunt? Pænè liquet, altera tanta dictis eſſe. At claudam iam (nec Diua tamen adhuc ſuum fontem:) ſed ego, inquam, claudam inſigni & nobili curatione hominis externi, quæ Belgicam famâ & admiratione ſui impleuit. Erat Bruxellæ *Ioannes Clemens*, filius *Iacobi*, Lucernæ in mediis Heluetiis natus. Sed ad hæc loca cum patre venit, quo tempore *Erneſtus Auſtriacus* præerat: ô Princeps bonus, & bono noſtro natus, ſi Deo viſum diuturnum eum hìc eſſe! Venit autem ipſe pater, in comitatu Poloni viri nobilis, *Tobiæ Metzkuæ*, cui, in peritiâ aliquâ linguarum, pro interprete eſſet. Sed enim iſte *Ioannes* à natiuitate claudus, debilis, imò mon-

ſtroſâ quâdam facie corporis fuit. Tibiæ & pedes contracti, & antrorſum verſi in pectus: ſic vt genua iniungerentur & adhæreſcerent, nec eſſet digitum aut aliud immittere, tamquam natiuâ concretione. Imò verò cauitas, & velut putei, apparuerunt ſub pectore, cùm ſanatus ille fuit. Idem in vtroque femore, & ventre imo iungebantur. Globoſum aliquod corpus diceres, nec ſtare, iacere, ambulare idoneum: ſedere tantùm, & ſedendo proſerpere, manuum aliquo nixu, quę fulcris etiam iuuabantur. Hæc deformitas patri dolori, matri etiam exitio fuerat: quę in partu obiit, cùm ventre exſecto *Cæſo* hic prodiit, triſti fato. Talis igitur, cum patre delatus inter impedimenta, variis Belgicæ locis cum eo fuit: vbique viſus, deteſtatione aut miſeratione, vt ingenium hominum erat. Pater varia tentauit, curando & corrigendo: etiam ad inclytas thermas Aquægranenſium miſit: ſed dum ibi eſt, patrem amiſit, à prædonibus interfectum. Noua calamitas. Bruxellam rediit, paternam pecuniolam conſumpſit, benignitate alienâ deinceps ſuſtentatus: ibi, Antuerpię, in ipsâ Bataujâ, Zelandiâ: nam & ad hæc loca errabundus iuit. Tamen religione tactus ad nos rediit, & ſtipe diurnâ victitauit: do-
∞. IↃCI. nec moti miſeratione aliqui ciuium, picturæ artem diſcere ſuaſerunt, & magiſtrum reppererunt. Diſcit, & inibi crebrâ famâ motus, capitur

ad

ad Diuam noſtram venire, ſi fortè & ipſe opem ac ſolatium referret. Vectus eſt curru, in Sacellum repſit, culpas confeſſione & pœnitentiâ expiauit, ſacram hoſtiam ſumpſit: & paullò pòſt angi viſus & animo collabi, item dolores in omni corpore ſentire: denique ſudor à capite ad calces diffluere. Et dum conatur egredi, atq; aëre refici, magis increuit morbus: manſitq; volens nolens totum diem in veſperam. Tunc ſollennes Diuæ laudes canebantur, & ipſe ante aram: ſentitque palàm à terrâ ſe attolli, & pedes antè contortos & ligatos laxari, deiici: idque thorace, qui velabat, per vim diſrupto: & ſtatim directus, pedibus ſuis ſtetit. Ipſe attonitus: quid alij? in tantâ mutatione, animo iterùm labi & corpore viſus; ſed erigitur, in ſede collocatur, veſtes tegendo adferuntur, & feminalia inducuntur. Vires deinde magis magiſque augeſcere: ipſæ tibię tenues & exſuccæ, carne & ſanguine impleri. Alterum autem mirum. vulnus in capite ante dies quindedim acceperat, nec id coïuerat: coïuit ſponte ipſo illo tempore, & cicatricem accepit, Hæc turbis ibi viſa, hæc Louanij cùm rediit, hæc Bruxellæ: & quis non concurrit? Audiui medicos primarios, & talium haud temerè credulos, exclamantes, *Verè hanc vim & manum Dei eſſe.* Nonis Iuliis.

CAP. XLVI.

Finis, & pro Patriâ preces.

VERE fuit, & tua ô DIVA: porrò benefica eſſe perge, & in corpore animum etiam cura. Cura illos, qui à Deo & à te verſi, priſca ſacra & ritus deſeruerunt, nouis adhæſerunt: iterùm deſerant, & tam claris ſignis moniti hîc Deum, hîc pietatem eſſe, rebus docti aſſentiantur. Et patriæ denique adflictæ, & iam extremum pænè ſuſpirantis, miſerere: quod verſu ſeriò & calidè rogamus: audi, exaudi.

DIVA, *quæ gentes hominum, ſalutis*
Exſules, partu recreas beato:
Aſtra quæ pandis, veterumq; mutas
Fata parentum.

DIVA, *quæ gaudens iterare dona*
Erigis lapſos, trepidiſq; robur
Addis, & ſeruas variis periclis
Vndique cinctos.

Clamat hoc ætas vetus, iſta clamat:
Belgica hoc HALLIS, GRVDIISQVE, *vidit,*
Et palàm iamnunc videt in propinquo
Colle SICHEMI.

Hîc tui vultus modica eſt imago,
Sed potens præſenſq; leuare noxas,
Quas neget curare vel Aeſculapi
Docta medela:

Cedit

Cedit hîc febris mala, cedit hydrops,
Claudus hîc greſſum recipit, ſonorem
Surdus admittit, radios diei
Cæcus ab ortu.
Adſtupet quiſquis videt, & ſolutâ
Voce mox laudans, precibus fatigat,
Vt ſibi cariſq́ue ſuis viciſſim
Suppetieris.
DIVA *fac nobis, miſerare Belgas:*
Quos nimis ſæuis agitat procellis
Ciuicum bellum, & minitatur ipſam
Mergere nauim.
Tu malis feſſos releua, & fauente
Pacis, indulge, recreemur aurâ:
Tunc tibi laudes, Dea, dicet omnis
Sexus & ætas.

FINIS.

APPROBATIO.

MIRA hæc Dei opera, ad inuocationem, interceſſionem, & honorem glorioſiſſimæ Virginis Mariæ facta, & iuſſu noſtro conſignata confirmataque tabulis ac teſtimoniis publicis, clariſſimi diſertiſſimique D. Iuſti Lipſij pio ſtilo elaborata, luci dentur.

Matthias Archiepiſcopus Mechlinienſis.

LIBELLVS *iſte, vt luculentam habet diuinorum operum narrationem, ita angelico elogio admodum conſentaneè proferetur in lucem:* Etenim Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt: opera autem Dei reuelare & confiteri honorificum eſt. *Tob.* 12.

Guilielmus Fabricius Nouiomagus, Apoſtolicus ac Archiducalis librorum cenſor.

R E-

REIECTIVNCVLA
SANNIONIS CVIVSDAM BATAVI.

FVIT *his diebus, Lector, neſcio quis homo nebulo (ita eſt, & nugas meras & ſordes loquitur, & id plebeiâ ſuâ linguâ) homo, inquam, nebulo qui* DIVAM *& me peteret, & conuiciorum ſtrue vtrumque oneraret. Vidi, legi, riſi, etſi in morbo atque eo ancipiti: denique atra etiam bilis mea, credo, incaluit, & hæc pauca apud te dicere vel fundere iuſſit, quãuis neglectim. Quid enim accuratè in illum opus, quem ego infra iram meam exiſtimo: iram? etiam vires, & primus dentibus (ne inuidioſum ſit) leo leporem hunc frangam. Miſer, quid facis?* * χύτρα καὶ πέτρα, *vt verbum eſt,* οὐ συμφωνεῖ: *comparem aliquem tuum quære. Et quid tamen ait noſter balathro? Primùm,* me è Batauis diſceſſiſſe. *Hoc fateor, & volui, & addam debui: cur liberum mihi non eſſet?* Aluerunt te, *inquis. Quid? ſuperuacuum, aut terræ onus? Ego profeſſionem meam tredecim annorum illis imputo, & cum humanitate litteras, & ſcientiam cum prudentiâ, ſparſa in eorum iuuentutem. Adeſte, quàm multi è diſciplinâ meâ etiamnunc fatemini? millenî, & exteros omitto.* Atqui dolo abij, & perfidiam miſcui. *De dolo agnoſco, ſed bono:*

*Olla & petra non benè congruunt.

bono: de perfidiâ, quis præter iſtas caniculas dicit? Petite à Curatoribus Academiæ, petite à Senatu Leidenſi: nemo obligatum me in diem vnum dicet. Liber & meæ ſpontis eò veni, liber & meæ ſpontis diſceſſi. Spem feci reditus, fateor: ſed ſpem, non promiſſum: & cùm in ſpadanis aquis fui, ſtatim ad eos ſuper mente aut decreto meo ſcripſi, non mutando, etſi illi aureos montes (fatendum eſt, & benignitati habeo gratiam) offerrent. Inquirite imperiti aut iuuenes, ſeniores vos docebunt. Sed altera calumnia, In religione mutaui. *Nego. in ſede veſtrâ, non in ſenſu fui: & vt in peregrinatione, corporis non animi requiem illic elegi. In tempore, vt meum ingenium eſt, quietè modeſtéq; me habui: an in ſacra aut ritus veſtros tranſiui? nec impudentia hoc dicet. Et fac feciſſe:* non ſuffundar errore *(ait Tertullianus)* quo caruiſſe delector, *& cum gaudio meliorem me recognoſcam. Bona iſta leuitas, quæ attollit & ad alta ducit. Quid deinde etiam?* In Eburones veni, & illic rem meam feci. *Dij deæq; ! obolum nemo eſt in Eburonum terrâ qui tunc mihi dederit: meum ſalem, vt ſic dicam, linxi, & valetudini ſaltem curandæ illic vixi. Humanitas tamen & comitas inuiſentium, atque etiam inuitantium, non defuit, agnoſco: & amicos habui, atque habeo: & oblata iamtunc à* SER[MO] *illo* PRINCIPE, *ad quæ nec popularium meorum benignitas acceſſit. Sed patriam ante habui: quo fine?* Ambitionis, *ait ille:* & vt

ad

ad purpuram viam mihi munirem. *O quàm rem tetigit ! ô acre & ardens meum illud votum! Non ſic Empedocles amore immortalitatis in Aetnâ, vt ego in hoc igne. Quis leget iſta ſine riſu , imò ſine iracundiâ , qui me quidem vel extremis lineis norit? Modeſtia, modeſtia eſt, quam appeto, quam præfero: & quæ ſæpè iam efferendum retinuit & repreßit. In Batauis ſigna dedi , & ſciunt amici : quid iam & olim hîc ? ſileo. Reliqua in eo ſcripto ſunt meri luſus, aut conuicia : & quibus, ita me Deus non habeo quod reponam. Quid enim ? etiam conuicia ? cum Catone profiteor :* Iniquam mihi hanc pugnam fore. Nam & malè audiunt iſti ex facili , & dicunt : mihi & dicere moleſtum eſt , & audiendi ſum inſolitus. *Et quæ etiam conuicia ? à curru , naui , ſtabulo : & quæ liberalior animus aut auris , non niſi cum nauſeâ admittat. Atque hæc primaria iſtorum ars, & velut profeßio eſt. & ſicut ſimiæ nulli bono vſui , niſi vt ſaltent , morſicent , riſum moueant : ſic noſtri iſti agyrtæ. Ego me componam?* *ὗς πρὸς ἀθηναίαν ἔριν ἤγειρε, *audacter dicam : nec linguam aut ſtilum maculo, talium vel contactu. Abite in veſtras tenebras, quibus ſolum nomen* LIPSI *præſcriptum leuiter vos extrahit , grauiùs mox deprimendos. Ego autem ſto, & fulgeo. atque vt ignis paleam exurit , aurum nitidius reddit : ſic iſtæ calumniæ vanum aut vacuum aliquem abſumant , verâ virtute grauem illuſtrant. Nos ij ſumus, cum Deo*

* Sus in Pallada certamen commouit.

K *dicimus:*

dicimus: & quidquid obijcitis, bona Famæ aura hunc cygnum leuabit, & à morte canentem etiam audietis. Hæc de me: de DIVA, *iniurius in ipſam ſim, ſi non dicam refellam, ſed repetam, quæ impudentiſsimus atque impuriſsimus tympanotriba in eam iecit. Illa viuit, videt, atque eam inuoco: vt aut cum linguâ mentem meliorem iſtis donet, ſi poteſt; aut ſi non, malos malè perdat, quod optimum iis eſt, & ne vitia & ſupplicia accumulando conſeneſcant. Satis, & nimis in iſtum, Lector: erunt alij, erunt, qui maledictis doctioribus fortaſſe protelabunt. vt proteruia & licentia eſt huius æui, quo palmam fert* *——ὃς μετὰ πᾶσιν ἐρίζεμεν ἔξοχός ἐστι. *Faciant: nos contemnimus, & cum Demoſthene decretum habemus,* *—τὰς τῶν διαβαλλόντων βλασφημίας ἔργῳ ἀπολύεσθαι. *Deus & boni fauete.*

* — qui iurgandi optimus audit.

* — calumniantium maledicta bonis factis diluere.

PRI-

PRIVILEGIVM CÆSAREVM.

RVDOLPHVS SECVNDVS diuina fauente clementia electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Wirtembergæ, &c. Comes Tirolis,&c. Noſtro & Sacri Imperij fideli dilecto IVSTO LIPSIO gratiam noſtram Cæſaream. Poſtquam inter alia,quę DEVS immortalis hominibus liberali manu dedit dona, illuſtria inprimis illa & quaſi diuina ſunt, quæ in litteris liberalibusque diſciplinis conſiſtunt, quibus ſcilicet homines non tantùm ab animalibus ceteris rationis expertibus, ſed à rudi etiam & imperito hominum vulgo ita diſtinguuntur,vt tanquam Dij quidam ſplendeſcere in terris videantur: rem ſanè præclaram ſeque dignam illi præſtant,qui diligentem iis ipſis in litteris ac diſciplinis operam ponunt; præclariſſimam verò & Reipub. vtiliſſimam,qui eas ita excolunt, vt aliorum menti docendo, ſcribendo lumina præferant, eoſque ex ignorantiæ tenebris quaſi manu educant. Quos excitare, quos amare atque animare ad dignitatis noſtræ munus, ad quod Diuino vocati beneficio, conceſſuque ſumus, inprimis pertinere exiſtimamus. Cùm itaque ab iis, quorum nobis ſpectata fides, quique iudicare de Litteris poſſint, acceperimus, inſignes te animi ingeniique tui dotes tibi à natura inſitas à primis temporibus ætatis tuæ ita litterarum ac diſciplinarum ſtudiis excoluiſſe atque exornaſſe, vt olim iuuenilibus adhuc annis præclara floreſcentis minimeque vulgaris eruditionis ſpecimina præbueris, dum obſcura in antiquis ſcriptoribus loca, quæ quædam tanquam luſtra erant, illuſtraſti, quæque in iis iniuria temporum deprauata & corrupta fuerunt, reſtituiſti, dum vetuſta Latinæ antiquitatis rudera in nouam ſubinde ſtructuram ſingulari artificio eleganter conuertiſti: ad exquiſitam adeò & raram doctrinam, quæ magnam de te apud doctos quoſque viros opinionem excitarit, perueniſſe, eamque variis abs te libris acri & graui cum iudicio ſcriptis atque in lucem editis oſtendiſſe, vt in eo quod tam feliciter tractes ſcriptionis genere paucos tibi pares hodie reperire ſit: iam verò matura te ætate virum, viro magis magiſque digna, & viris doctis grata ac Reipub. vtilia ſcribere, quæque à primis illis Romanis olim auctoribus ſcripta fuerunt, à mendis purgare, & lectiſſimos quoſque ex Muſarum hortis, in quibus aſſiduè verſeris, flores colligere, concinnare, quibus Lectores mirificè recrees, & eorum pectus ad prudentiam, probitatemque informes: haudquaquam prætermittere voluimus, quin Reipub. ad quam hæc abs te ornamenta conferuntur, cauſa, Cæſareo te noſtro elogio decorandum, & qu[a]muis per te ſatis ipſe animatus ſis, animandum magis patrocinioque noſtro defendendum pro benigna noſtra in te ſuſciperemus voluntate. Quoniam verò lucubrationibus atque operibus tuis in lucem edendis, peculiarem te eligere velle Typographum, accepimus, Diplomate hoc noſtro priuilegioque te & Typographum tuum aduerſus quorumcumque fraudem, qui lucri cauſa, quod fieri ſolet, eadem excudere aut typis imitari fortè velint, munitos cupimus. Quamobrem pro auctoritate noſtra Cæſarea decernimus, ſtatuimus, vetamusque, ne quis Typographorum, Bibliopolarum

aut aliorum, qui librariam negotiationem exercent, eos libros, quos tu editurus es, quocunque modo, charactere, aut forma, ſiue integros, ſiue aliquam eorum partem typis imitari, edere, excudere, aut venundare intra ſacri Romani Imperij, Regnorumq; ac Dominiorum noſtrorum hæreditariorum fines triginta annis proximis à primo editionis die computandis, abſque tuo tuorúmve hæredum conſenſu audeat: Hac autem lege addita, vti tria vt minimùm cuiuſque libri exemplaria, quemadmodum moris eſt, ad Imperialem noſtram Cancellariam mittantur. Si quis verò edictum hoc noſtrum tranſgredi, violare, aut contemnere deprehenſus fuerit, eum non ſolùm eiuſmodi libris, tibi, hæredibúſve tuis, auxilio Magiſtratus, vbicunq. reperti fuerint, vendicandis, priuari, ſed triginta etiam Marcharum auri puri mulcta, cuius ſemiſſis quidem Fiſci noſtri Procuratori, fraudis vindici: alter verò ſemiſſis, tibi hæredibuſve tuis pendatur, puniri volumus. Mandantes vniuerſis & ſingulis noſtris & ſacri Romani Imperij ſubditis & fidelibus dilectis, tam Eccleſiaſticis quàm Politicis, cuiuſcumque ſtatus, gradus aut ordinis extiterint, præſertim verò iis, qui in Magiſtratu conſtituti, vel ſuo vel ſuperiorum ſuorum loco aut nomine, ius dicunt, iuſtitiámve exercent, ne quemquam hoc Priuilegium noſtrum impunè violare, ſpernere aut negligere patiantur: Sed, ſi quos contumaces compererint, conſtituta à nobis mulcta, eos puniri & quibuſcumque modis coërceri curent, ni & ipſimet grauiſſimam noſtram in ſe conuertere indignationem velint. Id quod hoc Diplomate, manu noſtra ſubſcripto, & Cæſarei noſtri ſigilli impreſſione munito, confirmamus. Datum in arce noſtra Regia Pragæ, die prima menſis Auguſti; Anno Domini Milleſimo, Quingenteſimo, Nonageſimo ſecundo: Regnorum noſtrorum Romani decimo ſeptimo, Hungarici vigeſimo, & Bohemici itidem decimo ſeptimo.

Subſign.

RVDOLPHVS.

Iacobus Curtius à Senfftenaw.

Ad mandatum ſacræ Cæſareæ M^tis^ proprium.

Io. Baruitius.

Additum ſigillum Cæſ. M^tis^ in cerâ rubrâ.

SVM-

Svmma Privilegii Regis Catholici.

PHILIPPVS *Dei gratia Hiſpaniarum, &c. Rex Catholicus, diplomate ſuo ſanxit, nequis,* IVSTI LIPSI *Hiſtoriarum in alma Vniuerſitate Louanienſi Profeſſoris, & item Hiſtoriographi ſui libros quoſcumque, à Cenſoribus legitimis approbatos, præter ipſius, heredúmve eius, voluntatem, intra triginta annos à prima ſingulorum librorum editione computandos imprimat, aut alibi terrarum impreſſos, in has inferioris Germaniæ ditiones importet, venaléſve habeat. Qui ſecùs faxit, præter librorum confiſcationem triginta marcharum auri puri illatione mulctabitur. Vti latiùs patet in litteris, datis Bruxellæ,* XIV. *Febr.* M. D. XCVII.

Signat.

Verreycken.

Svmma Privilegii Regis Christianissimi.

HENRICVS *Dei gratia Galliarum & Nauarræ Rex Chriſtianiſſimus, ſingulari priuilegio ſanxit, nequis per vniuerſos Regnorum ſuorum fines,* IVSTI LIPSI, *quos vel hactenus edidit, vel in poſterum editurus eſt libros, excudere intra decennium præter voluntatem ipſius poſſit. Qui ſecùs faxit, præter librorum confiſcationem, ter mille florenorum illatione mulctabitur; vti latiùs patet in litteris, datis Pariſiis,* XIII. *Iulij,* M. DC. V.

Signat.

Perrochel.

TIbi IOANNES MORETE, pro amicitiâ quæ mihi cum Plantino (heu, quondam meo) & Plantinianis eſt ac fuit, tibi, inquam, permitto, vti hunc meum de DIVA VIRGINE ASPRICOLLI libellum typis tuis excudas ac diuulges. Nequis alibi alius præter te, cupio ſiue iubeo, ex lege quam magnus Cæſar & Reges dixerunt.


Iuſtus Lipſius.

ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
APVD IOANNEM MORETVM.
M. DC. VI.


LABORE ET CONSTANTIA

IVSTI LIPSI
LOVANIVM:
id eſt,
OPIDI ET ACADEMIÆ EIVS DESCRIPTIO.
LIBRI TRES.

Alterâ editione, quæ eſt ab vltimâ Auctoris manu, aucti & correcti.



ANTVERPIAE,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Ioannem Moretum.
cIↄ. Iↄc. x.
Cum Priuilegijs Cæſareo & duorum Regum.

ILLMO ET EXCELLMO

PRINCIPI
CAROLO,
DVCI CROYO
ET ARSCHOTANO,

S. R. I. PRINCIPI,

EQVITI AVREI VELLERIS.

LOVANIVM & HEVERLEAM, quæ deſcripſi, & quamquam nota, in maiorem notitiam & lucem protraxi, ea cui potiùs, quàm tibi Illme PRINCEPS donarem & dicarem? Scis vetus vinculum meum, & obſequij velut ſacramentum, quo obſtringor: ſed ipſa res huc etiam ducit, quid dicam

temporis huius opportunitas? De re, ecce LOVANIVM, quid niſi veteri affectu & incolatu eſt tuum? Inhabitaſti, & amaſti olim, & optimas ibi artes hauſiſti: quarum fructu ſuauiter paſceris, & aut otia temporum fallis, aut triſtitias ac curas, quæ (vt ſunt humana) interueniunt, mitigas ac ſolaris. Sicut Helena illa, apud Homerum, pharmacum habuit ac propinauit

*Νηπενθές τ' ἄχολόν τε, κακῶν τ' ἐπίληθον ἁπάντων:

*Quod luctum atque iras minuat, mala denique tollat.

tale ſunt amœniores, & magis grauiores illæ litteræ, quas Philoſophiam appellamus. Vtraſque Louanium, noſtra Helena, propinauit: & gratiam debes, ac refers; & vel HEVERLEA tua dicet. Quæ tu illîc opera ſub terrâ, & ſupra eam paraſti, aut paras? quot ædificia, vias, hortos, fontes, arboreta inſtruxiſti & adornaſti, ingenio vel effectu admiranda? Certè LOVANIVM, & in eo ſtudioſi, id

id eſt è pleraque Europâ iuuentus, obligantur, & voluptatem ac delectationem ſuam DVCI CROYO & ARSCHOTANO inſcribunt. Magne & magnanime PRINCEPS, fruere hac gloriâ: & illud à maximo Ariſtotele dictum tibi habe:

*Οὐ γὰρ εἰς ἑαυτὸν δαπανηρὸς ὁ μεγαλοπρεπὴς, ἀλλ' εἰς τὰ κοινά. *Non qui in ſe inſumit, magnificus; ſed qui in publica.

Alij in luxum, conuiuia, aleam impendunt, vt nunc ſunt mores: tu poſteritatem habes in oculis, & vix, niſi alienum fructum, in operibus tuis ſpectas. Ergo iure hæc vtraque tua TIBI offero: & offero, niſi fallor, Opportunè. Quid enim? Nuptiæ tuæ ſunt, quas Belgica noſtra fauore & plauſu proſequitur: & priuatim multi votis, quæ voce, ſcriptis, donis teſtificantur, & conſignant. Viſum idem facere, monumento quod æuum ferre poſſet, & memoriam ad poſteros propagare magnæ huius diei. Iungitur tecum ſtirpe illuſtriſſima, dotibus animi

ac corporis laudatiſſima, DOROTHEA CROYA, cognata tua: &; iungitur vinculo, quod niſi ſola mors non diſſoluit. O felicem copulam! coëunt Regum & Principum ſtemmata: & cùm vtrimque Hungariæ ſceptra fulgeant, illa etiam Hieroſolymorum adfert & miſcet. Nomen ipſum ſponſæ quanti eſt! DIVINVM DONVM: & ita accipe, magne PRINCEPS, atque è pulchrâ arbore ſtirpem ac propaginem Deum poſce. Ecce patrem eius, Ill^mum Principem CAROLVM-PHILIPPVM, Marchionem Haurechium, inter Belgicæ culmina; idem vouet, & tacitâ futuri gaudij ſpe pectus eius ſuauiter fouetur. Quid nos tui? palàm vota concipimus, eáque duplicia: TE cum TVA incolumes eſſe, & ex VTROQVE ſupereſſe, qui nomen & gloriam maiorum referant, & in natos natorum propagent. Homini-

bus

bus ſingulis breue curriculum, & mortalitas: ſtirpe & ſatione æterni fiunt. Eſtote. & conceptis verbis proferam:

DEVS ET FECVNDITAS
GENTI CROYAE
STIRPE, MERITIS, GLORIA
ILLVSTRISSIMAE,
POSTEROS IN AEVVM,
ET IN BONVM PVBLICVM,
DONATE.

Louanij ſcripſit & vouit

EXTIÆ TVAE

PP. cliens

I. LIPSIVS.

AD

AD LECTOREM.

DAMVS *aliquid ſubitarium, & ex occaſione natum, Lector, quam in Præfatione meâ vides. Hiſtoricum eſt, ſed anguſtioribus finibus clauſum, & noſtros iſtos Louanienſes vix exit. Ita nunc libuit, & decuit: alioqui fateor, eodem tenore & penè labore, Brabantiæ hiſtoriam prætexere potuiſſem. Nam initia tenebras aut ſalebras ſuas habent: reliquus curſus eſt in procliui. Quædam ab alijs, & præſertim* Petri Diuæi, *huius vrbis ciuis, & talium rerum diligentis, ſcriptis hauſi: plura meâ induſtriâ addidi, & è remotioribus etiam ſcriptoribus conduxi. Non iacto. componi vellem: ſed illud addo, pleraque omnia accuratiùs inquiſita hîc eſſe, quæ alij* * ἀ᾽ χερῶς, *& quomodocumque tradita porrò tradunt,*

* ex facili,

Securi, cadat an recto ſtet fabula talo.

Nos Veritati, nos Fidei litare, ſtudium habuimus: & vbi non liceret, inopiam profiteri, nec impuris victimis ſacrum profanare. Accipe, Lector, qualecumque hoc munus: & laborem noſtrum pietatis titulo (patriam ornatum iuimus) vel excuſa, vel quod malim ama. Ego te, & ſalue hoc natali meo quinquageſimo nono, XV. *Kal. Nouembr.* ∞. IↃC. V.

IVSTI

IVSTI LIPSI

LOVANIVM:

id eſt,

OPIDI ET ACADEMIÆ EIVS DESCRIPTIO.

LIBER PRIMVS.

CAPVT PRIMVM.

Occaſio ſermonis, & in rem præparatio.

AMBVLATIVNCVLA inſtituta nobis fuit ſereno die, menſe Sextili, ad collem vrbi vicinum: idq́ue viſendæ antiquitatis. Fama tenebat & tenet, arcem illîc veterem fuiſſe, alij à Iulianis, alij à Normannicis temporibus: cuius veſtigia exſtarent: & cupido nos ſubijt videre, & arbitrari. Feceram olim (probè memini) ante annos triginta, duce *Petro Diuæo*, qui rerum noſtratium, & quæ ad hiſtoriam veterem pertinerent, cupiens admodum ſed & ſciens erat: feceram, ſed neque attenderam valdè, & in illo æuo vnicus Romanarum rerum, in con-

temptu ferè ceterarum eram. Nam fateor hoc ſtudium meum, ſiue morbum: nihil afficiebat, præter antiqua, & noſtri aut paullò ſuperioris æui omnia, vt Barbarica & ſordentia, contemnebam. Nunc in parte mutaui iudicium: & quamquam illa immenſum præfero, tamen & hæc in ſubſeciuis habeo, & iuuat etiam maiorum noſtrorum res, ingenia, mores noſſe, & quædam ex ijs in vſum aut exemplum transferre. Ergo hac mente in collem illum iui: qui ad Orientem vrbi huic imminet, & ſubiectum *Diliam* flumen parte vnâ ad Septemtrionem habet; alterâ, verſus Auſtrum, *Loam* collem & ſiluam; antrorſus autem, interiectam vrbi planiciem, pulchram, latam, & viridarijs aut pratis peramœnam. *Keſſelium-montem* vocant: an non à *Caſtello* (quaſi *Caſtel-berch*) quod olim illîc fuit? Sic appâret, nec aliud reperio: ſed ad rem, illuc iuimus, & comites fuerunt quattuor è ſtudiosâ noſtrâ iuuentute ſelecti. Miniſtrum meum addo: & quid omitto? canes meos maiores duos, qui auidè ſunt affectati, aut præcurrerunt, vt feruor & ingenium illorum amat. *Mopſulus* meus domi ſeruauit: nec ille viſus, corpore paruo, ætate grandiuſculâ, ad longiuſculum hoc iter eſſe. Nec mei quidem volebant me, niſi equitem, ire: ſed libuit vires poſt morbum experiri, & montana illa ac prærupta equo non faciebant. Ergo iuimus: in viâ è meis vnus; Lipſi, ab exteris ego venio, & è Batauiâ recèns: quàm iuuaret ſcire de Louanio veſtro vlteriora paullò & veteriora! Louanio, quod famâ ſic diffuſum eſt; Louanio, quod mœnibus etiam & ambitu ſic magnum. Et fuitne res tanta? an verum eſt, famam in maius omnia ferre: & maius hîc nihil, quàm

quod

quod oculis vſurpamus, affirmandum? LIPS. Imò affirmandum. ſcitote Louanium rem inſignem, rem hiſtoriâ & notitiâ dignam fuiſſe: ſed fuiſſe, & fato rerum humanarum huc redactum. Quid enim nunc, niſi vos pauci ſtudioſi, ſuſtinetis? Pauci, ſi meum adoleſcentiæ æuum video: & ante annos trigintaſeptem, ſcio ad ſeptena aut octona millia eorum, qui Muſis operabantur, domicilium hîc habuiſſe. Pulcher aſpectus! cùm Bataui, Friſij, Menapij, vlteriores Germani, & magna nobilitas occurreret: cùm Galli, Britanni, Hiſpani, Itali, & è longinquis etiam gentibus Europæ. Hæc nos vidimus, & mixti ijs fuimus: nunc, *Heu*! neque aliud, quàm *Heu*, dico. AVD. At Lipſi, bone doctor, quin tu inter ambulandum paullò altiùs repetita hæc nos edoces: & tempus viamque fallimus delectabili ſermone? LIPS. Licet. nam amo locum, eiuſque memoriam cupio ire propagatum. quídni? veteris meæ parentis, & pænè patriæ: quoniam & *Iſca* mea hanc dominam & velut matrem vrbem agnoſcit: & maiores etiam mei quidam originem iſtinc ducunt. Vt hæc non ſint; Muſæ & illæ artes, quas colimus, hîc locum habent: & noſipſi quot iam annos aut diſcimus hîc, aut docemus? Certè adficior, & illuſtrare opidum ingenio, ſtilo, voce capior: & iam audite. Nam ordior. vos ingeniorum Muſæ præſides, tu mater earum Memoria, adſpirate, & per obliqua aut oblîta æui euntem ducite, & in tenebris prælucete. Tenebris, quas paucitati ſcriptorum aſſignamus: & malo fato, neque noſtrâ neque aliâ linguâ, res maiorum curioſè aut fideliter proditæ; & pauca quæ exſtant, fabulis aut ludibrijs aſperſa, melior mens non admittit.

Vulgus probat, imò iactat, ſcio: & ab Hectore & Phrygibus, aut Romanis, ſiue etiam Scotis, petimur; & ſeries deinde texitur: dij deæque, quàm non vana ſolùm, ſed ridicula! & pueri, qui fari incipiunt, aſpernentur. Itaque talia ne exſpectate: vera & ſeria amamus; & vbi ea deſunt, ſilere aut opinari.

CAP. II.

De æuo & nomine Louanij, reiectæ opinationes leues, aut fabellæ.

*Valdè celebrem

VENIAMVS ergo ad inclytam hanc, & Homeri verbo * ἀριδείκετον vrbem: à capite inquiramus. *Quando*, *Quanta*, *Qualis* fuerit: & diſtinctè de Æuo, Magnitudine eius, & Progreſſu aut Regreſſu dicamus. Hi limites ſermonis noſtri erunt: non excedam: ordinem amo: ſi facio, reprehendite me, & intra metas coërcete. AVD. Certè ordinem amas, gloriari potes: & eâ re palmam non aufert hæc, fortaſſe nec prior ætas. LIPS. Tu amanter, vt ſoles: ſed *baccare frontem mihi cinge*: nos pergamus. Quæſiui, *Quando*? & hanc inter primas laudes opida ſibi vindicant, antiquitatem & æuum habere. An noſtrum Louanium? Si nomen hoc vides, non opinor: perantiquum non eſt. ſi quorumdam ſenſum aut opinationes; Cæſarem & Romanos licet iactare. *Grudios* ille memorat: ecce ſunt, qui Louanienſes interpretentur. AVD. Bonâ veniâ. non ſunt illi, minimè gentium: & Brugenſes iam ſibi varijs argumentis adſumpſerunt. LIPS. Per me habeant: vtrumque opidum amo, & vtraſque, vt olim appellaui, Belgicæ noſtræ

ſtræ Athenas. Sed mihi crede, neque hîc neque ibi firmitas eſt: ventuli opinionum ſunt, quibus nimis indulgent, & ferri ſe ijs patiuntur ingenia quædam huius æui. Conuenit in illos hoc magni vatis:

* —— ψεύδεα πολλὰ λέγειν, ἐτύμοισιν ὁμοῖα.

* dicere vana haud abſona veris.

AVD. At alia opinio veracior, *Leuacos* Cæſaris eſſe: & magis, ſi *Louacos* ſcribas. Quid caput moues? LIPS. Etiam abnuo. Ecce *Leuacos* noſtros finitimos, *Levvenſes* eſſe, nónne vero, certè verbo, propiùs aſſidet? Quis autem feret te aut alium, pro arbitrio reſcribentem? Dicamus, quod res eſt: ignota hæc eſſe, & Æui caligine quâdam inuoluta, aut ſepulta. At ipſum *Louanij* nomen ſatis priſcum eſt: & inuenio ante annos circiter DCCXX. *Reginoni* nominatum. Quin vetuſtius tamen fuerit, vix ambigo: ſed firmo teſtimonio (quod ad opidum quidem attinet) aut de ſcripto, aliam tabellam vix licet proferre. AVD. Imò alia teſtimonia. Annales noſtri habent, *centum ſexaginta* ante Chriſtum natũ annis, *Lupum* quemdam Scotorum dynaſtam ſiue regulum, hoc opidum condidiſſe, & nomen à ſe indidiſſe. LIPS. Qui Annales? illíne plebeij & triti, quos pleroſque (& initia præſertim) ſomniculoſa anus condidiſſe videatur? Da veniã rem dicenti: ſunt hæc * παίδων ἀθύρματα, & verè * ἀδρανέοντες ὄνειροι. Atquin etiam hoc audiendum eſt, Lupum iſtum nomen à ſe dediſſe opido, & *Lupoſinam* appellaſſe: quod Galliſſantes *Lou-ſin* mox dixerunt. O bellaria! diripiamus. Nugæ, nugæ, ſine capite, ſine auctore: tam herclè quàm illud, tempore Iulij Cæſaris templum *Veſtæ* hîc fuiſſe, ipſo loco (viden' quàm ſignatè?) vbi nunc *Diui Michaelis* eſt: & quia ibi laudes dijs ſolent dicere, quod no-

* Luſus puerorum, * Somnia tenuia.

ſtrâ linguâ *Louen* eſt, *Louanium* appellatum. Quid tibi dicam? piget vel tangere, quæ alij amplectuntur: & quis huic narratiunculæ color? Scilicet templum Veſtæ in opidi portâ ſolent condere: (nam ita ibi eſt) aut laudare deos tantùm in Veſtę. Quòd ſi alibi, & in alijs opidis: cur hæc nomenclatura hîc eximia? At ego nugas ago, cùm refello: de re cenſeo. Louaninm, quod nunc compâret, ſub illa Normannica tempora atque annos qui in Regi-none, conditum fuiſſe: (mox videbimus) nomē autem ab ipſo ſitu, linguâ noſtrâ inditum olim tractui huic eſſe. Eſt ad Orientem, quò nunc imus, ex aduerſo ecce collis & ſilua iſta: quam *Lo* etiamnunc vocant, & *Lo-bergh*, & *Lo-boſch*: eſt & ſubiecta iſta pulcherrima planicies, ad flumē, quam vetus lingua *Vên* dixit. Inde *Venæ* Batauorum etiam hodie, vnde ceſpes ille vſtibilis eruitur: & ſuperioribus annis, certò comperi in pratis hîc Martiniēſium, quæ vocamus, idem genus eductum. Ergo *Louanium*, ſiue vt vulgata & vera vox eſt, *Louen*: dictum quaſi *Lo-uen*, humida planicies iſta *Loæ* ſubiecta. Latini* *Louanium* fecerunt, Gallicam magis pronunciationem *Louuain* ſecuti: & nos retinemus. etſi in priſcis diplomatibus aut libris, mutato genere, *Louaniam* plerumque legi. Neque aliter ſanè [1] Thomas Cantipratanus, qui ante trecentos quinquaginta circiter annos hîc vixit, ſcripſitque. Virum perdoctum etiam noui, qui in ſuis ad me litteris ſemper *Lovvanium*, duplici *vv*. ſcribit: ſed quâ cauſſâ, & an cauſſâ, fateor me ignorare.

* Verius *Louenium*

NOTA.

1. Thomas Cantipratanus inter diſcipulos Alberti Magni, atque ordinis eiuſdem ſiue cœtus, obijt anno ∞ CCLXIII. Scripſit de

de Apibus myſticis varium & iucundum opus, ſalubribus monitis exemplisque refertum: ſunt & qui Ariſtotelis verſionem veterem, quæ in ſcholis obtinet, illi eant adſcriptum.

CAP. III.

Conditus opidi ad Normannica tempora relatus: & de iis igitur prædictum, & immani tunc vaſtitate.

DE nomine, hoc ſcio: de primo conditu, diuinum oporteat eſſe, qui certò dicat. Illud habeo aſſerere, Normannicis illis temporibus clarum fuiſſe, aut certè inclaruiſſe: & maximè à ſtrage, quam piratica & prędatoria ea gens ingentem & memorabilem hîc eſt paſſa. Res ita habet. Normanni, colluuies hominum, à Septemtrionis oris, itemque viciniore Germaniâ, exigua primò manus, mox pro ſucceſſu auctis viribus, ingentes claſſes, multa hominum millia, per annos aliquot, imò ſæcula, in Galliam, Britanniam, Italiam, Siciliam, Græciam ipſam immiſerunt. Incredibile dictu eſt, quas clades dederint: & Gothi, Hunni, Vandali, modeſtiæ laudem habeant (ſi quis comparat) præ iſtorum rapinâ, cæde, flammâ. Horror me tenet, fateor, recolentem: & priores illi Barbari impetu valuerunt, & velut fulmen percuſſerunt, abierunt; iſti iterarunt, redierunt, & repetitis tamquam ictibus Europam, irâ quâdam Numinis, non dicam afflixerunt, ſed perdiderunt. Prima origo à *Saxonibus*, qui claſſibus littora infeſtarunt, iamtum à *Conſtantini* temporibus: & ſcriptore sab eo ęuo, aut infrà, meminerũt. Iidem iuſto exercitu Britannias inuaſerunt, ceperunt, tenuerunt: deniq; mox Normanni in vicem locumque veniunt, & ab anno Anno Christi, CCCCXLVII.

Chri-

Chriſtiano DCCC. auditum hoc nomen & formidatum. *Caroli Magni* imperio primùm innotuêre, & nihil vim aut magnitudinem viri reueriti, Galliæ & Germaniæ limitem inuaſerunt. Sed primò limitem: mox per fluuiorum ora ſe inſinuantes, ipſa penetralia petiuerũt florentiſſimarum regionum. Quod maximè accidit *Caroli Calui* imperio, circa annum DCCCXLVI. cùm *Godefridus* eorum rex in Friſiam appulit, claſſe ducentarum nauium: prœlijs aliquot incolas & accolas vicit: ac denique vectigalis nomine *centum viginti argenti libras* accipiunt, & in annos paciſcuntur. *Friſiam* autem latè illa ætas appellat, & Hollandiam ipſam (obſeruaui) includit. Nam & *Rineburga* & *Fladertinga*, Friſiæ (ſiue, vt ipſi, *Freſia*) vrbes memorantur. Atque hæc vaſtatio viginti annos tenuit: cùm domum reuerſi, ciuili factione & bellis diſ-
Anno DCCCLXVI. tinentur: non tamen in longum: iterumque Galliam repetunt, atque *oram Ligeris fluminis occupantes, Nannetenſem, Andegauenſem, Pictauenſem, Turonicam prouinciam crudeliter ſunt depopulati*. Ita Regino & Sigebertus: & vidéſne florentiſſima Galliarum attrita? atque illinc in Germaniam auſi, à *Ludouico Secundo* Imp. repulſi ſunt, ſed non cæſi aut fracti. Nam ecce iterùm mox in Galliam, & *duo ſimul reges* (verba Regino-
Anno DCCCLXXXII. nis dabo) *Godefridus & Sigefridus, cum* INÆSTIMABILI MVLTITVDINE *peditum & equitum aduenêre*. Peruagati deinde ſunt (è Sigeberto aſſumo) *Franciam & Lotharingiam, Ambianum, Atrebates, Corbeiam, Camaracum, Taruennam, fines Morinorum, Menapiorum, Brachatenſium, omnémque circa Scaldim fluuium terram. Inde VValam fluuium ingreſſi, totam Batauiam,*
pala-

palatium etiam Neomagi (ingentis magnitudinis, ait Regino, *miriq; operis) incendunt.* Heu cladem! & vis metiri? metire animo maximas & pulcherrimas regiones. Breui ſermone hæc dicuntur, & tranſeuntur: ſed attenta miſerationem habent, & ſtuporem. Neque etiam finis. *Per Moſam mox aſcendunt, & Leodicum, Traiectum, Tungros, Coloniam Agrippinam, Bonnam, cum adiacentibus caſtellis comburunt. Aquis in palatio equos ſtabulantur, & palatiũ incendunt: prætereà monaſterium Stabulaus, Malmundarium, Indam, Pruniam.* Hæc ita Sigebertus: Regino & alij addunt, *combuſtum Tulpiacum, Iuliacum, Noueſium,* alia minora. Et modicâ quiete ſumptâ, anno ſequenti Moſellâ flumine ſubuecti, *Treuerim incendunt, & Metim vſq; perueniunt, ibiq́; prœlio vincunt, & Epiſcopum occidunt.* Bone Deus, quod flagellum, imò quam procellam iræ tuæ in Europam immiſiſti? neque alia exſequor: iuiſſe in Italiam, Siciliam, Græciam, & Byzantium ipſum.

N O T A.

1. Menapij, quos alij *Menapiſcos,* & *Pagum* item *Menapiſcum* ſcribunt, fuere ſupra Morinos, id eſt, ſuperiora Flandriæ tenuerunt. Orti ab illis Cæſaris Menapijs videntur, & migratione huc veniſſe.

C A P. I I I I.

Louanij Normanni fuerunt, ſederunt, & graui ibi prœlio attriti, aut deleti.

AD rem meam & inſtitutum apto. Illi igitur, anno pòſt, *Franciam repetentes* (ait Regino) * *Sonum fluuium* *Hodie *Somona*: in ſ..dis, *Somna.*

fluuium intrant, ibíque conſederunt. Et poſt multas incurſiones, à Carlomanno, rege Francorum, duodecim millia argenti probati pondo, pro tributo, exigunt: & ſic in duodecim annos pacem promittentes, mare repetunt. Ecce pactionem: etiámne pacem? non fuit: & ô perfidiam! Pecuniâ illâ, alijſque muneribus acceptis, ſtatim poſt annum, mortuo Carlomanno, redeunt: cauillati, *ſe cum rege Francorum, non etiam cum Francis fœdus pepigiſſe.* Atque ita, vt ad noſtra iam veniamus, *à Sono exeunt* (ait Regino) *& in regnum Lotharij rurſus reuertentes, in loco, qui dicitur* LOVEN, *caſtra metati ſunt: & continuis infeſtationibus vtraque regna fatigant.* Quæ vtraque? Galliæ, & Lotharingiæ: quæ iam auulſa erat, vt in loco dicemus. AVD. Satis hæc mihi mira: quippe piratas, & nauibus aduenisse eos facis: & tamen narrationes tuæ ad penetralia terrarum ducunt. Sanè Louanium noſtrum ſatis longinquum à mari eſt: quid *Treuiri*, *Atrebates*, *Camaracum*, & quæ narraſti? LIPS. Et verè narraui: ſed tetigi obiter & prædixi (parùm à te obſeruatum) fluminibus ſe inſinuaſſe, atque ita ad vlteriora & interiora veniſſe. Præſumendum igitur, magnas minoreſque naues habuiſſe: atque illis in ſtatione alibi relictis, his minoribus aſcendiſſe, & quæ etiam tuta ab eâ peſte videbantur, vaſtaſſe. Sic Louanium nunc veniſſe: etſi Dilia noſter grandiorum nauium non eſt tolerans, ſed modicas tamen admittit. Ergo iam Louanij ſunt, & hærent. placuit amœniſſima planicies, & in ambitu agri fertiles: nec procul Scaldis & mare, ad quod in diſcrimine recurrant. Miſit quidem in eos exercitum *Carolus Craſſus* Imp.

Anno DCCCLXXXV.

ſed,

ſed, præter dedecus, nihil retulit: atque ipſi animo auctiores, biennio pòſt *à Louanio exeuntes* (iterùm Regino) *Sequanam ingrediuntur, & Pariſios obſidione cingunt*. Mittit & tunc Imp. *Henricum Ducem*, cum valido exercitu: ſed illi aſtu militari, foſſas leui ſtipulâ & terrâ integunt, & Henricum neſcium præcipitant, turbant, cædunt. Denique poſt annuam ferè obſidionem, argento accepto, abeunt: pars in *Normanniam, quam ad incolendum à rege accepit*; pars aliò delapſi, & hoſtiliter *Burgundiam, Senones, Trecas vrbem incendunt, & Virdunum ac Tullum vſque omnia populantur*. Videtis per florentiſſimi regni membra, & ipſa, vt ſic dicam, vitalia, graſſari Barbaros? Pergunt etiam, & Britanniam atque Aremoricos petunt: ſed repulſi, *duodecim millia ſuorum amittunt*. Ita Lotharingiam noſtram iterùm repetunt, Anno DCCCXCV. & circa Moſam fluuium, obuijs Arnulphi Imperatoris copijs, *cùm torrentem qui dicitur Gulid tranſiſſent, ſubſtiterunt*. Ingens ibi pugna, ſed Barbaris pro meliore fuit: & cadit inter alios *Sundolchus* (quibuſdam *Sundaroldus*) Archiepiſcopus Moguntinus; cadit & *Arnulphus* Comes, limitis Præfectus; & ex alijs multa millia. AVD. Ne graue ſit, quis ille *Gulid* torrens? & iuuet noſſe à clade iſtâ memorabilem, nec longinquum nobis locum. LIPS. Haud liquidò dicam. ſuſpicor eſſe in *Falckenburgenſi* tractu, paullò infra *Traiectum* opidum: vbi *Vll* riuus cernitur, & quà Moſâ excipitur, pagus qui [1] *Guel* nomen etiamnunc habet. Eſt & *Guelpen* in viciniâ riuus, & pagus: veſtigia illius nomenclaturæ. Sanè Regino paullò pòſt, *Guliæ locum* etiam dixit. Sed iam adeſte, & tot iſtis triſtibus lętiora ſubnectamus. Arnulphus enim

Imp. ſeriò iam excîtus, & de ſalute non de dignitate ſolùm anxius, pace cum Sclauis Morauiſque factâ, *vires vtriuſque regni* (Germaniæ & Galliæ) *contrahit*, & ipſe approperat, ſuo ductu rem geſturus. *Quod illi cernentes* (Reginonem recito) *ſuper fluuium, qui Thilia dicitur, ligno & terræ congerie, more ſolito ſe communiunt: & cachinnis & exprobrationibus agmina laceſſunt, ingeminantes vt memorarentur Guliæ, turpisq; ibi fugæ.* Hæc & in Fuldenſibus Annalibus reperio, ſed corrupta, his verbis: *Normanni, deuaſtatâ ex maximâ parte regni Hlotarici regione, prope fluuium* * *Clyla, loco qui dicitur* * *Louonnium, ſepibus (more eorum) munitione ſeptâ, ſecuri conſederunt*. Facile ea ad verum dirigere: nos ad pugnam & victoriam eamus. Imperator enim, propinquo diſcrimine, ſuos excitat: iniurias illorum, atque impia facta, commemorat. *Nam cui ſexui, ordini, ætati tot annos, in tot regionibus, peperciſſe? non ſenibus, non pueris, non ſacrati ordinis viris fæminiſque: quos viles ad prædam, ludibrio mactaſſent. Immanes*, inquit, *belluas, non homines, niſi à facie, videtis. Nihil auaritiæ, nihil libidini, nihil ſæuitiæ exceptum: nec imperium aut gloriam, prædam ſuam & alienum exitium quærunt tantùm. Et hominum dico? tectorum & ædium: templorum etiam, & contemptu religionis in Diuos ipſos ferrum ignémque capiunt, & graſſantur. Exardeſcite. & dolorem veſtrum in vltionem, iram in virtutem conferte. Agite Dei hominúmque cauſſam, & pulcherrimum titulum induite, Orbis terrarum defenſores. En robora hîc Germaniæ, & Galliæ; quidquid virium aut ſpei eſt, in manibus veſtris poſuimus: has exſerite, viros oſtendite,*

* Vult *Diliam* dicere.
* Eſt *Louanium*.

dite, victores olim & nuper tot gentium, & noui imperij conditores. Pacem aut pacta cum hac latronum & ſacrilegorum colluuie nemo cogitet: vincendum, aut moriendum eſt: & vincetis, ſi perſuaſi eritis mori. Iterùm dico, VINCETIS, *& in hoc omine ſigna canant.* Dixerat Imperator apud alacrem iam inſtinctumque exercitum: & quia hoſtes flumine aut palude claudebantur, nec in equis facile eos aggredi; omnes clamant equos dimittendos, hoſtem in receſſu ac latebris ſuis quærendum inuadendumque: & faciunt. Nec illi ſegniùs pro ſalute arma expediunt, ordines inſtruunt, ſubſidijs firmant; tot prœlijs & victorijs docti, vel feroces. Concurritur, impellunt & impelluntur; cædes, gemitus, clamor miſcentur; & ambigebat etiam Victoria, donec *Deo vires cælitus adminiſtrante, vſque ad internecionem ferro hoſtes cæduntur: ita vt ex* INNVMERABILI *multitudine, vix reſiduus eſſet, qui ad claſſem nuncium reportaret.* Hæc Regino, quem libenter aduoco, haud longè nimis ab eâ ætate remotum. Sed & Fuldenſe Chronicum quædam ſuppeditat, ſcribitque in fugâ pleroſque flumine merſos, *ita vt cadaueribus interceptus alueus, ſiccus appareret.* Cæſos etiam *duos eorum reges, Sigefridum & Godefridum*; *regia ſigna* XVI. *ablata, & in Baioariam, teſtimonium victoriæ, tranſmiſſa.* Addit & illud mirum, *à parte Chriſtianorum* VNVM *tantùm hominem occiſum, ídque compertum* affirmat. Quid Helmoldus cognomento Presbyter? *Centum millibus paganorum proſtratis in bello, vix* VNVS *de Chriſtianis cecidiſſe repertus eſt.* Quem Helmoldum ante annos circiter CCCC. in Germaniâ ſcitote ſcripſiſſe: & ex eo

Lib. I. Chron. cap. VII.

obſeruate de C. *millibus* (alij XCV. numerant) occiſis. Egregia victoria, & quæ furorem Barbaricum non repreſſit ſolùm, ſed exſtinxit.

NOTA.

1. *Guel nomen*] Neque enim ipſum *Juliacum* eſſe arbitror (quod olim amicum video ſentire) etſi nomen alludit. Nam ex Reginone, ad ipſum Moſam hæc geſta, à quo diſſidet ſanè id opidum.

CAP. V.

Diei eius lætitia, & nunc etiam memoria. Initium interioris opidi, & poſteà portarum è lapide, ac murorum.

AVD. Certè egregia victoria: & ô felix Louanium, in cuius finibus ea parta! LIPS. Imò in oculis eius, & pænè dicam noſtris, parta. Videtíſne planiciem iſtam ad ſiniſtram, Diliam verſus, quæ montem *Keſſelium* (quò nunc imus) interiacet, & *Arſchotanam* portam? Prata ſunt, & quædam etiamnunc paluſtria: ego nihil ambigo in eoipſo loco pugnam hanc pugnatam. Sanè porta ea ab antiquo dicta, [1] *Duilach-poorte*: ſiue à paluſtribus (*Doy-laeghe* nos ſic appellamus) ſiue à mortuis, *Doo-laeghe*. & quòd cæſi ibi ſepulti. Victoriæ quidem eius illuſtris memoria hodieque agitur, ſed non omnibus gnara aut obſeruata. Nam dies ille feſti publici, qui nunc inſtat, Kalendis Septembribus, quem Supplicatione annuâ, ludis, conuiuijs, lætitiaque celebramus, originem iſtam habet: & monumentum eſt feliciſſimæ illius pugnæ. Hoc Annales dicti Fuldenſes mihi aſſerunt, & diem hunc celebrem, auctore ipſo Arnulpho, probant. *Eodem in lo-*

in loco, inquiunt (vbi pugnatum) *die .... Kal. Leitanias rex celebrari præcepit: & ipſe, cum omni exercitu, laudes Deo canendo* PROCESSIT, *qui talem victoriam ſuis tribuit.* Habetis *Leitanias* & preces, habetis *Proceſſionem*: quæ pius Princeps pro militari triumpho vſurpauit, & diem eumdem poſteris ſacrauit. Quem diem? in Chronico deficit, & lacuna eſt: ſed facilè ſupplebitur, *die Septembr. Kalendarum*. Nam ſic res fuit, & memoria nunc manet. Atque hæc igitur (vt in argumenti mei lineam redeam) prima Louanij mentio eſt: neque opidi tamen, ſed loci. Obſeruate Reginonis verba: *in loco, qui dicitur Louen:* & potuit ipſa planicies aut tractus ſic dici. Potuerunt & domus paucæ, aut vicus eſſe, more veterum Germanorum: de opido ſanè aut caſtro, nihil etiam lectũ. Et vultis ſententiam meam promam? Opinor ab hac victoriâ, & à Normannorum iſtîc ſeſſione, Louanio ortum, aut certè frequentiam datam. Nam manſerũt, vt in opportuno loco, per annos circiter vndecim; ſi pugna iſta fuit anno DCCCXCV. vt Sigebertus atque alij numerant: aut octo, ſi anno DCCCXCII. vt quidam. Quomodocumque; probabile, imò verum eſt, quòd ſeſe tanto illo tempore munierint, ædes aut tabernacula ſtruxerint, ſibi receptaculum & ſuis prædis. Hoc diſertim in Reginonis verbis erat, ſi attendiſtis: *Ligno & terræ congerie* munitos fuiſſe: hoc in Fuldenſi Chronico, *ſepibus munitionem ſepſiſſe*. Intelligunt vallum feciſſe, more inferioris æui; terrâ infrà, supernè ſudibus infixis firmatum. Atque ego hoc initium opidi fuiſſe arbitror: & confluxiſſe ad felicem locum, & victoriâ recenti inſignem, plures accolas aut aduenas, & caſtra illa in vrbem vertiſſe. AVD. Víſne ergo interius

iſtud

iſtud opidum (nam de exteriore aliud eſt) Normannica illa caſtra & munitionem fuiſſe? Lips. Hoc volo. quid ergo? inquies. etiámne Portæ, & muri iſti ſunt ab illis? Hoc nolo. imò de muris conſtat ex archiuis vrbicis (etſi pauca talia ibi notantur) conſtat, inquam, è lapide primùm ſtructos anno ∞. C. LVI. quod fuit *Godofredo Tertio* Duce noſtro imperante. Diu herclè poſt Normannos: & eouſque è terrâ aut ligno manſiſſe. Quid Portæ? palàm vetuſtioris operis ſunt, & facilè ſexcenteſimum, aut vltrà, annum (ſiquid mei iudicij eſt) æquant. Inſpicite. & præſertim illam quæ* *Lupina* dicitur, domui meæ vicinam; illam *Sancto-Quintinianam*; illam *Michaëlinam:* manifeſta veſtigia æui & antiquitatis præ ſe ferunt. quod idem in reliquis etiam (credo octo eſſe:) ſiquis examinat, & à fundamentis curioſè luſtrat. Nam ſuperiùs, nouella manus ſæpè interuênit, & per partes, cùm labi cœperunt, ſunt inſtauratæ. Avd. Sanè de *Lupinâ*, veterem addico: & ſunt qui eam quoque trahant in argumentum *Lupi* illius conditoris. Lips. Gerræ. Lupi duo inſculpti, etſi nunc exoleſcentes, comparent, cum viro aliquo, ſiue Deo medio: & ſunt qui Martem fuiſſe opinentur. Tempus exêdit, neque lapis firmiſſimus eſt contra eius cælique iniurias: & ideò haud liquidò diſcernamus. Ceterùm reliquæ, duæ præſertim quas prædixi, nihil antiquitate huic cedûnt. Quid tu Rubeni? nam dicturire aliquid videris. Avd. De lupis illis inſculptis, cauſſam requiro. Lips. Apollo ego ſum? & vis diuinem? Potuit fortuitum aliquid eſſe: & lupus aut lupi eo loci capti, ſiue interfecti. Potuit inſigne eſſe Martialis gentis: potuit & ab arbitrio ſculptoris ornamentum

* *VVolff-poorte.*

mentum aut parergon apponi. Quid etiam? Dei illius (ſiue Mars, ſiue Faunus potiùs capripes fuit, vt mihi videtur) comites atque aſſeclas liceat cenſere. Nam in iſtis trepido pede imus:

Quale per incertam lunam, ſub luce malignâ,
Eſt iter in ſiluis. vbi cælum condidit vmbrâ
Iupiter, & rebus nox abſtulit atra colorem.

Vnum illud ſcio, primum opidum ſine muris, ſine lapideis portis fuiſſe: & has tamen ante illos ſtructas: quid ita? quia maioris ſcilicet vſus, & pænè neceſſarij ſunt, ad claudendum, ad reſerandum. AVD. At ſatis mirum, tam ſerotinos muros circumiectos. LIPS. Non mirum. maiores noſtri non ſic curioſi, aut politi: neque Italiam cogita, aut Romanos. Adſpice vicinum iſtud & vetus *Leodicum:* neque id quidem muros habuit, niſi à ſexcentis paullò ampliùs annis. Sigebertus: *Anno* DCCCCLXX. *Rogerus ordinatur Epiſcopus Leodicenſium. hic muro vrbem circumcinxit, & ædificijs honeſtauit.*

NOTA.

1. *Duilach-poorte.*] Aliquid conijciens & ambigens dico. Sed addo, poſſe videri dictum quaſi *D'Wtlaege-poorte:* quia fluuio ibi grandi & coëunte, merces exponuntur & imponuntur: quod hodieque obtinet.

2. *Lupinâ.*] Quam audio, in ſchidis quibuſdam, *Portam Priapi* dici: quaſi illi imago inſculpta ſit eius Dei. Sed audio, non etiam vidi.

CAP. VI.

De Arce ſiue Burgo, non videri perantiquam: nec niſi Comitum domicilium fuiſſe.

OPIDI igitur hæc origo: quæ *Burgi*, vt vocamus, ſiue Arcis? Nam ea extra vetus hoc Louanium eſt, in colle qui flumini imminet, ad Septemtrionem obuerſa. *Julium Cæſarem* auctorem inſcribunt, ſcio, & indignentur abnuenti: tamen ego, vt Æneas, has vmbras opinionum gladio rationis diuerberem, & leui ictu fugem. Cæſarem hîc fuiſſe, non equidem eo negatum: quis dicit caſtra aut præſidium habuiſſe? quis arcem condidiſſe? Ipſa ſtructura ſcilicet! quæ adeò Iuliani aut Romani operis non eſt, vt vix Barbarici vllius vetuſti. Sunt in parte occiduâ muri, fateor, lapides aliqui exeſi, attriti: ſed ne imponant, & antiquitatem perſuadeāt, ex illo fragili genere, arenoſo, cinericio aut ſubruffo, & quod in puluerem ex facili ſoluatur. Non ſunt, inquam, ferendo æuo. Enimuerò ſiquis in Italiâ aut prouincijs antiqua opera vidit; primo adſpectu iſtud deſpuet: rude, vile, informe, & vt iterùm dicam, Barbaricæ ac nouitiæ ſtructuræ. Videtur tamen meminiſſe eius ante annos ferè quingentos Sigebertus: *Anno*, inquit, ∞. C. XII. *Henricus Imp. Godefridum Ducem cum exercitu in fines Bratuſpantium mittit, ad obſidendum caſtrum Louanium: ſed inefficax redijt*. Hoc ſcimus fuiſſe tempore *Lamberti* noſtri, primi Comitis: ſed cur de Arce magis, quàm opido accipiunt? Ego de iſto. & ſcio ſæpè *Caſtra* ab illius æui ſcriptoribus nominari ipſa opida (quia Caſtrorum militarium

rium ritu, vallo & foſſis clauſa:) arces autem, *Caſtella.* Ita *Caſtrum Antuerpiam, Gandam, Valentianas*, atque alia lego. Arcem igitur iſtam, ſiquis meum ſenſum quærit, cenſeo à Comitibus noſtris ante quadringentos aut circiter annos ſtructam, ſibi domicilium: vt ſolent illâ tempeſtate libenter in edito ædificare, & habitare. Argumentum, quòd *Henricum Primum* Comitem Annales tradunt *in Arce interfectum*. Ergo in eâ agebat: atque etiam abſens *Burggrauium* (ſic vocabant; id eſt, *Arcis-comitem*, ſiue Præfectum) habebat, qui vice ſuâ incoleret & curaret. Lego inſtauratum hoc ædificium, publico Senatus huius decreto & ſumptu, anno ∞. CCC. LXXV. atque ea eſt, quam nunc videtis. O antiquitatem! rideamus. Quid autem anteà fuerit, liquidò neſcio: maius aut elegantius ſuſpicari vix poſſum, etſi in æſtimatione locus habitus, quia vetuſta ſcilicet Comitum ſedes. Itaque & liberos ſuos ferè hîc locabant, & alebant: etſi alibi iam, aucto imperio, domicilium ſuum haberent. Quod ad inferiora tempora obſeruatum, *Carolus* noſter *Quintus* dicet: qui cum ſororibus ſuis puer hîc eſt educatus. Lego & exteros Principes, ſiqui aduenirent, metationem accepiſſe, & velut per honorem in veteri Aulâ collocatos. Sic *Eduardus* ille, rex Angliæ, qui *Philippo* Galliæ bellum fecit, cùm in Belgicam veniſſet, ſocietatem & auxilia rogaturus; cum vxore totam hiemem in Arce egit. Et verò proſpectus circùm pulcherrimus eſt, aër etiam purus & ſalutaris. Puteus in eâ miræ profunditatis: egregium opus, & quod vnum ibi notes.

Anno ∞. CCC.XXXVIII.

CAP. VII.

Opidi exterioris initium, mœnium operoſitas & magnitudo.

QVID iam? de Exteriore etiam opido requiritis? neque illud antiquum eſſe, ſed æuo pòſt, alteri circùmiectum, oculi ſtatim affirmant. Scilicet vetus illud Louanium florere cœpit opibus viriſque, & auctâ deinde per lanificium maximè multitudine, opus fuit pomœrium producere, & vaſtum hunc ambitum includere, quem videtis. Quando id factum? Archiua prodùnt, *cœptos muros eos ſtrui anno* ∞. CCC. LVII. *& biennio ſtatim perfectos*. Id fuit *VVenceſlao & Ioannâ* Principibus, quorum imperio & floruiſſe & defloruiſſe hanc vrbem, verè dicam. Quid tibi eſt Santene? quid corrugas, & aſpernaris? AVD. Non equidem reijcio temerè; ſed diffido & ſubſiſto. Tantúmne opus *biennio*? nam ego oculis pedibuſque peragraui, & cogitatione menſus ſum: magnum, diffuſum, elegans, validum, multiplex: nec mihi videatur vel decennio vnum opidum confeciſſe. Opidum? prouincia ſi concurrat & conferat, multum ſit vel ſic abſolutum in eo ſpatio eſſe. LIPS. Atqui fuit, ne ambige, nec publicis ſcriptis fidem detrahe, quæ clarè adfirmant. Et quid potuit illo æuo teſtatius eſſe? At tu noſtram inertiam aut impotentiam conſideras fortaſſe: qui validi ſumus tantùm in vitia & luxum. Maiores noſtri priuatim haud diuites, publicè erant: & in patriæ vſum aut ornamentum liberaliter ſua impendebant. Sed caput rei, ſe quoque impendebant. id eſt,

id eſt, ipſi ciues atque incolæ, credo & accolæ, manus accommodabant: & gratuito labore magna pars hæc operum ſurrexit. Ipſi qui mercedem capiebant; exiguam, vt tunc res erat, & annonæ laxitas. atque ita hîc & alibi templorum moles, ædificia publica ſtruxerunt, quæ miremur magis, quàm imitemur. Sed totum igitur hoc opus biennio. quale? videte mihi foſſas iſtas primùm latas, profundas; atque eas ſæpè per viuum ſilicem, aut ſcrupoſam terram, percuſſas. Videte muros lateritio pulchro opere, & ſectis deinde lapidibus albis, latis magniſque, interſtinctos aut intectos. eoſdem validis fundamentis ab imâ foſſâ eductos: ſic vt operis tertia pars vix veniat in adſpectum. Videte turres denſas & altas, quæ diſtinguunt: atque infra eas fornices & cryptas, robuſto opere, ad condita, aut vſus militares. Videte & portas, & pontes alibi, magnifica omnia, & è candenti ſecto lapide: denique opus ipſum totâ facie æquabile & vniforme, quod nec Inuidia carpat. Iam ambitus, quantus eſt? non de opinione, ſed menſione dicam: quæ inſtituta anno ∞. CCCC. XXVII. procerum certamine fuit. Erant hîc Aulici complures cum ipſo Duce, per occaſionem inſtitutæ nuper Academiæ: & fortè ſermo de vrbis huius magnitudine, & ecquid aliæ finitimæ æquarent, aut ſuperarent? Sermo primùm, mox ſponſio: atque ea inter quattuor Dynaſtas, *Schonuorſtium, Veſemalium, Dieſthemienſem, Bergizomienſem*. Incaluerant, & miſerunt gnaros talium, & metiri iuſſerunt: compertumque eſt, *Louanium ſuperare Gandauum tribus virgis, Leodium octo, Lutetiam decem, Coloniam octodecim*. Hæc fideliter ex Archiuis: videtis, quid inter finitima opida interſit, quæ

magnitudine ſe iactant: videtis etiam, palmam Louanio eſſe datam. AVD. Videmus, & fauemus: ſed *Virgas* hîc quid appellas? LIPS. Perticas, quæ alibi *ſedecim pedum & ſemis* ſunt; hîc ferè *octodecim*, aut & *viginti*. Neque tamen adhuc iuſtam magnitudinem Louanij habetis: ſed ea vel ex ambulatione prompta eſt, & interiore mœnium ambitu (plus in exteriore) *ſeſquimilliare* noſtrum circiter continere ſæpè ſumus experti. AVD. Et ego tecum. ſed Roma illa quanto maior? LIPS. Et aliæ vrbium veteres: ſed has omitte, noſtra pro æuo mirare.

CAP. VIII.

Nomen Louanij paullo vetuſtius, itémque Comitum, qui huic loco fuerunt. Aliquid de Lotharingiâ præmiſſum.

ET opidum habetis. cui, [1] vt nunc eſt, etſi principium à Normannis dedi; tamen anteà aliquid hîc fuiſſe non abnuam, conuentum, ſiue pagum, ſiue ditionem ipſam hoc nomine inſignem. Nam *Comites Louanienſes* iam antiquitus reperio: vt in Flandriæ Annalibus, *viuente Pipino, Burchardum Liderici primi Foreſtarij filium, Comitem Louanienſem fuiſſe: eique ſucceſſiſſe filium Eſtoredum, quem Vandali & Hunni Louanio pepulerunt*. Hæc eueniſſe aiunt annis DC. XLVII. & DCCXXXVII. ſed me nonnihil ambigente, nec vndique huic narratiunculæ aſſentiente. Qui enim, vel vnde, in hoc tractu ſub id tempus Vandali, ſiue Hunni? non inuenio. Itaque magis fortaſſe certa memoria in vitâ *Diui Huberti*, cui vxorem *Floruinam* tribuunt, & ſocerum *Floribertum*,

bertum, Comitem Louanienſem. quod fuerit circa annum DC. LXX. diu ante tempora Normannorum. Imò & Clothario rege nominari inuenio, ſub annum DLXIV. *Anſtrogiſilum Comitem Louanienſem*: & in memorijs templi huius Diui Petri, *Anſelmum Comitem*, inter ſanctos. Quid mirum olim, & plures fuiſſe, cùm perpetui nondum eſſent, & alij atque alij, pro arbitrio regum, ſubſtituerentur? Itaque noſtri Annales tam altè non repetunt: & primum faciunt *Lambertum*, circa annum DCCCC. LXX. & ex eo ſeriem deinde continuam & ſtirpem texunt. AVD. Solent initia talium obſcura ſæpè eſſe: ſed placétne inquirere, & facem nobis allucere? LIPS. Si habeam vnde accendam, velim: ſed tenebræ meræ ſunt circa id æui, & intrantibus labyrinthi. Qui etiam ſcriptores, ad dirigendum aut firmandum? pauci, & ſparſim aliquid aut obiter tangunt. Sed colligam, diſponam, nectam: & ordine & fide, vt poſſum, dicam. Ab alto res petenda eſt. *Carolus Magnus*, qui rebus & virtutibus hoc cognomen meruit, imperium nouum in Occidente inſtituit: quo Italiam, Galliam, Germaniam eſt complexus. Tenuit vel auxit, quamdiu vixit: non ſic poſteri, & primùm *Ludouicus Pius* filius (præter hoc cognomẽ haud multa in eo pulchra) remiſſior fuit, & ab hoſtibus, ciuibus, liberis, clades aut ignominias accepit. Vtcumque tamen, imperium iunctum habuit: voluitque filius eius *Lotharius* natu maximus; ſed & alij duo, *Ludouicus* & *Carolus*, reſtiterunt, & ad diuiſionem verbis, mox armis vocarunt. Pugnata acris pugna in pago *Alcedronenſi* (alij, *Antiſſiodorenſi*) ad villam *Fontanatam*: Anno DCCC.XLII. ita inquam acris, vt *nulla ætas meminerit* (verba veterum

rum Annalium) *tantam ſtragem in gente Francorum eſſe factam*. Pleraque nobilitas, & vetus miles, perijt: ipſum Imperium in diuiſionem venit, quia fratres duo videbantur viciſſe. Diuiſio, vt *Italia, Prouincia, Burgundia citerior*, Lotharij eſſet; tum magna illa *Belgica*, ab ipsâ *Burgundiâ* ordiendo, & quidquid terrarum intra *Moſam & Rhenum* ſupernè, infernè inter illum & *Scaldim* eſſet. Vaſtum ſpatium: & quia hæc pars à reliquâ Galliâ iam diuidebatur, quę regem ſuum ſeorſim habebat cum Franciæ titulo; placuit nouum huic nomen imponere, & à *Lothario*, *Lothariam*, vel noſtro verbo *Lotharijckiam* (quaſi *regnum Lotharij* dicas) appellare. Poſteri aut exteri deprauarunt, & molliùs *Lotharingiam* dixerunt. Hæc pars, quia plurimum Galliæ Belgicæ tenuit (non enim omnia, & vltra Scaldim ad Sequanam vſque deſunt omnia, itemque ſupra ad Matronam) ſed quia plurimum; confundunt ſcriptores, vt Otho Friſingenſis: *Lothario obuênit Gallia Belgica, quæ ex eius nomine Lotharingia eſt dicta.* Atque idem, & alij, *Belgarum Ducem*, hunc Lotharingum appellant: non verè aut exactè, vt dixi.

N O T A.

1. Diſertè ſcripſi, *vt nunc eſt*: neque nego antè aliquid hîc fuiſſe. At quas voces ſuſtinui, quia antiquius non facio? Dicunt *litteras* eſſe *Scabinales*, anni DCCCLX: ſed quid in ijs ſit, non addunt. Vidiſſe vellem, & tum arbitrari de fide ſcripti, ac de ſenſu. At illi, vt Veſtale ſecretum, ſeruant.

CAP.

CAP. IX.

Reges & mox Duces Lotharingiæ, itémque Archiduces: Comites noſtri in hac parte, & ſtirpe.

HÆC ita diuiſa: ſed & iterùm mox diuiſa, & vires magis magiſque, præſertim in Lotharij parte fractæ. Nam ille iam ſenior, tædio rerum aut pietate, Deo ſe conſecrat, & ſpreto imperio in Prunienſe monaſterium concedit. Partitus tamen illud inter liberos priùs, his finibus, vt *Ludouicus* Italiam haberet; *Lotharius* cognominis, hanc noſtram; *Carolus*, Prouinciam Burgundiamque. Ita, quæ pulcherrimè anteà hærebant, diuulſa. nam conſideratione dignum, in primi Lotharij parte, licuiſſe ab Oceano ad mare Mediterraneum venire, itemque ab vltimâ Italiâ ad Belgarum extremos, non alio Dynaſtâ, qui interpellaret. At nunc abiuncta: iterumque magis, mortuo Lothario iuniore, qui cùm legitimos liberos non haberet, *Ludouicus* & *Carolus* patrui, vterque Lotharingiam ad ſe trahere, & armis ſuper eâ certare. Mox pace factâ, partiuêre: quomodo, dicet, non dicet *Diuiſio* quæ in Aimoino, itemque Pythœanis ſchidis exſtat. Nam confuſa eſt ipſa, & loca multa oblitterata: ſed lucem tamen aliquam eruet, qui intendet. Sed & aliæ mox partitiones, de quibus alibi videro: obſcurę item & multiplices; & pars Eccleſiaſticis, pars minutis Dominis abſtracta. Enimuerò confuſio hîc rerum, & ſcriptorum: & addo, nimbi ac tempeſtas temporum. cùm Normanni (vt prædixi) has partes paſſim inuaderent, & Galliæ reges, per ignauiam aut imbelliam, tuendis ſuis non eſſent. Itaque

Anno DCCC. LV.

factum, vt Germani totam eam ſui iuris facerent. quod
Anno DCCCXCVI. & ſeqq. cœpit *Arnulphus* Imp. ille victor Normannorum: nec iniuriâ; nam ipſe è faucibus eorum eripuerat, & iure quodam manuum habebat. Tenuit & *Henricus* Imperator. ſed ita vt *Duces* ei non Reges darent, & in *Comitatus* etiam diuiſam, beneficij ſui facerent hanc ditionem. Ita mox *Otho* Imperator, *Henrici* filius, *Bru-*
Anno DCCCCLVI. *nonem* fratrem ſuum, Archiepiſcopum Colonienſem, donaſſe Ducatu Lotharingiæ legitur: quem tamen ille titulum mutauit, & *Archiducem* nouo nomine ſe ſcripſit. Obſeruate iuuenes: non antè ea vox aut dignitas: nec in Lotharingiâ quidem poſt illum hæſit. AVD. Sed quâ cauſsâ aut exemplo excogitauit? LIPS. Opinor ſolo *Archi-epiſcopi* nomine motum: & viſum ei decorum, illud *Archi* etiam in *Ducem* transferre. Exemplum quidem (quod ſciam) antè non fuit: & illi *Auſtriæ*, diu ſanè pòſt vſurparunt; mirum ni iſto præeunte. Sed ad rem noſtram, hoc *Brunonis* tempore, duo fratres fuêre; *Reginerius Longicollus* cognomine, & *Lambertus*: ille *Montenſium* (id eſt, *Hainauiæ*) iſte *Louanienſium* Comes. Hi duo è regum Franciæ proſapiâ, ius ſibi in Lotharingiam eſſe dicebant, & armis vindicabant. *Bruno* dolo graſſandum ratus, ne longo aut difficili bello impli-
Anno DCCCCLIX. caretur, ſpecie pacis vtrumque *Valentianas* euocat, & *Reginerium* in vincla conijcit: *Lamberto* quid factum, non produnt. *Reginerius* igitur ibi fato aut fraude obijt: ſed duos filios reliquit, *Reginerium*, & *Lambertum*: qui concorditer inter ſe partiti, ille Montenſium, hic Louanienſium Comitatum vt haberent. Fruſtrà. *Bruno* turbauit, & *Reginerium* vi pepulit: nec alter auſus exſpe-

ctare,

ctare, vterque patriam Franciâ, & dynaſtiam exſilio mutarunt. Inde iræ, minæ, & apparatus: & Franci fauebant: ſed hæc tantùm. Intereà *Otho* Imp. obijt, itemque *Bruno:* & in ſucceſſore *Othone Secundo* non eadem vis vel auctoritas erat. Itaque liberè tunc duo fratres prorupêre, & ſuis ac Francorum copijs, *Garnerium* & *Reinoldum*, paterni patrimonij occupatores, acie vincunt. Id factum anno DCCCC. LXXII. vincunt, inquam, acie: nec tamen loca omnia occupant: & ad obſidia conuerſi, caſtellum *Buxidis* (*Boſſutium* hodiernum eſſe cenſent: quò ducit magis vetus ſcriptio, *Buxûdis.*) hoc, dico caſtellum muniunt, & refugium ſibi, ac prædis receptaculum, habent. Quas cùm effuſè agerent, alijque Imperatorem, vt læſum, in partes vocarent: venit *Otho*, & caſtellum obſidet, expugnat, euertit. Fratres tamen elapſi. Imperator Montenſem Comitatum in duos diuidit, *Godefridum* & *Arnulphum*, illum *Arduennæ*, hunc *Flandriæ* Comitem, opibus potentes, eoque dilectos qui controuerſam ditionem tuerentur. Neque noſtros tamen animus, etſi melior fortuna, deſerit: colligunt iterùm copias, & montem *Caſtrilocum* obſident. dicti duo Comites ſuppetias veniunt, pugna committitur, ambiguâ victoriâ: niſi quòd obſidio tamen ſoluta, & noſtri in Franciam relapſi. Illîc nouum regni fatum, res eorum & fata correxit. Erat *Hugo Capetus*, Pariſiorum tunc Comes: ſed potens opibus, & gratiâ, & addo aſtu & ingenio: quæ regnum ei mox pepererunt. Huius filiam *Hauidam* Reginerius vxorem capit; noſter Lambertus *Gerbergam*, Caroli filiam, qui frater *Lotharij* regis tunc Francorum erat. Ita fulti opibus, & aduerſarijs iam ter-

Anno DCCCC. LXXIIII.

Anno DCCCC. LXXVI.

ritis, faciente etiam palàm & fauente Rege, vterque Comitatum ſuum recipit: & receptum, firmiter ipſi & poſteri tenuerunt.

NOTA.

Hîc & alibi *Hainauiam* ſiue *Hainouiam* appellaui, quæ vulgò *Hannonia* eſt, & incolæ *Hannones*: ſed vulgò; neque voces eas, aut analogiam, aut paullò vetuſtiorem auctoritatem habere, opinor. Appello ad ſchidas. Vera ſanè vox, *Hainau*: quaſi dicas, *Hainæ regionem*, qui fluuius eam interluit. Illa, inquam, vocula nobis hoc notat: atque ita *Bat-au*, *Mor-au*, *Rijn-au*, & plura formauimus: *Batiregionem* (vel *commodi bonique*. nam & id prior vox notat) *Paluſtrem regionem*, *Rheni regionem*. Ab his exemplis *Hainauia* Latinè: etſi reperio etiam *Hainegoiam*, vel *Henegoiam*: nimirum à litteræ *G.* inſitione, quæ interponi inter duas vocales ἀσφώνως ſolet. Ita cùm *Haine-au* vellemus, *Hainegau* fecimus, & craſſiuſculè, *gou*, vel *goi*; vt *Auſter*, *Oiſter*, & quæ talia facilè notes. Sic & *Rijngauiam*, pro *Rijnauiâ* leges.

CAP. X.

Comites hîc perpetui: & de Carolo Duce dictum, à quo noſtra magnitudo.

ET iam certus primusque (vt apparet) perpetuus Comes Louanienſium, *Lambertus* iſte eſt: & Annales ab eo numerant, neque vltrà tendunt. Nam quæ dixi de *Floriberto*, aut talibus; alia ratio eſt, & more priſco, poſt *Conſtantinum*, Comites, id eſt Iudices prouincijs ſiue opidis dabantur, quos Germanica lingua *Grauiones* appellat. Quidam à canicie vocem petunt, quia Seniores in hoc munere; alij à foſſis, quia ad limites; mihi leuiter incidit, Græciſſante voce, quaſi *Graphiones* dictos, & quia

rara

rara tunc inter barbaros, peritia ſcribendi, & Iudicibus vſurpata. Vtcumque ea res ſit, *Comites* mox facti perpetui, & in Principatum ac Dynaſtiam vox iuit. Sed de *Lamberto* priuſquam alia exſequar, de *Carolo* eius ſocero præmittam: quia illinc, & ab hoc capite, magnitudo præcipua Belgicæ eſt, quam miramur. *Carolus* igitur, è ſtirpe *Caroli* illius *Magni*, filius *Ludouici Quarti* Francorum regis fuit, frater autem *Lotharij*, qui tunc maior natu regnabat. Hic *Lotharius* bellum cum *Othone* Imp. habuit: ſed pace factâ, frater eius *Carolus* Ducatum Lotharingiæ, velut pignus illius, aut donum, accepit. Neque tamen totum accepit: multum Imperator deminuit, & aut Imperio, aut alijs adſignauit. Imperio, *Aquaſgrani*, *Nouesium*, *Antuerpiam* noſtram cum *Marchiâ Rienſi*, item Comitatum (vt ego opinor) *Bracbantiæ*: alijs, *Leodicenſi & Colonienſi* Epiſcopis, multum adiacentium terrarum, aut opidorum, quæ etiamnunc latâ ſatis iuriſdictione tenent. Scilicet de alieno, facile & in procliui erat, largum eſſe: & circumcidere etiam Lotharingiæ vires, inter conſilia habebatur. Tamen *Carolus* cetera tenuit, & quindecim ferè annos poſſedit. Intereà *Lotharius* rex nullis liberis, aut non diuturnis, obijt: & iſte regnum iure & more vindicabat. Sed vis aut fraus plus potuit: & *Hugo Capetus*, de quo dixi, cùm iam diu ambitioni ſuæ viam præſtruxiſſet, non ſolùm regnum obtinuit, ſed iſtum in vincula dedit, obijtque in ijs *Aureliani* ſexto circiter pòſt anno. O res humanas, & infida ſceptrorum! Spectarunt alij, alij adiuuerunt: & quamquam huic propria ſoboles eſſet *Otho*, qui Ducem Lo-

tharingiæ agebat; tamen adſpirandi ad regnum, aut conandi, vel animus vel vires defuerunt, obijtque in ſuo Ducatu, cùm annos XIIII. circiter tenuiſſet. Hic eſt, Anno ∞. V. quem *Epternaci* in Leucorum ditione ſepultum quidam credunt: vbi hodieque tumulus, in Benedictinorum cœnobio, cum inſcriptione:

Otho Comes, tibi ſit requies per ſæcula perpes.

Non putamus: & ecce *Comitis* modò titulum ille habet. Quid quòd alibi legi, Niuigellæ noſtræ hunc ſepultum eſſe? Quomodocumque, defuncto iam eo Lotharingiæ Ducatus datus ab Imperatore *Henrico* Comiti Anno ∞. VI. Arduennati *Godefrido*: etſi Carolus filiam *Gerbergam*, vt dixi, collocaſſet *Lamberto* Comiti noſtro, anno ∞.II. vt ab *Edmundo Dintero* annotatum reperio: quæ iure ſanguinis eum vindicabat. Sed in alia hoc non valuit: dumtaxat *Comitatus Brachbantenſis*, & *Bruxellenſis*, cum ijs quæ adhærebant, apud Carolinam hanc ſtirpem manſerunt, & Comitatum Louanienſem inſigni acceſſione auxerunt. Idem alij tradunt de *Niuigellenſi*: quem *Niuellenſem* hodiernus ſermo dicit. Sanè de Bruxellenſi, certum eſt. vbi crebrò egit Carolus, & iam tunc iſte locus Genium habuit, vt ſic dicam, ad Principes alliciendos, & ſuaui ac ſplendido domicilio retinendos. Scribit *Dinterus* Carolum *hîc principale dominium tenuiſſe, inter duo brachia Zennæ fluminis, prope Eccleſiam S. Gaugerici*. Locus etiamnunc notus, & vetus ibi (notent curioſi) in paruâ inſulâ Aula fuit. Idem Diuam opidi tutelarem *Gudilam*, à *Morzellâ* in vrbem tranſtulit, & in æde *S. Gaugerici* collocauit, donatam ipſam & ſacrorum miniſtros, fundis & vectigalibus, quæ

etiam-

etiamnum tenent. At non locum; & mox tranſlata in ſuperam partem fuit, vbi templum nunc ſuperbum viſitur, eius nomini ſacratum.

CAP. XI.

Lambertus Comes, aliique ex ordine, ad Godefridum primum Ducem.

LAMBERTVS igitur iam Comes, & viribus finibuſqueauctior: ſed & plura appetebat. Nam ſpes de Lotharingiâ non deſerebat, & omnia occupandæ mouebat & turbabat: ideoq; *Godefridus* nouellus Dux, ſuis & Imperij viribus, in fines noſtros venit, ſummam, vt putabat, manum bello impoſiturus. Itaque Louanium ipſum obſedit, & Lambertum inibi clauſit. Qui ſunt auxilio? Deus, & ciues. atque iſti mirâ virtute & conſtantiâ, poſt varios conatus aut adſultus, hoſtem irritum irriſumque dimiſerunt. Ita finis belli, non ſpei. quam tamen interpellauit Leodicenſis Epiſcopus *Baldericus*, qui ſtatim anno ſequente bellum intulit, & iuxta *Hugardas* caſtra eſt metatus. Noſter aduênit, manum conſeruit, & cum cæde aliquâ (trecenti obijſſe dicuntur) Antiſtitem fugauit. Ille, quod bello non potuit, à religione voluit impetratum: & ſacrorum communione ipſum ciuesque arcuit, donec Comes *Horrentium* villam, velut luendæ culpæ, ipſi poſteriſque adſignauit. Iterumque cum *Godefrido* occupatore Lotharingię bellum. qui Hainouiam inuaſerat, quam *Reginerius*, ex fratre nepos huius noſtri, tenebat: ideoque ſtatim ſuppetias venit, & infelix prœlium inijt, in quo vitam amiſit. Id pugnatum circa Anno ∞. XII.

Floren-

Anno ∞. XLIIII. *Florennas*: ſcribitque Sigebertus, *Phylacterium à collo pendulum habuiſſe Lambertum, in quo Diuorum reliquiæ: atque id in medio ardore prœlij excuſſum vel amiſſum diuinitus, & vitam ei mox ereptam*. Obijt pridie Idus Septembres, vir à puero variè exercitus, & animi magnus, medius fortunæ. Sepultus eſt *Niuigellis*; vbi & vxor eius Gerberga. Filium reliquit

HENRICVM. quem didici cum matre *Gerbergâ* res aliquamdiu adminiſtraſſe: ſed in pace. Memorabile quidem nihil inuenio, præter in vſus ſacrorum donationes quaſdam, vt pietas illa maiorum fuit. Præfuit ita *viginti quattuor* circiter annos, noſter, vt ſic dicam, Numa. Mors tamen tragica: & à captiuo quodam ſuo, viro nobili, *Hermanno* domi inſidioſè interfectus eſt, ſiue vt alij exprimunt, in Arce. Factum anno ∞. XXXVIII.

OTHO ſucceſſit, *Henrici* filius, breuis æui puer: neque annum ipſum in Principatu exegit.

Ergo patruus eius LAMBERTVS, *Baldericus* cognomento, eum excepit, filius illius *Primi*. Aliqui confundunt, malè. Hic eſt qui *Decimas agri Louanienſis, Collegio Canonicorum Diui Petri adſignauit*, octauo imperij ſui anno. Idem Diuæ *Gudilæ* corpus, quod Bruxellæ aſſeruatur, è *Gaugerici* æde ſublatum, in *S*[ti] *Michaëlis* (ita tunc dicebatur) repoſuit: & ipſum illud templum auxit, vel ornauit, Canonicos inſtituit, & ampliter ſatis donauit. Factum anno ∞. XLVII. vt monimenta in eo ipſo templo nunc docent: adiuuante & fauente in talibus optimâ coniuge Odâ, quæ filia fuit *Gozelonis Lotharin-*

tharingiæ Ducis. Sed neque Martis expers hic Princeps fuit. Nam cùm Flandria bello arderet, quod *Henricus Tertius* Imp. inferebat *Balduino* Comiti, noſter arma cum vicino iunxit; ſed arma parùm fauſta. Flander variè petitur, vincitur, terrâ & mari: cùm Hollandi & Zelandi in partes Cæſarianas ducti aut tracti eſſent. Itaque *Clauſulis captis* (ait Sigebertus: & puto *Sluſas* hodiernas eſſe) multam cædem Imperator fecit: ipſum *Lambertum*, cùm Tornacum obſeſſum pergeret, obuium ſibi, aut in ipsâ obſidione (vt alij) interfecit. Obijt autem (memoriæ Louanienſes notant) XIII. Kal. Iulij, anno ∞. LIIII. Iacet Niuigellis. Et cur ibi primi ferè noſtri Comites? credo per religionem: quia certum, *Defenſores* & *Aduocatos* eius cœnobij fuiſſe.

Succeſſit HENRICVS *Secundus*, eius filius: cui vxor *Adela*, filia Landtgrauij Thuringiæ. Neque aliud de eo lego, quàm cum Hollandis variè pugnaſſe: & obijſſe anno ∞. LXVIII. Hunc *Ducem Carinthiæ* (addunt aliqui, *& Auſtriæ*) ab *Henrico Quarto* factum, ſunt qui tradãt: & inter eos *VVolfgangus Lazius*, vir multæ induſtriæ, & lectionis: iudicium & fidem eſt vbi requiras. Sed tradunt: & hinc eueniſſe, vt inſignia vtriuſque Principatus (Louanienſis, & Auſtriaci) eadem ſint & concordent. Dubito, & Annales noſtri nihil produnt.

Huic HENRICVS *Tertius* ſufficitur, filius natu maximus: cui vxor *Gertrudis*, filia *Roberti* Comitis Flandriæ. Annos *viginti octo* rexit, pacatè, id eſt beatè: nec belli aut tumultus ſub eo ſermo. Mortem in ludicro haſtarum certamine quæſiuit, à *Goſuino* viro nobili: quem

dum temerè prouocat, & inuitum ſecum concurrere adigit, vno ictu confoſſus, obijt. Is fuit annus ∞. XCVI. Et huius monumenta pietatis exſtant, donationes cœnobijs factæ, inprimis *Affliginienſi*. Sepultus eſt Niuigellis: liberos mares non reliquit. Itaque

Venit in locum frater GODEFRIDVS, duplici cognomine, *Barbatus*, & *Magnus*. Illud habuit à voce quâ ſe obligauit *barbam non ponere, donec Lotharingiæ, Ducatus diu debiti, compos eſſet*. Alterum ab iſto ipſo manauit, quòd eâ adiectione verè iam magnus eſſet; tum & animo ac virtute merebatur. Auctores habeo, qui tradant, quo tempore frater Henricus obijt, in Syriâ, nobili illâ *Godefridi* expeditione, captiuum fuiſſe: eoque communi patriæ decreto, matrem *Adelam* rebus præfectam, donec de filio certiora adferrentur. Ad quem liberandum reducendumque *Oliuerius Leefdalius* vir nobilis, Bruxellâ miſſus, feliciter rem confecit, & optantibus ſuis Principem reſtituit. Statim redux *Sophiam*, filiam *Henrici Quarti* Imp. vxorem cepit: atque ea ad Ducatum Lotharingiæ gradum ſtruxit. Nam cùm *Henricus Quintus* patri bellum faceret, & à partibus huius *Henricus* Limburgenſis, Dux tunc Lotharingiæ, ſtaret; patre mortuo, cepit eum, & Ducatu ſpoliauit, tranſtulitque in hunc affinem ſuum *Godefridum*. Id factum anno ∞. C. VI. Ab hoc tempore potens iam iſte, & contra *Henricum* (cuſtodiâ elapſum) fortiter ſua defendit: itemque cum *Bertoutijs*, qui Mechliniæ, Grimbergæ, alijsque locis latè imperabant, acre bellum, etſi parùm felix, habuit. Cum Leodicenſibus autem, vario euentu. Nec in bellis *Cæſa-*

rem

rem facimus: in virtutibus, pietate, iuſtitiâ, benignitate, Annales noſtri palmam ſuper omnes donant. Cœnobia & religioſos cœtus inſtituit, vel auxit. Auxit *Affligi-nium*, *S. Trudonem*, *Bigardenſe monaſterium* ſupra Bruxellam, in ipsâ Bruxellâ *Præpoſituram Capellæ*, alia: inſtituit *Parcenſe* hoc nobile, item *Fliederbecenſe*, vtrumque nobis in propinquo. Obijt anno ∞. C. XL. cùm annos XLIIII. imperaſſet. Sepultus eſt Affliginij. Ab illo ſeries Ducum Lotharingiæ & Brabantiæ, mox & Burgundiæ atque Auſtriæ, qui in præſentem hanc magnitudinem creuerunt. quos nunc ſepono: neque ad rem Louanienſem propriè ſpectant. Septem dedi Comites: atque ecce breuiter, & in vno aſpectu, ſtirpem &

STEMMA.

MANASSES, *Comes Hainauiæ.*	LVDOVICVS IIII. *Rex Franciæ.*

REGINERIVS *ibidem Comes.*	LAMBERTVS *Louaniæ Comes, ſine liberis.*	LOTHARIVS *item Rex.*	CAROLVS, *Dux Lotharingiæ: vxor filia Comitis Trecenſis.*

REGINERIVS, *ibidem Comes.*	LAMBERTVS, *loco patrui, ibidem.*	GERBERGA *vxor Lamberti.*	OTHO *Dux Lotharingiæ, ſine liberis.*	ERMINGARDIS, *nupta Alberto, Comiti Namurenſi.*

MACHTHILDIS, *nupta Comiti Euſtathio Bononienſi, & Bullionenſi. qui filium Euſtathium habuit, & ex eo nepotes Reges Hieroſolymorum.*	HENRICVS, *neſcitur vxor.*	LAMBERTVS *Baldericus, vxor Oda.*

OTHO, Ἄπαις.

HENRICVS *Secundus, vxor Adela.*

HENRICVS *Tertius, vxor Gertrudis.* Ἄπαις.	GODEFRIDVS *Barbatus, idem Magnus. Vxor Sophia. primus Dux Loth.*	REGINERIVS, *qui in Hasbaniâ cæſus.* Ἄπαις.

HENRICVS, *viuo patre Monachus Affliginij.*	GODEFRIDVS *Secundus, ſucceſſor.*	ADELA *nupta Regi Angliæ.*	IDA *nupta Comiti Cliuenſi.*	CLARISIA, *virgo.*

Genus ex his videre eſt, & ſanguinem vtrimque *Regium:* illum è vetuſtis *Merouéis,* hunc *Carolinis.* Adfinitates deinde, & ſanguis mixtus cum omnibus, ferè dicam, Europæ Imperatoribus, Regibus, Dynaſtis.

CAP.

CAP. XII.

De Marchionatu Rienſi, quis ille, & quando acceſſerit.

ORDINE iſti Comites: & augmenta paullatim habetis, denique Lotharingiam, tot annis debitam, exſpectatam, tandem impetratam. Quid etiam? *Brabantiam*, & *Marchiam Rienſem* addere debemus: ſed vtram priùs? difficile eſt dicere, & vno ferè tempore inuenio (de Comitibus noſtris loquor) titulos vſurpatos. In manuſcripto Chronico legi:

Henricus genuit Henricum Louanienſem,
Quilibet iſtorum Romani Marchio regni.

Hæc ſpectant ad *Henricum Secundum*, & *Henricum Tertium*, Comites (Catalogum in mente habete:) qui præceſſerunt *Godefridum Magnum*, Lotharingiæ primum Ducem. Itaque titulus ille anterior iſto Lotharingiæ: ſicut & Brabantiæ, quem *Henricus Tertius* in Diplomate ſumit, anni ∞. LXXXVI. Donatione Affligienienſi: *Henricus, diuinâ propitiante Clementiâ, Bracbatenſis patriæ Comes & Aduocatus*. Poſteà de iſto, nunc de *Marchiâ*. Marchiam vocamus, limitem Lotharingiæ ad Scaldim fluuium: quem *Pagum Rienſem* olim dixerunt: qui continebat *Antuerpiam* hanc nobilem, *Liram*, *Bredam*, *Herendatum*, *Bergam*, & Campaniæ multos pagos. Lazius *Marchiam limitis Anglicani* appellatam vult: & *Vtilonem* Marchionem agnoſcit, iam olim anno ꝍ. XI. Adduntur alij: & denique ipſi Duces Lotharingię ab Imperatore impetrarũt, inter quos

Carolus Lamberti ſocer, & *Otho* filius, de quibus prædixi. Neque tamen *Lambertus* ipſe Comes obtinuit, vt apparet: legiturque *Godefridus Gibber*, Dux Lotharingiæ, Antuerpiæ interfectus, tamquam ibi Dynaſta & Marchio; itemque *Godefridus* filius Euſtathij, *Marchio Antuerpiæ* ſcribitur, & militem ibi collegiſſe, cùm ad ſacram & inclytam illam expeditionem iret. Ideò dubitatio ſubit de *Henrico Tertio* (etſi Epigrammatium ſuprà dixit:) cùm *Godefridus* ille *Gibber*, anno ∞. LXXVI. interfectus ſcribatur: qui tamen Lamberto Schafnaburgenſi *Gozilo* dicitur, re & tempore ijſdem. *Gozilo*, inquit, *Dux Lotharingorum cùm eſſet in confinio Lotharingiæ & Flandriæ, in ciuitate quæ dicitur Antuerpha, occiſus eſt*. At alij *Godefridum* hunc fratrem faciunt *Gozelonis*, quibus magis accedo. Sed quomodocumque, non potuit *Henricus Tertius* Marchio eſſe, aut non diu eſſe: præſertim cùm *Godefridus* ille alter eodem titulo ornetur, ſub annum ∞. XCVI. Niſi exiſtimat aliquis (nec de nihilo) Lamberti poſteros vſurpare voluiſſe, tamquam deberetur; etſi in poſſeſſione alij eſſent: aut, ſi fortè, vtroſque in parte poſſediſſe. At illud iam conſtat, *Godefridum Magnum*, vnà cum Lotharingiæ & hunc ſumpſiſſe, atque adeò rem tenuiſſe. Diplomata eius: *Godefridus Dei miſeratione, Dux & Marchio Lotharingiæ, Comes Louanij:* anno ∞. C. XXXVIII. In alio, Cœnobij Parcenſis donatione: *Ego Godefridus Dux, qui & Marchio:* & poſteri deinceps vſurparunt. Magna acceſſio fuit: notandumque à Brabantiâ & Lotharingiâ (etſi nunc in illâ cenſetur) Marchiam diuulſam fuiſſe. De Lotharingiâ, diſertè Schafnabur-

naburgenſis: *in confinio Lotharingiæ & Flandriæ fuiſſe.* Non quin olim in Lotharingiâ non fuerit: ſed nimirum Imperatores Germanici auellerunt, & ſibi aut ſuis, quibus gratificari vellent, eam ſeruarunt. Mos etiam vetus habebat, ad limites imperij aut flumina, *Marchias* iſtas habere, & in ijs præſidia contra hoſtes.

CAP. XIII.

Idem in Brabantiâ quæſitum: qualis, & vbi ea?

SEQVITVR de Brabantiæ acceſſione, à me poſitum & huc dilatum. Video quidem *Henricum Tertium* vſurpaſſe, verbis quæ dedi: iterumque in manumiſſione puellę cuiuſdam, quam manuſcriptam vidi, *Ego Henricus Comes & Aduocatus* [1] *Brachbantinenſis patriæ*: ſed *Comitem* ſe, non *Ducem* ſcribit. Et verò idem titulus in Sigefrido, actis anni DCCCC. XCVII. *Ansfridus, cùm* [2] *Comes fuiſſet Bratuſpantium, depoſito militiæ cingulo, factus eſt Epiſcopus Vltraiectenſis.* Idem titulus, ſed in alio (quod miremur) ſub idem tempus: nam ille *Henricus* noſter obijt anno ∞. XCVI. Quomodo expedimus? neque enim vno tempore duo Comites, vt opinor. AVD. Ex facili. nam *Bratuſpantes* diuerſi à *Bracbantis* ſunt, quod vel ex Cæſare conſtat. LIPS. Verè tu, ſi Cæſarem ſpectas. nam ille iuxta Sueſſiones collocat, procul à nobis: ſed Sigefridus aliter: & illam Iulianam vocem, neſcio quâ affectiunculâ, ad nos transfert. Ne ambigas, ecce clarè in actis anni ∞. XII. *Godefridus Dux in fines Bratuſpantium venit, & Louanium obſedit.* Cedò, an non Louanium in noſtrâ Brabantiâ eſt? Equidem hæreo:

reo: & magis, quòd in *Dintero* ſcriptum, *Gerbergam ſucceßiſſe fratri ſuo Othoni, in dominio Comitatus Bracbatenſis, & Bruxellenſis, cum ſuis appendicibus*. Si iamtunc *Gerberga*, id eſt vxor *Lamberti Primi*, ſucceſſit: cur non ipſe, non alij ante *Henricum* dictum vſurparunt? Tenebræ: & omnia faciamus, nullum ingenium vel induſtria examuſſim hæc adæquet incuriosè ſcripta, aut nec ſcripta. Illud tamen video & teneo, *Comitatum* modò Bracbantiam tunc fuiſſe: neque *Ducatus* nomen apud noſtros reperiri ante *Henricum Quartum* Louanij Comitem, qui accepit. Nam hoc Hiſtorici noſtri docendi ſunt: & eſt epiſtola Imperij nomine ſcripta ad *Innocentium Tertium* Pontificem, & ſubſcripta inter plures ab

Circa annum ∞. cc.

iſto: *Ego Henricus Dux Lotharingiæ, qui & Brabantiæ.* Item in ſepulchro eius, in hac vrbe, æde Petrinâ:

Brabantinorum Dux, regni Marchio, morum
Regula.

Neque de ſequentibus deinceps ambigitur: omnes vtrumque illum, *Lotharingiæ & Brabantiæ Ducis*, aſſumpſerunt. AVD. Satis mihi mirum, quòd ſic nouellum titulum facis; cùm Gallici atque alij Annales tradant, *Arnoldum*, & mox *Arnulphum*, denique *Angiſum*, & *Pipinum Craſſum*, Brabantiæ Duces, & Antuerpiæ Marchiones fuiſſe. LIPS. Scio eſſe, qui fortiter tradiderint, ſed veteres auctores equidem requiro. Illud de iſtis verius, *Auſtraſiæ Duces* & rectores, ſub Galliæ Regibus, fuiſſe: quæ tamen Auſtraſia hanc partem ferè tenuit, quæ *Lotharingia* poſteà dicta. Vbi & Brabantiam eſſe ſcimus: ſed an nomine tam antiquo? Erui olim aliquid è Pythœanis Annalibus Gallicis, vbi in Diuiſione *Ludo-*

Ludouici Imp. ante mortem factâ, ſcribitur: *Friſia, Ardenna, Asbania, Bragmento, Franderes,* * *Menpiſlou*: & videatur ex connexione locorum *Brabantiam* & *Flandriam* ſic nominare. Magis etiam accedit Diuiſio vetus *Caroli & Ludouici regum*, anno DCCC. LXX. *In Brachanto Comitatus* III. *Cameraceſium, Hanioum, Lomenſem*. Vox ſanè eſt hæc ipſa, & magis ſi quis *Bracbanto* me volente ſcribat. Sed quid igitur? tam latè patuerit, vt *Cameracum* & *Hainouiam* (nam iſtud eſt *Hanioum*) incluſerit? De *Lomenſi*, hæreo: & pronus ſim ſcribere *Louienſem*, vel * *Louinenſem*, & capere hunc noſtrum. Enimuerò etiam Rodericus Toletanus *Brabantiam* valdè producit, & cum ipsâ *Lotharingiâ* adæquat. Nam in deſcriptione Germaniæ ait: *Teutonia continet has regiones, Lotharingiam ſiue Brabantiam, VVeſtfaliam, Friſiam*. Sed exteri parùm hæc accuratè exſequuntur: & ille fortaſſe titulos Ducum noſtrorum ſaltem adſpexit, quibus iunctim tunc vtebantur. Illud comperior, *Bracbantiam* hanc poſteriorem ad *Scaldim & Teneram* fluuios ſitam fuiſſe, & verſus Tornacum etiam ſe extendiſſe. Ex Sigefrido; in actis anni ∞. LIX. *In pago Bracbatenſi, iuxta Tornacum*. Et in additionibus Roberti Montenſis, anno ∞. C. XIII. vbi tamen *Bracatenſi*, malè cenſeo ſcribi. *Pago*, id eſt regione & tractu: quomodo *pagos Heluetiorum* Cæſar dixit. Ita & Flandriæ Chronica ſcribũt, *Diuum Liuinum ad Eſcam, in pago Bracbatenſi, martyrio coronatum*. Quæ ſi fida ſcriptio, nónne *Bracbantiæ* hoc nomen iterùm * antiquum adſtruimus? nam id euênit anno DC. XXXIII. Flandriæ item ſcriptor *Brando*, nominat in actis an-

* Sunt *Menapij*.

* A pronunciata *Louin*.

* Et circa tempora *Pipini*.

ni DCCCC. LVI. & ponit in *Pago Bracbantenſi, Meren, Crainham, Bellauicum, Bruggicinam, Milunam, Merſken,* Ayngam, Badingam, Morteſelam, & Maſminam.* Itemq; diploma *Othonis Secundi*, anno DCCCC. LXXIIII. commemorat, *confirmaſſe eum poſſeßiones Gandenſis cœnobij: in pago quidem Bracbatenſi, villam Veruiniam, & Fleterſele, & Papingham, & Bauingam, & Giſenſele, & Holthem.* Quæ loca diſtinctè ſi inquiris, reperies pleraque palàm in hodiernæ Flandriæ finibus, inter flumina à me dicta. Quid concludimus? *Brabantiæ* nomen antiquitùs videri latiùs patuiſſe: poſteà reſtrictum aut obſcuratum, vt ſolent hæc talia, hęſiſſe in finibus Flandriæ, vbi nunc ferè eſt *Comitatus Aloſtenſis*. AVD. Mira. & vnde noſtri Principes hunc titulum, ſi Flandriæ tu accenſes? LIPS. Dicam. Scito Lotharingiam noſtram olim certò ad Scaldim ſe extendiſſe, atque ita illam *Bracbantiam* * in eâ tunc fuiſſe; ſed tempore ad Flandriam iuiſſe. Noſtri certè Annales habent, *Teneramundam cum agris, in pretium fidæ operæ atque opis contra Grimbergios, Theodorico tunc Comiti Flandriæ acceßiſſe, atque abiunctam deinceps à nobis eſſe.* Ita vera Bracbantia non eſt vltrà noſtrorum Principum: nomen tamen tenemus, imò diffudimus in reliquos veteres Comitatus. AVD. Quomodo id factum, aut quando? ſodes, doce. LIPS. Difficile eſt (& pudet me toties queri:) ſed ſuſpicor, cùm Duces iam Lotharingiæ noſtri eſſent, impetraſſe ab Imp. vt ille *Comitum Bracbantiæ* titulus in *Ducatum* item mutaretur. Factum. & placuit nouellus hic præ illo veteri, quia ambiguus erat, & *Duces Superioris Lotharingiæ* etiam vſurpa-

* Hodie *Ayʒa.*

* Ideoq; & nunc *Imperialis* dicitur, eo titulo à Flandriâ diſcreta.

vſurpabant. Adeoque inualuit, vt obliterato Lotharingiæ & alijs, hunc retinerent, & terris ſuis communicarent.

N O T A.

1. *Bracbantia*, vel *Brachbantia* antiquioribus ferè ſcribitur: ideoque *Brauabanda* Becani, originem ſic petentis, locum vix habet. *Bant* limitem ſignificat: ſic *Oiſterbant*, & *VVeſterbant* appellata: quæ *Auſtrouantiam* & *VVeſtrouantiam* non benè efferunt aut ſcribunt. Et fuit ſanè limitanea hæc regio, inter vtraque regna: ideoque *Brac*, *A* craſſo, fortaſsè dicta: quia ſæpè ceſſabant ij agri & inculti erant. quod nos *Braecken*, & *Braeck-landt* vocamus. Sed origines obſcuræ, nugari omittamus.

2. Hunc Ansfridum Annales Leodicenſes *Comitem* faciunt *Louanienſem & Dionantenſem*. quod prius quidem non opinamur, & cum omni hiſtoriâ noſtrâ pugnat. Sed Comitem tamen fuiſſe in parte aliquâ Brabantiæ, facilè donem: atque ita titulum exaudiendum, *Comes Brabantiæ*, id eſt in Brabantiâ, non quòd totius illius eſſet.

LOVANIVM:

id eſt,

OPIDI ET ACADEMIÆ EIVS DESCRIPTIO.

LIBER SECVNDVS.

Caput primum.

Dignitas Ducum Brabantiæ, atque opidi Louanij: Cuius nomen in titulis præualuit. Eaipſa caput Lotharingiæ.

QVando Louanium noſtrum fuerit, & progreſſus eius dixi: *Quantum*, & *Quale*, iam addam. Neque enim à præſenti fortunâ aut ſpecie æſtimate: res magna, inſignis, laudabilis fuit, & pauca in hoc axe opida, quæ potentiâ aut opibus, & addam virtutibus, æquauerint ſe aut æquent. Vt capiatis credatiſque, à capite deducam. Poſtquam Lotharingia annexa Louanio, itemque Brabantia fuit; magna iam Ducum noſtrorum dignatio, validæ copiæ atque opes: vſqueeò, vt inter

inter Germaniæ primos Principes (nam ad Germaniam Inferior Lotharingia pertinuit) primos, inquam, cenſerentur. Clarum & notabile argumentum, quòd cùm *Innocentius* IIII. Pontifex, in Concilio Lugdunenſi, Imperij *Electores* conſtitueret, quattuor ſæculares iſtos nominauit: *Ducem Auſtriæ, Ducem Bauariæ, Ducem Saxoniæ, Ducem Brabantiæ, qui & Louaniæ*. Hæc ita ex ipſis Actis verbatim, inter alia recitat *Matthæus Pariſienſis*, qui Hiſtoriam ante *trecentos quinquaginta* circiter annos in Angliâ, nec infideliter, ſcripſit. Atqui Electorum honore affecti, non niſi primi & potentiſſimi Germaniæ, quod ex adiunctis collegis liquet. Ergo dignitas magna Brabantiæ, & in eâ Louanij fuit. Diſcitis ex ipſo titulo, quem dedi: *Dux Brabantiæ, qui & Louaniæ*, quaſi hęc additio lucem aut ſplendorem priori daret. Et ita fuit. tam celebre enim & diffuſum nomen huius vrbis, vt non ſolùm adtexeretur illi Brabantiæ, ſed præponeretur ſæpè, aut & pro eo ſolum poneretur. Præponi video in Diplomatis. vt Gemblacenſi donatione, anno ∞. C. XXIII. *Godefridus gratiâ Dei Comes Louanienſis, Dux Lotharienſis*. Adtexi, in Othone Sancto-Blaſianò, actis anni ∞. XCVI. de expeditione Syriacâ illâ ſacrâ: *Cui interfuit Dux Brabantiæ de Louin, cum multis Baronibus*. Solum poni, in Diplomate quod in *S^ti Michaëlis* Antuerpiæ ſeruatur: *Ego Godefridus Tertius, Dux Louanienſis*. In Guilielmo Malmeſburienſi, Anglico ſcriptore: *Deſponſa eſt Henrico Primo Adela, filia Ducis Louanienſis*. In Rogerio, eiuſdem gentis: *Rex Richardus venit è Germaniâ ad portum de Anuers, & eſt ille portus in terrâ Ducis de Luuain*. Clarum eſt Antuer-

Anno ∞. C. LXVII.

Anno ∞. C. XCIV.

piam dici, & noſtrum tunc Ducem *Henricum Primum.* Repperi & epiſtolam *Comitis de Sancto Paullo*, in terrâ Anno ∞. CC. III. Sanctâ ſcriptam, & ſic inſcriptam: *Henrico Duci de Louanio, viro nobili*. Quorſum iſta? vt eminentia quædam opidi oſtendatur, ſenſu & voce exterorum etiam adfirmata: qui hanc, vt præcipuum & excellens Brabantiæ aut Lotharingiæ decus, ſuſpiciebant. Itaque diſertè etiam lego in Malmeſburienſi (notent & iactent ciues:) *Louanium caput Lotharingiæ.* Ita inquam, *caput:* & fuit, & manſit, etſi fortuna non eadem manſit. Varia autem cauſſa huius dignitatis, vel quia prima ipſa poſſeſſio Principum noſtrorum fuit, & ideò velut agmen iure temporis ducit: vel quia potentiſſima, & inter alias frequens ac florens. Sanè quia prima fuit, & reliquæ dignitates pòſt acceſſere: ecce ipſa retinuit inſignia Comitum etiam Louanienſium, ſiue Lotharingiæ dicam. Sunt enim eadem. quare? nimirum quia noſtri Comites primi, Lotharingiam ſibi iure ſucceſſionis vindicabant; & cùm rem non poſſent, inſignia ſaltem (ita ſolet) quaſi capiendæ poſſeſſioni inuaſerunt. At cùm iſti tempore mutaſſent, Louanienſes tamen illa priora tenuerunt. Ab hoc ipſo primatu eſt, quod & nunc obtinet, vt cùm Principes imperium Belgicæ auſpicantur, hîc faciant, & primam fidem à ſubditis ſollenniter capiant, ac donent. Denique in omni publico conuentu aut conſeſſu, non Brabantiæ ſolùm, ſed aliarum prouinciarum, Louanium vel ab eâ miſſi primas habent. Magna dignitas, & non controuerſa: ac reliquæ faſces ſponte ſubmittunt. Scio Antiquitatem vulgò etiam inter cauſſas cenſeri: ſed quæ mihi ambigua eſt, & Annalium teſti-

teſtimonia controuertant. Nam *Antuerpiæ* ante mille paullò minùs annos mentio eſt in vitâ S. Eligij: itemque in teſtamento S. VVillebrordi. qui ſcribitur *Eccleſiam ſtruxiſſe in Antuerpo caſtello, ſuper Scaldim.* Neque æuo *Bruxella* cedit: legimuſque *S. Vinditianum apud Broſellam* (ita illę ſchidę) *in morbum incidiſſe.* At Louanio hanc vetuſtatem firmiter vix ibis adſtructum. Anno ↄↄc. L. Anno ↄↄc. XC. Anno ↄↄc. LXXX.

CAP. II.

Frequentia olim Louanij, & incolentium mira multitudo.

RETTVLI & cauſſam ad *Frequentiam*, & *Florem*: de quo vtroque nunc videamus. Et plenam frequentemque fuiſſe hanc vrbem, quid clariùs quàm magnitudo & productio iſta mœnium oſtendit? quæ non in vanitatem aut oſtentationem profectò facta eſt, ſed quia res & copia poſcebat. Sunt nunc vacua multa, fateor: ſed exſtant in Archiuis Cenſuales tabulæ anni ∞. CCC. LX. quæ palàm ponunt & docent, *omnem hunc exteriorem ambitum ædibus refertum*. Vultis & alterum argumentum? Annales habent, tempore & Imperio *Joannis Tertij*, anno ∞. CCC. L. *tantam textorum multitudinem hìc fuiſſe, vt ad tria, imò quattuor millia textrinorum in vrbe eſſent.* Addunt autem, *cuique textrino opus fuiſſe non minùs triginta aut quadraginta homines*, qui lanam præpararent, qui carminarent, qui nerent, aliaſque tales operas exercerent. Sed inprimis qui fullonicam. multis enim ijs opus, cùm molæ iſtæ aquariæ ad eam rem aptatæ tunc nondum legantur. Hæc ſi vera (neque

que ego ambigo) oportuit ex ſolo illo genere ad *centum ſexaginta millia* in hac vrbe degiſſe. AVD. Percutis me, & percellis. LIPS. Atque ipſi ſæpè alios, mi Vvvene. Nam audiui à maioribus, quod & ipſi à maioribus, tantam hîc eam turbam fuiſſe, vt cùm horâ vndecimâ ſignum campanâ daretur deſinendi operis; parentes ſollicitè minores liberos in ædes ducerent aut traherent, ne impetu & impulſu venientium obruerentur. Atque hi ſi tam multi: quid aliarum deinde artium cenſes? nónne ἀναλόγως & pro numero oportuit caupones, ſartores, ſutores, lanios, omne aliud genus eſſe? mihi videtur. Quid deinde honeſtiores ciues, quid magna illa & frequens (mox dicam) nobilitas? quid aſſeclæ eorum & famuli? Profectò ſi alterum tantum addam, non peccem fortaſſe: ſed non addam; & illos etiam primos, ſi vis, imminue: quid tamen minus potes hîc, quàm *ducenta millia* locare? at meo animo, exceſſerunt. AVD. Dij boni, quæ copia præ hac infrequentiâ? LIPS. Quæ nunc ſunt, omitte: aut ego ſermonem omitto. Fuiſſe, inquam, grandem hunc numerum, etiam à Magiſtratu argumentum eſt, qui hîc, ſuprà quàm in aliâ vrbe, grandis & numeroſus. Sunt enim *viginti & vnus Senatores*, è quibus duo Conſules leguntur; tum ſeorſim ſeptem Scabini. Iſti omnes, è nobilitate olim: obtinuitque ad annum ∞.CCC.LX. cùm ſeditionibus (de quibus poſteà) plebs etiam ſe inſeruit, & mixtio eſt facta. Sed videtis igitur grandem Magiſtratum: quo fine aut cauſâ, niſi quia regendi multi?

CAP.

CAP. III.

Nobilitatem multam fuiſſe, in ſeptem familias diuiſam: eiúſque origo quæſita.

SED de Nobilitate, quæ copioſa, & ſuper opinionem hîc fuit, accuratiùs & ab origine eius videndum eſt: quæ tamen parùm certa adfertur, & vereor vt fabellæ miſceantur. Aiunt *Baſtinum* quemdam olim fuiſſe (tempus aliter non deſignant) corpore & animo pariter validum, qui ſeptem filias habuit, & eas totidem viris elocauit: ſed cum lege, quoniam ipſe virilis ſexus liberos non haberet, hæ nobilitatis ſuæ ius tenerent & diffunderent, atque ex ijs nati, tales cenſerentur. Siue res fuit, ſiue inuentiuncula eſt; non tamen abſona à vero & more. quia ſeptem Familiæ primariæ ſunt: quibus ius etiam eſt, vt nobilitatem per fæminas tranſmittant. ſic, inquam, vt ſiquis plebeius aut impar fæminam talem nobilem ducat; liberi è coniugio nati habeantur nobiles, & Senatoria atque alia munia vſurpent. Vna traditio hæc eſt: alia origo in Annalium quibuſdam, refertur ad *Lambertum Primum* Comitem. quem *Patricios* & *Petermannos* inſtituiſſe volunt: idque ex merito virtutis. Nam primùm in obſidione illâ *Godefridi Lotharingi*, * de quâ prædixi, Louanienſes magnum ſpecimen virtutis in repugnando edidiſſe: iterumque in prœlio illo ad *Hugardas*, contra Leodicenſes. Iuiſſe igitur Comitem honeſtatum eos, quorum virtus eminuiſſet, & in certas familias diſtributos, hoc nobilitatis decore ornaſſe. Vndeunde

* Vide lib. I. cap. XI.

unde origo, de numero familiarum conſtat, de & iure fæmineo: atque vtraque etiamnunc durant. Familiæ autem, ſiue Gentes veriùs, ſunt iſtæ: *Limingij, Calſterij, Radingij, Steenij, Vernſalij, Gielij, Rodij*: è quibus ſingulis, alij familiarum velut rami orti, latè ſparguntur, & quamquam ad vnum caput relati, nominibus diuiduntur. Reperio in primâ *Limingiorum*, & quæ ſub eâ cenſentur, Familias *triginta & vnam*; in ſecundâ, *viginti octo*; in tertiâ, *nouem*; in quartâ, *duodecim*; quintâ, *quattuor*; ſextâ, *ſeptem*; ſeptimâ, *nouem*. Sunt ita [1] centum familiæ: & vos iam quamque earum in domos & capita diuidite, efficietis ingentem nobilium manum, nec in aliâ vrbium reperiendam. Certè in vnâ ſeditionum, de quâ poſteà, lego *Equites ad vigintiquinque, Scutarios centum quinquaginta, captos fuiſſe*: & elapſi, aut abſentes, quàm multi erant? Scio hæc nunc noua aut inopinata videri: ſed nos vetera loquimur, & illa pro merito laudatum imus, & ab obliuione vindicatum.

N O T A.

1. Tot familias (centum dico) Diuæus numerat: alij plures. & quid mirum eſt, vbi per fæminas accreſcunt? Aliæ pereunt, aliæ renaſcuntur: ſed certum, ad illarum aliquas referri.

CAP.

CAP. IIII.

De hominibus S. Petri, qui item nobilitatis ius habent. Origo, & honores.

ATQVE iſti ſunt, quos *Patricios* vulgò dicunt, & qui ſoli in Patres ſiue Senatores legebantur: ſunt & *Petermanni*, plebeio verbo, quaſi dicas *Homines Petri*, ſiue vt ſcripta noſtra Latina appellant, *Homines de familiâ S. Petri*. E quâ dictione cauſſam & finem inſtituti agnoſcitis: quòd videlicet, vt alij adſcribi honoris ergô in Aulam & familiam Principum ſolent; ſic iſti in eius Diui fidem ac clientelam. Sunt qui confundunt eos cum Patricijs: & vt hodie res eſt, vix diſſident: olim aliter, vt videtur, & latiùs *Petermanni* patuerunt. Nam etſi facilè hoc donabo, omnes Patricios in communionem huius honoris veniſſe; non tamen contrà, omnes *Petermannos* Patricijs accenſitos. Origo etiam vtrorumque diuerſa eſt. & iſtorum refertur ad *Henricum Primum* Lotharingiæ Ducem, & Louanij Comitem: item ex operâ militari. Bellum ei erat cum Leodicenſibus: & ipſe animo ac copijs paratior, fines iſtorum inuaſit, & *Tungros* opidum oppugnauit, & cepit. Hic ſucceſſus dedit audaciam, vt matrem vrbium *Leodicum* ipſum, raptim ducto exercitu, aggrederetur. Spes in celeritate erat, & vt imparatis ſuperueniret: contrà fuit, intenti inſtructique exſpectant, reijciunt, & reiectum ipſi iam animis aucti inſequuntur. Noſtri ſub noctem *Stippis* caſtra locant: hoſtes aſſident, &, vt è vicinis frequentibusque locis, nobilitas ac plebs adfluit, & in horas co- Anno ∞. CC XIII.

piæ augentur. Adeſt ipſe Epiſcopus *Hugo*, adeſt *Ludouicus* Comes Loſſenſis, item *Philippus* Namurenſis, ipſe *Henricus* Dux Limburgenſis, & clientium cuique ſelecti. Noſtri numero valdè impares, caſtris primò ſe continent: ſed poſt bidui inopiam, omnibus circà hoſtilibus, auſi aciem, egrediuntur, & hoſtem vltrò laceſſunt. Stant in principijs *Louanienſes*; ijsque adiuncti *Lirani*, & *Sandthouiani*: pugnant acriter, cædunt & cæduntur: ſed hoſtes paullatim circumfuſi, reliquos noſtrûm turbant, & dant in fugam. Multi cadunt, aut capiuntur: ipſe Dux *Henricus* in diſcrimine, equo lapſus; & ſunt qui captum etiam tradant, ſed forti & fideli operâ Louanienſium ereptum. Illud conſtat, horum ope Ducem ſeruatum, ſed cum multâ noſtrorum cæde, è quibus ad *duo millia* perijſſe ſcribuntur, interque eos è Patricijs multi. Ducem igitur reducem, memorem virtutis, nec ingratum in eam fuiſſe: omnesque qui ſub *vexillo Diui Petri* (id inſigne Louanienſium erat) militaſſent, prærogatiuis donauit, & *Petermannos* appellauit. Hanc narrationem illud [1] affirmat, quod etiamnunc ſint è *Liranis* & *Sandthouianis*, qui idem nomen & ius iactent. Ius autem olim ſingulare, & perhoneſtum: ſed æuo aut neglectu defecit. Lego in litteris quibuſdam publicis: *Homines B. Petri Louanienſis, liberi & priuilegiati eſſe debent, & ſunt* PRÆ ALIIS *hominibus*. Cenſebantur, vt dixi, in familiâ Diui Petri, imò & Ducis, quaſi Palatini quidam & domeſtici eius. Senatorum litteras vidi, anni ∞. CCC. XXXIIII. quibus eximitur quidam iuriſdictioni communi, qui *diceret ſe eſſe Hominem S. Petri, & ad familiam liberam Domini Ducis*

Ducis pertinere. Habent inter cetera eximium: vt nuſquam vadari, conueniri, iudicari, niſi coram ſui collegij hominibus poſſint. Quos conuocat Prætor, & præſidet Conſul opidanus. Ita poſtremùm obtinuit: initio, quia res tangere ſacra & diuum Petrum videbatur; Decanus & Canonici moderari ſolebant, & cognitioni huic præeſſe. Sed indecorum viſum, rei diuinæ addictos litibus operari, & iuſſi abdicare, ac ſuarum curarum eſſe. Iſti *Petermanni:* quorum nomen viuit, iura exſtincta, aut certè languida ſunt. & quamquam Princeps ex formulâ iuret, *Obſeruaturum ſe iura Eccleſiarum, & hominum ſpectantium ad familiam B. Petri Louanienſis:* fit moris priſci cauſsâ, & res inuſu ferè aboleuit.

NOTA.

1. *Affirmat.*] Alij conuellunt, & litteras producunt, in quibus Decanus & Capitulum S. Petri pro iſtis ſcribunt, anno ∞.CC.V. quod eſſet ſexennio circiter anterius. Sed ibi dicuntur, *Homines B. Petri cenſuales*: & videndum an non diſtincti ſint, & vereor non vnum genus fuiſſe.

CAP. V.

Plebs olim in militiâ: & hoc fine exercitia, & Gildæ. Tum de Lanificio.

NOBILITATEM habetis: Plebem iterùm luſtramus? Multa fuit, vt dixi: & ea ipſa, præſertim ante lanifices, honeſta & modeſta, & bonis artibus addicta. Militiam aut agros multi, alij ſellularia opificia exercebant: ſed honeſtiores, & qui præter caput aliquid in cenſu habebant,

bebant, arma etiam feſtis vacuiſque diebus tractabant. Militia tunc & tela (quod ad plebem attinet) ferè ſagittæ erant, eæque arcu vel balliſtâ emiſſæ. Igitur Collegia talia inſtituta, in quæ nomen darent, qui hoc vel illo telo vterentur. Erat vnum *Sagittariorum* ſimplice arcu; duo *Balliſtariorũ*; poſtremò *Sclopetariorum* acceſſit, eâ quoque machinâ * repertâ. Hæc Collegia *Gildas* noſtrâ linguâ dicunt: & imago manet, vſus perijt, ille quidem verus qui ad militiam ſpectat. Nam in oblectationem aut pompam nunc vſurpant. His talibus areæ ſiue *Horti*, vt vocant, deſtinati, loca idonea exercitio: ad quæ conueniebant, & diſcebant docebantque. Præmijs etiam ſe mutuò prouocabant, & æmulatione excitabant. quod non priuatim ſolùm, & in ſuo quique opido; ſed publicè faciebant, & plurium opidorum conuentu. Louanienſes certè & Bruxellenſes, finibus & amicitiâ ſemper iuncti, ſtatum quotannis tempus habebant, quo *Furam* conuenirent: amœnum locum, & pari ferè ſpatio ab vrbe vtraque ſeiunctum. Vetuſta ibi arx eſt Principum noſtrorum, & aſſita *Sogniacenſis ſilua:* & iuxta eam area, & certamen. Quod balliſtarij ſelecti certabant, & prçmium victoribus vinum erat. Vidimus nos in adoleſcentiâ comiter celebrari: & *Ioannes Quartus* inſtituerat, ac leges dederat in rixam aut tumultum. Quid etiam? *Iſcam* meam ſileo, quæ conſors certaminum iſtorum fuit? nam municipium eſt, & opidorum iura habet. Itaque publica iſta panegyris ſiue commiſſio ibi etiam celebrata, anno ∞. CCC. XVII. & præmium *Ceruus viuus* fuit. ſatis dęcorè, quoniam & ſiluis ij adhabitant, & venationem in promptu habent. Vicerunt, tuleruntque Louanienſes,

* *Et visâ in Belgicâ, anno* ∞. CCC. LVI.

nienſes. Atque hæc, vt dixi, olim plebs erat: nec ſtudia iſta culpes, imò laudes. Acceſſere deinde magis magiſque lanifices, & quia lucrum adfluebat, omnes ferè eò, etiam nobilium multi verſi. Alius opus exercebat, alius pecuniam dabat, alius emebat aut vendebat. Imò & ad opida ac pagos vicinos artificium iuit: & *Dieſthemij, Tillæmonte, Trudonopoli* paſſim in lanis occupati. Quid verba facio? quæ gloria aut frequentia panno nunc Britannico tribuitur, ea Louanienſi fuit: & hinc (* in loco dicendum) ad illos iuit. Conſtat ex Archiuis vrbicis, ciues iſtos annuatim *Francofurtum*, *Lutetiam*, *Londinium*, alia loca mercatui deſtinata adiſſe, & Baſilicas ibi ſuas ac tabernas, pannificij huius gratiâ, habuiſſe. In ipsâ hac vrbe, proprium ijs tribunal fuit, quod octo *Decanos* (ita vocant) habet, & cauſſas omnes tales cognoſcebat ac decidebat. Manet & illud, res abijt, vt ſunt humana. AVD. Atque ego doleo, in flore ſanè tunc vrbs erat. LIPS. Ne dole, mi Del-Plani. quid? nónne melior Minerua ſucceſſit? denique éa turba & copia vrbem perdidit, & quidquid honeſti ac priſci moris erat, corrupit.

* Lib. II. cap. XII.

CAP. VI.

Opes Louanienſium, vt illo æuo, notabiles: & pauca exempla.

LASCIVIA orta, & luxus, & quæ alia Opes ſequi amant. Nam & eæ ex his commercijs ſatis iam auctæ erant, & vt tunc cenſus Belgicæ, *Louanienſes diuites* habebantur. Ipſi nobiles prædijs & villis, atque etiam dominijs (vt noſter mos habet) opulenti, & pleroſque vicinorum

norum pagorum poſſidebant. Lego *Gualterum Heremachium* ex ijs, in Angliam nauigantem, captum à *Moranto* famoſo piratâ eſſe, & redimias *quattuor millia aureorum Scutatorum* exactum eſſe, ac ſoluiſſe. Item bello Iuliacenſi infauſto, cùm Dux noſter *VVenceſlaus* ipſe in manus venit, duos Louanienſium captos, ad luendum ſe dediſſe *decem millia aureorum*. Et addunt Annales, *grandem hanc ſummam petitam, quia conſtabat Louanienſes diuites eſſe.* AVD. Bis iam hoc elogium repetis, & rideo: quis neſcit meram paupertatem hîc nunc habitare? LIPS. Semper me ad iſta reflectitis: ego in imagine eius æui hærere vos velim. Neque item in iſtis opibus, Hiſpaniam hodiernam aut Italiam cogitare, nec Antuerpiam quidem tuam Rubeni: ſed illa tempora & homines, virtutum magis quàm auri copioſos. Et tamen pretia, quæ dixi, etiam hodie ſint alicui ex proceribus redimendo. Iam & illud argumentum Opum, quòd publicè ex ærario largiri magna & multa ſolebant. *VVenceſlaus*, in auſpicijs hîc imperij, accepit à Senatu *Scyphos plures argenteos, itémque vinarias amphoras: prætereà vini Rhenani ſex & viginti Amas, Pannos coccineos (Scarlatos* nos vocamus) *ſex, denique totidem boues pingues*. Eidem poſt paucos annos, pro pace inter ciues conciliatâ (etſi hercules parùm vtili) *ex ærario trigintaquinque millia aureorum, quos Verueces vocant:* iterumque biennio pòſt, *tria millia*; & non longè, *ſex millia* donata. Hæc extra ordinem, præter publica & ſollennia tributa: ſicut & illud donatiuum *vndecim millium aureorum*, quod in vitam eius quotannis pependerunt. Omitto, quæ miniſtris

Anno ∞. CCC.LVI.

Anno ∞. CCC.LXXI

Anno ∞. CCC.LVI.

Anno ∞. CCC.LXII.

ſtris & Palatinis huius Principis dediſſe varia reperio: qui & ipſi, pro ingenio Domini, petaces aut auari erant. Cogitate & conſummate, etiam in iſtâ pecuniæ adfluentiâ, quam nouus Orbis inuexit, iuſtæ ſunt iſtæ opes. Itaque apud exteros etiam magnifici & munifici noſtri habebantur: quídni? exempla edebant. Vnum referre libet *Ludouici Pinnoccij* patricij, & in hac vrbe per annos XLIIII. Prætoris. Multa ille bella obiuit, ſuo impendio & ſumptu: etiam legationem in Auſtriam, cùm publicè honeſtiſſimi quique mitterentur, ad *Maximilianum Auſtrium* arceſſendum, qui *Mariam* noſtram Burgundicam, & vnà Belgicam, deſponderet. Viennam venerunt: benignè accepti ſunt à *Friderico* Imperatore. qui loca, lautia & munera dedit; inter primos *Pinnoccio*, vti dignitas eius & vrbis erat. Id munus fuit, magnus crater ex auro ſolido, & intus aurei Ducati Hungarici ſtipabant. Accepit noſter, & gratias egit dicam, an reddidit? nam ſequenti ſtatim die ipſum Imperatorem (ea tunc comitas erat) cum pleriſque Palatinis ad conuiuium vocat, ſplendidè & dapſilè accipit, omnibus mirantibus, & vel duplum doni ſui fatentibus impendiſſe. Opinionem peperit, eſſe è Principibus patriæ: & ijdem Germani cùm paullò pòſt huc veniſſent, magis mirati ſunt, cùm non niſi Prætorem Louanienſem agnouerunt. Sed ea viri liberalitas, an profuſio fuit. quâ factum (nam aſſiduè vtebatur) vt mortuo eo vix eſſet vnde iuſta funeri fierent: niſi ſoror ſubueniſſet, quæ *Domino Melderatenſi* iuncta nuptiis erat. Habuerat & ipſe duo Dominia, *Horſtum & Velpam*: vtraque vendiderat, ſplendori & famæ ſuſtentandæ.

CAP. VII.

Pietas & Probitas Louanienſium.

ISTA de Opibus: ſed magis laudare eos à Virtute capior, & Probitate: quâ ſemper eximiâ ſplenduerunt. Deo & religioni addicti, exemplo ſuòrum Comitum: quibus non alios dabitis, qui ſacra magis coluerunt, auxerunt vel ornarunt. Scribebant ſe, & ſuperbiebant in hoc titulo, *Aduocatos*, aut *Defenſores Eccleſiarum, ac Cœnobiorum:* quod Diplomata eorum paſſim oſtendunt. Scribebant, & reipsâ exhibebant. quot ab ijs monaſteria inſtituta, vel aucta? quot templa, aut ſacella? quot paſſim donaria? infinitum ſit referre: & quædam tetigi, ſed quædam, & poſteà tangam. His ducibus, meritò igitur ciues ſecuti & æmulati ſunt pietatem: quam inuiolatam ad hoc æui, inter ruinas aut lapſus, etiam inter ciuicas iſtas procellas, & communem, pænè dicam, furorem, tenuerunt. Atque olim leges etiam ſanxerunt pro diuino cultu: ac reperio iſtas. *Templis ædibúſque ſacris honos eſto. & nequis pilam, néve trochum in areâ, aut circum illa ludito.* Ecce, etiam pueris reuerentiam illam volebant inſitam, & ſacra loca nec luſu temerare: quis nunc vetat? Alia grauior: *Diebus feſtis ſacratíſque nequis aliud agito. nemo cauponam, aut tabernam promercalem, ante publici ſacrificij finem reſerato, néve quid emito aut vendito.* De Tabernis, ſeruatur fortaſſe: de cauponis quàm aliud eſt, & quàm vulgò ſe in eas immergunt? Iam alia ad Probitatem. *Nequis noctu perſonatus, néve mutatâ veſte, obambulato.* Item:

Ne

Ne taberna,ne caupona, poſt veſpertini æris ſignum patens eſto. Item vna ſingularis, in raptores: *Stupri raptúſve conciliator aut adiutor, exſul eſto; qui autem patrauerit, ligneâ ſerrâ caput abſcinditor.* Nouum hercules de *ligneâ ſerrâ*, & abſterrere graui & lento hoc ſupplicij genere voluerunt. Plures memorare poſſim ad modeſtiam, contra luxum, & vitia: ſed quia etiam alibi, omitto: nec copia ſanè legum bonos beatoſque facit, ſed obſequium & cultus. Id hîc fuit: & paucis legibus, populus naturâ atque inſtitutione bonus, virtutem coluit, ſiue ciuilem hanc vides, ſiue militarem.

CAP. VIII.

Facta militaria eorum, & expeditiones pro religione. Virtus Guilielmi Rodij.

NAM & *Militiâ* ciuitas iſta excelluit, ſuper omnes finitimos, & video te auertere Vwene, ac ridere. AVD. Da veniam, nihil tam alienum nunc videtur. LIPS. Gratia noſtris Muſis togiſque eſto, quæ pacem intulerunt, & ad hanc ciues formarunt: ſed quoties dixi, aliam olim faciem fuiſſe? Louanium, præter nomen, vetera pauca habet. Sed de militiâ, aſſidui in eâ olim, & præſertim multa hæc nobilitas, quæ vnum id ſtudium, aut præcipuum, colebat. Ideò & honos ijs atque æſtimatio: & in omnibus bellis (inquiſita narro) proximi tabernaculo Principis, vt fidi maximè & ſtrenui, tendebant. In acie etiam, honeſtiorem locum atque ordinem ſortiebantur. Quod tamen controuertere Bruxellenſes cœperunt, anno demum ∞. CCC. XL. Tornacenſi bello. Dux *Ioan-*

nes Tertius, qui neutros volebat illo tempore alienatos, ita tunc definiuit: *Vt ſi in Flandriam, Hollandiam, Hainouiam arma inferrentur; primas, vt ſemper, Louanienſes haberent: ſin autem in Geldros, Leodicenſes, Namurenſes iretur, Bruxellenſes præferrentur.* Appâret in vltimâ clauſulâ non ius, ſed comitatem ſpectatam: & vt Louanienſes longinquis, & velut hoſpitibus, cederent, quoties per eorum fines, aut ad propiora ijs, iretur. Sed bellatores igitur magni: & quod in laude meritò pono, in ſacrâ militiâ exerciti, & ſemper in eam proni. Dico, quoties bella hoſtibus religionis illata, ſiue in Oriente, ſiue in Septemtrione ſunt, ſiue in propiore Europâ noſtrâ hæreticis & turbatoribus; ſemper iſti in armis, & vel Principum ſuorum aſſeclæ, vel & exterorum fuerunt. Quid aſſeclæ? multi & ſuâ ſponte & ſumptu iuerunt. Prima, ecce, expeditio Duce *Godefrido Bullionio* in Syriam fuit, anno ∞. XCVI: cui noſter *Godefridus*, poſteà Dux, interfuit. quod Annales quidam noſtri tradunt (neque enim omnes:) ſed pronâ meâ fide, quia *Henricus* frater eius adhuc imperium tenebat, & probabile in tam laudabilem militiam, cùm aliud non alligaret, nomen dediſſe. Certè idem poſteà iterùm fecit, aut conatus eſt: & Regeſta vrbis huius habent, anno ∞. C. VI. *crucem eum cum Lotharingis & Francis pro Terrâ ſanctâ aſſumpſiſſe*. neque vltrà addunt. Idem in *Godefrido Tertio*, qui anno ∞. C. LXXXIII. expediuit, & cum eo è Louanienſibus tres equeſtri dignitate, *Joannes Radingius, Arnoldus Rodius, Henricus Netenius*, & mox *Joannes Calſterius*, item eques. Et quid ordine recenſeam? fidei hoc meæ credite, vix annus eſt, quo non legam

gam aliquos ab hac vrbe in *Aſiam* iuiſſe, alios in *Pruſſiam*, in *Saxoniam* contra *Stadingos* (tunc hæreticos) in *Boëmiam* contra *Huſsitas*. Nam ad ea vſque tempora pius ardor hic manſit: imò manipulatim ibant, & lego anno ∞. CCCC. XXI. perrexiſſe in Huſſitas *centum octoginta voluntarios ciues, multóſque è patricijs*: & anno ſequenti, iterùm *octoginta popularium, è nobilitate autem ſeptenos*. Et cur priuatam etiam gloriam meam ſileam, referendam ex fide? Fuit è maioribus meis *Guilielmus Rodius*, cuius eximia facta memoriam merentur, & publicè eam in æde ſacrâ Dominicanorum, choro medio, habent. Lapis ibi ſepulchralis, in hanc faciem & inſcriptionem:



* Ex hac ſtirpe mea nunc vxor.

Videte & miramini vel pietatem, vel robur, atque etiam felicitatem viri: qui *decies octies* in longinquam illam Boruſſiam iuit, rediuit, quoties mercatorem aliquem aut lucripetam feciſſe, miraculo ſit. Quid etiam? *ſemel in Terram ſanctam*, vt habet inſcriptio: etſi Annales libri vrbici augent, & *ter iuiſſe*, palàm ſcribunt. Nec refuto. & quod eſt in epitaphiâ illâ, capiendum, vt verba ſunt, de profectione *ſub propriâ habenâ*: id eſt, quòd ſemel ſuo ductu imperioque iuerit, ſæpiùs alieno. Scito autem Boruſſos illos, ſiue Pruſſos, gentili religione partim etiam infectos fuiſſe, & magis vicinos Lithuanos; & hæc bella inferendæ noſtræ ſuſcepta. O generoſa bella! nunc ea ſint! Sed ad *Guilielmum*, in eius viri ſtirpem per *Ægidium Rodium* nos inſerimur. qui filias duas habuit, & priorem nuptam *Ioanni Linckebekio* viro nobili, atauo meo. Ille iterùm duas filias; & prior denupſit *Iuſto Lipſio* proauo: & villa Rodia, quamquam diuiſionibus fracta (vidiſti eam Rubeni) etiamnunc eſt in manu ac poſſeſſione noſtrâ.

CAP. IX.

Facta alia militaria, & virtus in præcipuis prælijs.

IAM alia bella videre ſi lubet (& multa noſtri Principes habuerunt) vbi non dicam præſentia, ſed gloria Louanienſium, non eminuit? Vnum aut alterum è pluribus adferam, & reliqua iuſtæ Hiſtoriæ reſeruentur. Ecce,

GODEFRIDVS *Tertius* Dux noſter erat, anno ∞. C. XLIII. ſed in primâ infantiâ, & vitæ ordientis annum

num nondum egreſſus. Ea res animos ſpesque mouit veteri hoſti, *Bertoutiorum* genti, cum quâ bellum auo patrique eius fuerat: & ſeptemdecim etiam iuſta prœlia, neque nobis ſemper ſecunda. Hæc familia *Grimbergæ*, *Mechliniæ*, alijsque locis præerat; tum & fœdera cum *Francis*, *Hollandis*, *Geldris*, & ab ijs auxilia habebat. Itaque grandes copias in aciem educebant: occultè aut palàm illis alijsque iuuantibus, quibus magnitudo noſtri Principis inuidioſa, aut formidoloſa etiam eſſet. Ergo nunc opportunum rati, & infantiæ inſidiati, inſurgunt. Noſtri Proceres Louanij conueniunt, deliberant, ante omnia Principem nouum in paterno ſolio locant, & fidem ei populariurn obſtringunt. Hoc facto, ad bellum accingunt: & hoſtis vrgebat. nam arcem *Netelariam*, itemque *Viluordiam* iam ceperat, vſſeratque. Noſtri obuiàm progreſſi, in propinquo caſtra metantur, & iuſtè ac piè Fecialem primò ad hoſtem mittunt, qui conditiones æquas pacemque offerret: redirent modò ad vetus imperium, & Dominum quem Deus & mos huic regioni dediſſet, ipſi in eâ mediâ, colerent agnoſcerentque. Ferociter reclamatum eſt, & vix manus à Feciale abſtinuerunt. qui vt redijt, & pugnandum denunciauit, in craſtinum diem alacriter prœlio ſe parant. Haud procul Bruxellâ res geſta, in patentibus ad Viluordiam campis: placuitque, conſilio *Godefridi Baronis Gaesbekani*, puerum Ducem illuc deferri, & animandis noſtris oſtentari. Quod ſanè factum eſt vel ipſo aſpectu miſerabilis infantis, in cunis allati, & ad ſalicem arborem (ita tradunt) ſuſpenſi. Quæ concio potuit diſertior hac facie eſſe? Conijciunt oculos, manu qui poſſunt tangunt;

tangunt; omnes, vt numen, ſuum Principem voce & affectu venerantur: & animis inflammatis in hoſtem eunt. Magna pugna, magna cædes: illinc veteranum robur, & multæ victoriæ; hinc virtus, ardor, & pro omnibus ducibus Dux infans. Quoties pedem referre cœperant, flexi ad hunc oculi reprimebant: vagitus, qui interueniebat, & ne ſacrum pignus proderent, pro omni exhortatione erat. Denique vi vincunt. cecidêre ex hoſtibus plerique omnes duces, aut capti ſunt: ipſa capita rebellionum, *Bertoutij*: *Zennam* fluuium cruentum fluxiſſe è reliquâ vulgi cæde, Annalium habet fides. Neque noſtris ſine nube victoria, cæſis Procerum primis, & inter eos Patricijs duobus Louanienſibus, *Rudolfo Radingio*, & *Simone Grindelio*. Ante etiam prœlium, baltheo equeſtri cincti è Louanienſibus fuerant, *Gerardus Dormalius*, *Radulphus Erpenſis*; inſigni in ipſo prœlio virtute. Pugna hæc pugnata XVII. Kal. Sextiles.

IOANNES *Primus*, anno ∞. CC. LXXXVIII. bellum habuit cum *Reginaldo* Comite Geldriæ, qui de Limburgenſi Ducatu controuerſiam nobis faciebat. Erant in partibus huius plerique vicinorum Principum, atque ipſe Antiſtes Colonienſis *Siffridus*. Falcoburgi conuentum habuerunt, arma & militem parantes: ſed noſter occupauit, & totâ Brabantiâ dilectu indicto, inſigni exercitu, Moſam flumen *Traiecti* tranſmiſit. It in hoſtes, illi in fugam: & Antiſtitem, vt columen partium, noſter perſecutus, Bonnam vſque peruênit, & prourbia exuſſit. Cùm pugnæ copia non fieret, reduxit ſuos, iuſſos priùs equos omnes, militari quâdam iactantiâ, in Rheno

* *Ad Rhenum, duobus circiter infra Coloniam milliaribus.*

potare: factoque,* *Voringam* arcem, validiſſimum in ijs locis propugnaculum, obſedit. Non deſerit ſe & ſuos Antiſtes, amicos & fœderatos è Germaniâ conuocat, & ingentem exercitum facit, venitque prœlio certaturus. Septem primarij duces erant, totidem cateruæ conſpiciebantur: ipſe *Antiſtes*, *Henricus* deinde Lucemburgenſis, *Reginaldus* Geldrus, *Adolphus* Naſſouius, *Valeranus* Falcoburgenſis, & *duo* huius fratres. Vt in propinquo fuêre, noſter Dux animandos ſuos ràtus, ita infit: *Breui & ſimplici oratione apud vos vtar, commilitones; Viri eſte, aut viui nec eſte. Quid verbis opus eſt? animis & oculis circumſpicite: cincti vndique ab hoſtibus ſumus; à fronte, tergo, latere, & in mediâ eorum terrâ. Fugam aliquis cogitat? niſi alas ſumitis, non euaditis: ideóque vana aut fœda omittite; ferro viam hanc fecimus, ferro reditus eſt parandus. Glorioſum hucuſque penetraſſe, & hoſtibus profugis ſolum eorum calcaſſe aut ſubieciſſe: ſed tanto maius periculum aut infamia eſt, remittentibus & ignauis. Procul amici, procul patria: cuique in ſe ſpes. & Deum, cauſſam, & me videte. Iniuſtis armis laceſſiti ſumus: & ideò timor in illos ingruit, atque aris fociſq; patrijs deſertis fugerunt. Quid iam? venit imbellis dux, non quia audet, ſed quia latêre vltrà non poteſt; & animos à deſperatione ſimulat magis, quàm ſumit. Trahit ſecum ſeptem agmina: & gaudeo, diuulſi ſunt. Facite cohærere: nempe ſub illo capite, quòd ſacra magis quàm arma, tractare didicit. & addam, debuit. Quid tibi vis Antiſtes? Aciem, cruorem, cædem omitte: puras manus Deo offer, & ab armis ad aras iterùm refer. Si non vis,*

adige-

adigemus: & hoc quoq; victoriæ huius decus erit, Deo & diuinis ſuum vindicaſſe. Agite ô equites peditéſque, vos ô mei è Brabantiâ, qui eſtis & fuiſtis, exhibete. Quot victorias ego aut pater meus vobiſcum peperit? agnoſco ora manúſque: & cinctus vobis vel in mediâ Barbariâ confidam. Semper ſupra pericula, extra dedecora fuiſtis: idem nunc, aut mihi quidem ſuprema hæc lux eſto. Sed abominor, hoſtibus eueniat: en ibi ſunt, in illos imus. qui me amat, verè nunc Ducem ſequatur, IMVS. Dixit, & adhuc dicentem voces interpellarunt, & tympana vndique ac tubæ. Nam & hoſtes magno animo ingruebant. Concurritur, & negant Annales ab vllâ hominum memoriâ talem in iſtis partibus pugnam pugnatam. Noſter, vt promiſerat, eminet: & inter primos voce, manu, incitat aut pugnat. Atque adeò in manus hoſtium, preſſus cinctusque multitudine, venit: ſed Brabantini eò acriùs irrumpere: interque eos primus *Arnoldus Hoffſtadius*, Louanienſis Eques, vetere militari gloriâ. Is diſiectis aut cæſis proximis, magnâ vi Ducem eripit, & in equum ſuum ipſe deſiliens imponit. Iamque pedes pugnabat, & periclitabatur: ſed iterùm egregio facinore, imminentem ſibi hoſtem interficit, equumque eius conſcendit. Eo exemplo, & aſpectu Principis ſui, animati Brabantini, nouo impetu inuadunt ſternuntque hoſtem. *Quadringenti* ordinis equeſtris viri cæſi, è ducibus *Lucemburgenſis*, & duo *Falcoburgij* fratres: vulgum non numerant. Capti ipſe Antiſtes *Colonienſis*, *Geldrus*, *Naſſouius*, *Falcoburgenſis*. Memorabile ſatis eſt de Naſſouio, quod narrant. captus videlicet, cùm Duci noſtro ſiſteretur, rogareturque ab eo *Quis eſſet*? *Comes ſum*, in-

quit, *Naſſouius:* & addidit, *Tu autem quis es?* Noſter: *Dux ſum Brabantiæ, quem bello iniuſto petiјſti.* Ille: *Túne autem? miror & indignor gladium meum euaſiſſe, quem in te vnum acueram, & ſanguine iſto tingere auebam.* Ferox & militare dictum, alium irritaſſet: noſtri altum animum ad clementiam mouit: & virtute ac libertate viri inductus, veniam ei, imò & amicitiam ſuam dedit. Hoc initium aiunt, familiæ eius in Belgicam traductæ, vbi opibus gloriaque diu floruit. Sed ad inſtitutum noſtrum. claruerunt hoc bello è Louanienſibus, præter eximium illum *Hofſtadium*, *Arnoldus Steenius*, *Leonius Harſius*, *Henricus Oppendorpius*, *Henricus VVilreus*, *Ioannes Rodius*, *Guilielmus & Arnoldus Radingij*, *Henricus Bialandenſis*, omnes Equites. Alij è patricijs Scutarij aut* *Cnapones* (vt non inſcitè Annales quidam formant) multi fuêre; & plurimi è plebe.

* Nam Germanicè *Schildknapen* dicuntur, & ſimpliciter *knapen.*

CAP. X.

Labes vrbis, & in eâ ſeditiones. Prima leuior, ſecunda grauiſſima, Couterelliana: eáque accuratè deſcripta.

ET Frequentiam ac Florem ſatis iam vidiſtis: quid exſpectatis, niſi (vt in alijs humanis) imminutionem aut lapſum? Quæ mox ſecuta à grandi populo, opibusque: & laſciuia, diſſidia, ſeditiones fuêre, venena omnis ſtatus. Cauſſam vel initium hæc à plebe habuerunt, iam contumaci; & cùm frequentiam ſuam vidiſſet, intrepidâ: atque ita paullatim in rectores & optimates

mates primò minas, tum & manus auſa inferre. Adnoto primos motus fuiſſe anno ∞. CCC. XL. cùm plerique nobilium (ij ad hoc tempus rempublicam ſoli rexerant) in obſidione Tornaci eſſent, Anglo regi hanc operam gratificantes. Sed dum, inquam, abſunt: plebs ſuum tempus rata, remp. inuadit; & cùm alia mutat, tum in primis exſules quoſdam ſui corporis, ſuperiore anno legibus pulſos, reducit. Patricij cùm rediſſent, querelæ, iurgia, arma: & pugnatum atrociter in foro medio, ſed vicerunt Patricij, manu clientium ſubnixi, & longâ armorum tractatione ſuperiores. Fuga tamen maior, quàm cædes fuit. niſi quòd in victoriâ ſæuitum, & abſtracti ædibus ſuis, atque etiam ſacris, qui in eas fugerant, gladio, carcere, exſilio pœnas dederunt. Quies deinde per vicennium, ſed infida. quippe animis exulceratis, & plebeiorum non occulto fremitu: qui in motum turbaſque iterùm erupit, à principio vnde non timebatur. *Petrus Couterellus* Prætor erat anno ∞. CCC. LX. qui homo etſi nobilis, & è Patricijs, tamen, prauitate ingenij vel ambitu, iam à primâ Præturâ (nouennium tenuerat) omnem anſam laceſſendi aut lædendi Patrum quærebat. Oblata eſt, aut arripuit, anno iam dicto, iſtam. Ciuis quidam piſces vænales in vrbem carro aduehens, cùm is in luto hæſiſſet, equum ſubitò paſcuis eductum, ſubiunxit, & carrum extraxit: ſtatimque equum bonâ fide & illæſum reduxit. *Couterellus* hominem, vt furti reum, in carcerem conijcit: Scabini appellantur, cognoſcunt, inſontem pronunciant. & cùm Prætor non remitteret, iuriſdictione ei interdicunt, quòd contra leges, ciuem in vinclis haberet. Prætor illicò Bruxellam, ad

Principem. qui tunc *VVenceſlaus* erat, *Ioannæ* maritus, gente Bohemus, frater *Caroli Quarti* Imperatoris: quem produnt cæſo matris vtero in lucem veniſſe. Hunc neque pace, neque bello optimum, certè non feliciſſimum, fuiſſe, licet dicere: & Louanienſibus cauſſa non eſt, cur valdè ament. Ad rem. aures iſti Prætori credulas præbuit, potentiam Patriciorum calumnianti, & reprimendam à Principe, bono ſuo, aſſerenti. Neque fautores talium deeſſe in Aulâ poterant: inter quos *Sconuorſtius* quidam, vir præpotens, ſed animi aut conſilij parùm rectus. Is palàm dicere, *Cornua Patriciis* (verba eius ſunt) *minuenda, qui nimiùm iam ferocirent. Poſſe id Principem, ſine ſuâ operâ aut inuidiâ, plebe efferri permiſſâ.* Princeps in aperto ſententiam non tulit: hoc tamen Couterellus facilè vidit, non iniquis auribus animiſque ſe auditum. Itaque alacer domum redit, ad ſuos refert, & factioſiſſimo cuique faces ſubdit. Iam in eo erat vt ſeditio erumperet: neque neſcire Patres poterant, ſed remiſſiùs agebant, ſiue mitigare bonitate parantes, ſiue fatali, vt ſolet, ignauiâ. Aderat fortè per hos dies *Gerardus Vorſelarius*, vir & miles nobilis, cum ſelectâ Equitum alâ: qui operam ſuam Patribus vltrò obtulit, & ſuaſit vti: iſti dimiſerunt. At non incepta ſua Couterellus. qui die quodam Senatus habendi, ſuos conuenire ſenſim in forum iubet: idque cum armis. Adſunt, & iam turba eſt, atque ipſe concionabundus excitat, & *ſuperbiam Patrum, & dura imperia,* inculcat. *Hos eſſe, qui ſoli rem publicam occupent, qui honores, qui pecuniam, ſua faciant, qui tot fortiſſimis viris imperent, vt ſeruis. An excidiſſent, ante paucos annos, tot innocentes*

ſui

ſui corporis, gladio, laqueo, exſilio puniti, ob liberiores quaſdam voces & facta? Eadem manere ipſos, niſi viri ſint: ſed eſſent, & quem timerent? In manu, inquit, *veſtrâ eſt, finem malis facere: audete tantùm, multi in paucos, parati in improuidos; læſi in laceſſentes; Deus hominéſque fauebunt. Ipſum Principem, diuinâ benignitate, mitem animi habemus, & æquo eo laturum, ſiquid illi patiantur, vos faciatis. Iniurias veſtras in oculis habete,* LIBERTATEM *in ore, & hæc teſſera eſto: ite, iſtam aſſerite, illas propulſate.* Dixerat, & loquente adhuc eo fremitus, clamor, minæ, & ad curiam verſi manus & voces intentant: *Prodirent ciuium oppreſſores, ærarij prædones, pœnas daturi ſcelerum, aut iniuriarum.* Et iam ſe quiſque hortari, & vim parant. Curia clauſa erat, & trepidi Patres, neque ad reſiſtendum pares: cùm Couterellus prouolat, & quaſi benignitate deditionem ſuadet, & nihil vltrà mali paſſuros adfirmat. Prudentium eſſe, cedere huic tempeſtati. Cedunt, & ſe dedunt. At turba ſtatim irruit, manus & vincla inijcit, & in Arcem captiui deducuntur. Tum aumaria & archia Senatus frangunt aut reſerant, armamentarium pariter: compilant, dilacerant, aut vſui ſuo quod erat, tollunt. Exſtant nomina & numerus captorum, paullò minus *ducentis:* interque eos Equites *vigintiquinque:* reliqui in proximas vrbes dilapſi, aut in prædijs villisque ſuis latebant. Couterellus ſedato tumultu, & vt forma aliqua reipublicæ eſſet, nouum Senatum legit, mixtum è plebe & Patricijs. nam & ex iſtis molles aut ignauos quoſdam repperit, conſilijs ſuis opportunos, quique communem iniuriam præſenti honore mutarent. Tum ad captiuos ſub-

ſubmittit,qui periculum à plebe denuncient; ipſos quoſdam è plebe, qui turbidis vocibus circum Arcem, ad cædem eos depoſcant. Ita illi trepidi, Couterello ſupplices fiunt: & denique grandi pecuniâ, ſeorſim quiſque pacti, dimittuntur. In Leucis *VVenceſlaus* erat, dum hæc geruntur, caſu an conſilio longinquus: ſed adeunt ſtatim exſules, & facta docent, & remedium atque vltionem expoſcunt. Cum frigore audiuntur: etſi nobilitas pleraque faueret,& è conſiliarijs, quibus æqui honeſtique cura aliqua eſſet. Venit & ipſe Couterellus, qui auro multos ſuos fecerat: & res dilata eſt, dum Princeps rediret. Quod factum ſequenti anno, & intereà imperium Couterellus continuauit. Iam Bruxellam VVenceſlaus venerat, atque ibi agminatim nobiles adeunt, orant,vrgent, rem peſſimi exempli vindicare, néve ſeditioni aut licentiæ campum aperiret. Inſtant ſeorſim & Bruxellenſes,ac pro ſociâ vrbe acriter nituntur. Denique perpellunt,vt conductis in vnum copijs,Louanium moueret: venitque *Bancum.* Dum ibi eſt, ſtatim Couterelliani,quibus aduerſus Principem nec vis nec animus erat, ad eum veniunt, & imperata facturos ſpondent. Ita Princeps admiſſus, exſules reducit, ſed in turbatores iram aut vindictam non oſtendit. Ipſum Couterellum, caput malorum, Præturâ dumtaxat abdicatum, in nouo Senatu Scabinum creat; & eius inſtituto, Senatum ipſum mixtim è Patribus & plebe legit, ſeminarium deinde turbarum. Amor pacis & concordiæ prætexebatur: ſed prudentioribus eo facto apparuit, non imprudente,certè non illibente Principe,priora illa adminiſtrata. Ita quies vrbi, ſed parùm certa aut longa, reſtituta.

nam

nam plebs exſultare, & illis vt victis inſultare; ipſe Coutcrellus dominationem exercere, & augere: donec tædio præſentium, & futurorum etiam metu, Patricij plerique ſponte vrbe cedunt. Lætum id Couterello fuit, & iam liberè agere, amotis æmulis: ſeque in ſequentem annum Conſulem, cum *Geldolpho Roggâ*, textore, deſignat. Et quia præſidium in auro expertus eſſe ſciebat, vndique illud quærere; nec domi tantùm, ſed apud exteros, fide ciuitatis publicâ, corrogare. nam ſigillum in eius manu erat. Eoque opum & potentiæ venit, vt *Henrico* Dynaſtæ Hooghſtratano filiam ſuam cum grandi dote elocaret, & quantam iſte popoſciſſet. Sed inuidia etiam comitata, & crebræ apud Principem querelæ: neque gener aut *Sconuorſtius* excuſare ſatis, aut tueri poterant: eoque ventum, vt iterùm caſtra ad vrbem moueret. Fiunt & iterùm eadem, illi Principem admittunt: iſte vtramque partem in pacem iuramento adigit, & obſides etiam capit; è Patricijs *duodecim*, è plebe *quadraginta*. Couterello Conſulatus manſit, & in communione honorum nihil mutatum. Tamen ipſe, conſcientiâ terrente, & quia alieniorem iam Principem ſenſerat, ſponte, rebus collectis, vnà cum aliquot factioſorum anteſignanis, aufugit in agrum Leodicenſem. Ibi cùm infeſta itinera haberet, & mercatores Louanio Germaniam petentes ſiſteret, aut in vincla daret, pecuniæ extorquendæ: iram VVenceſlai feriò mouit, qui ipſum ac vigintiquinque textorum proſcripſit. Nec ſic quidem quieuit, ſed conatus vrbem irrumpere & ſuam facere, ſubſidio clàm in eâ conſpiratorum, ſucceſſum non habuit, & ſupplicium de iſtis ſumptum. Ita rebus deſperatis, ad pre-

ces verſus, & *Hooghſtratani* maximè operâ, veniam exſilij impetrauit, redijtque Louanium anno ∞. CCC. LXIX. vbi vitam ingloriam, & in publicâ exſecratione, finiuit. Mireris vel auſum talia, tam magno animo; vel deſijſſe, tam vili.

CAP. XI.

Seditio tertia, & diro facinore horrenda.

IAM exitialis ſeditio narranda eſt, quæ nouem annis poſterior, ab illo fonte manauit. VVenceſlaus, vt dixi, honores cum plebe communicauerat, & ſic aliquot annis habuerat: donec bello Iuliacenſi infauſto, ipſe captus, & multa nobilitas cæſa, etiam Louanienſium, eſſet. Hoc igitur bello, cùm Patricij fidem & animum approbaſſent, plebs tarda aut refractaria fuiſſet, nec niſi ſexaginta
Anno ∞. CCC. LXXII. Sagittarios dediſſet; Princeps è cuſtodiâ reuerſus Louanium, illis honorem priſtinum & magiſtratum reſtituit, tantùm quòd duo deinceps Senatores è plebe eſſent. Plebs ægrè tulit, ſed tulit ſexennium, ad comitia vſque anni ∞. CCC. LXXVIII. quibus ipſis, cùm ex formulâ dictâ Senatus creatus eſſet, ſed Patres inter ſe diſcordes palàm agerent; plebs diu occaſioni intenta, arripuit, & ipſo *Magdalenæ* ſacro die, regionatim, tres quattuórve textores, totâ vrbe diſcurrentes, clamore & peluium ſonitu, *Ad arma, Ad arma*, reliquos concitarunt. Concurritur, & ſtatim captâ Curiâ Conſules cum Scabinis in vincla dantur: *VValterus Leidanus* textor, Præfectus vrbis dictus. Placuit mox, Gandenſium exemplo, albos galeros ſiue caputia, inſigne factionis aſſumi: factúmque

que eſt. & adeò proni in res nouas turbidaſque tum ferebantur, vt Patriciorum non pauci degenerarint, & idem inſigne capiti, animo factionem induerunt. Intereà *VVenceſlaus* è Franciâ redux (eò iuerat) iſta edoctus, Louanium venit: ordinemque Senatus legendi iterùm, plebi placandæ, mutauit, & in dimidiam partem admiſit. Mireris inconſtantiam: & magis, ſi non tempori ſolùm, ſed pecuniæ hæc data, ſcribentibus credas: quam è publico aliquam multam ſanè accepit. Ceterùm ciues iureiurando adegit, pacatè inter ſe agere, & vt membra vnius corporis deceret: quod tamen Patriciorum aliqui abnuerunt, & patriâ carere, quàm ſubijci iniurijs aut contumelijs plebis, elegerunt. Ita *Areſchoti*, aut *Namuri*, plerique horum agentes, hanc infeſtabant, & in agris aut vijs deprehenſam abducebant, redimias poſcebant. Contrà iſti, prædijs illorum ignem inijcere, item quos poſſent capere; & quoſdam gladio carnificis ſubiecêre. Denique in ipsâ vrbe, qui reliqui Patriciorum eſſent, ſuſpecti agere, aut ſuſpectantes: vtique poſt cædem *VValteri Leidani*, qui inter capita *Galeritorum* erat. Is fortè Bruxellam miſſus, rei publicæ gratiâ, noctu à cœnâ reuertens interfectus eſt, inſidijs, vt putatur, *Ioannis Calſterij*, & *Guilielmi VVilrei*, Patriciorum, qui tunc in eâ vrbe verſabantur. Re perlatâ, turbatum Louanium, plebs minari & fremere, optimates timere: atque hi, vt inſontes inſcioſque ſe oſtenderent, Legatos ad *Ioannam* mittere (nam maritus in Galliâ etiam aberat) qui peterent inquiri in auctores cædis, & vindicari. Illâ tardante; plebs ludibrium rata, aut ex compacto geri, arma corripit, & in forum venit. Vocantur & in curiam Patres:

tres: quorum aliqui venêre, quidam triſte & ferale ominantes, mutato habitu, vrbe profugêre. Statim appoſita Senatui cuſtodia: & ſeditioſi furioſo animo ad fores prouolant, & adſiſtunt: pars etiam, nemine prohibente, ingreſſa. Ibi auditæ voces, *Cedo nobis illum, & illum, ſtatim, ſtatim.* Atque ij qui intromiſſi, ad nomen ſingulos capiebant, & præcipites è feneſtris (horreo dicere) datos, plebs infernè lanceis ſpiculisque exceptos laniabat. Periêre hac rabie ad *ſeptemdecim:* additusque vnus è plebe, quòd is* *Platuotium,* miſertus veteris patroni, ſcamnis abditum, veſte contexerat. Hæc facta XVI. Kal. Decembris: & qui Patrum reliqui domi reperti ſunt, in cuſtodiam dati. Poſt factum, frigus & mox pœnitentia aut metus ſubijt. Nam quomodo Principem hæc laturum? qui breui rediturus, pœnas de ſontibus inſontibusque caperet. Itaque deprecatores parant *Levvenſes, Tillamontanos, Dieſthemienſes, Liranos, Bruxellenſes, Eburones quoque & Tungros:* & citiùs, ecce, opinione VVenceſlaus Bruxellam venit. Arma & machinas ille parabat, vltioni intentus: cùm legati à prædictis ciuitatibus adſunt, & veniam ſuppliciter petunt, expiationem cædis, quam vellet, offerentes. Tandem, diu deliberato, præſcriptum, vt quatuordecim è plebe, præcipui auctores, in Cyprum relegarentur; agnatis cæſorum, certa pecuniæ ſumma daretur. Mitis tranſactio, & intra magnitudinem noxæ omnibus viſa: tum illud turpe, quòd ipſis relegatis pecunia in viaticum, quaſi Legatis à republicâ, attribueretur. Itaque non fuit animis placandis. Nam Patriciorum iuuentus fremebat, ſanguinem parentum vænalem non habere, nec modicâ iſtâ pecuniâ

* *Plancum* Latinis.

redi-

redimendum. Iamque vicinis locis aut arcibus occupatis, bellum in ſuos ipſi ciues gerebant,& prædas vndique agebant. Nec ceſſare etiam plebeij: quin vim & maleficia reponere, vel augere; & denique longiùs ire, & contra Principem etiam occulta fœdera cum Gandenſibus (qui arma in Comitem tunc habebãt,& totâ pęnè Flandriâ dominabantur) ferire. Denique poſt mutuas vtrimque cædes, doctus tandem VVenceſlaus fruſtrà & temerè plebi indultum, arma cepit, vrbemque aſſedit. Illi repugnant, propugnacula erigunt, & auxilia à Gandenſibus, à ſe impares, exſpectant. Sed cùm ea fallerent,& ipſi à *Ludouico* Comite ac Francis premerentur: decurſum iterùm ad preces, quas *Arnoldus Hornanus*, Leodicenſis Antiſtes, ipſe in caſtra veniens, ad Principem tulit,& veniam certis legibus impetrauit. Pauci pœnâ affecti; plures indignatione aut metu, patriam mutarunt; & præſertim lanifices, qui in Angliam iuerunt. Obſeruate. hæ ſunt illæ à nobis coloniæ, quæ gloriam pannificij aut intulerunt, aut valdè quidem auxerunt. Anno ∞. CCC.LXXXII.

NOTA.

1 Dixi de *albis galeris* aſſumptis, exemplo turbidorum Gandenſium: & inde obtinuiſſe vernile dictum, ſiue conuicium, ego arbitror, quo *Albati* Louanienſes appellantur ab accolis: ſiue noſtrâ voce *VVittingi*. Quod non aliud valet, quàm *Seditioſe*, & tu quoque ex illis fuiſti.

CAP. XII.

Seditio quarta, & vltima, cum motu miniſque magis quàm præſenti noxâ.

NECDVM finis. à lanarijs ad lanios imus: atque ex iſto etiam corpore fuêre, qui rempublicam turbarent. *Paullus Loenkenus* ex infimâ plebe lanius, poſt cædem *Caroli Audacis*, & dum de matrimonio *Mariæ* cum *Maximiliano* deliberatur, partem ſe reip. fecit, & plebem ſuam. Rumores diſſipat, falsò exſpectari Maximilianum, illudere ſic Senatores: & melius tutiusque, ipſos imperium habere & exercere. Concitat deinde dictam populi fæcem, capit & abducit ex improuiſo quoſdam è Senatu, & gladio ſubiecturus erat, niſi lictor publicus ſe ſubduxiſſet. Iam & Academiæ primores ſe miſcuerunt, & auctoritate ſuâ tumultum ſedarunt. Superuenit paullò pòſt ipſa *Maria*, vt auſpicia capeſſeret, de more, Principatus: neque ſeditioſi admiſerunt aut agnouerunt, niſi noua iura & immunitates extorſiſſent. Quinetiam cùm illa, ad compeſcendum, Sagittarios ipſius vrbis (honeſtiores populi) armaſſet; iſti & Sagittariorum quoſdam, impetu facto, ceperunt, & quattuor fortè obuios Senatorum. Nec niſi ægrè ſedari à *Paullo* ipſo potuêre, quin vitâ eos mulctarent. Tum & in Arcem, vbi diuerſabatur Maria, incurrunt, & adigunt tot malis trepidam virginem, anteacta condonare, & alia pro arbitrio ſuo ſancire. Iam vt ſpecies etiam publicè noui popularis imperij eſſet, additi *Paullo*, cuſtodiæ cauſſa, viginti ſatellites, & menſtruum ex ærario ſtipendium. Atque ex eadem deinde

Anno ∞. CCCC. LXXVII.

deinde publicâ pecuniâ laſciuiebant, potabant, conuiuia, velut ad ſocietatem & fidem ſtabiliendam, agitabant. Sed agitantibus, opinione maturiùs *Maximilianus* aduênit: quo propinquo, minui potentia *Paulli* cœpit, & ſtipatores à Senatu adempti. Tamen ipſe Maximilianus prȩſens, nihil etiam pro Principe agere, neque vlcus hoc tangere, niſi compos nuptiarum decreuit. Ergo iterùm poſt abitum inſoleſcere Paulliani, ſtipatores repoſcere, & res miſcere. Sed edoctus de totâ re & periculo denique Maximilianus, *Engilbertum Naſſouium*, Brabantiæ Seneſchallum, cum equitatu Louanium præmiſit, ipſe mox ſecuturus. Anno ∞. CCCC. LXXVIII. Diffugiunt ad Solem nebulæ & nebulones, Paullus in Zelandiam, atque ibi agnitus capite luit. Pleraque horum, & certè initia, abſente *Ludouico Pinnoccio* Prætore geſta (is in Germaniam, inter Legatos, iuerat) qui vt vir erat, animo promptus, manu ſtrenuus, oppreſſiſſet, aut quidem repreſſiſſet: Deo & fato aliter viſum. Sed vt finiam, hæc quoque ſeditio vrbem minuit, multis non è plebe ſolùm, ſed optimatium in agros aut prædia ſua dilapſis, atque illîc ſedem locantibus, tædio tot turbarum. Videtis cauſſas & tempora, quibus florentiſſima olim vrbs defloruit, & ex veteri gloriâ & copiâ non niſi vmbram iſtam habet.

CAP. XIII.

De arce Keſſelſteiniâ aliquid: tum Eiconiſmus vrbis.

DVM in his ſermonibus ſumus, & ego atque illi intendunt, fugit nos deflecte re, quà ad montem rectà ibatur. Itaque progreſſi etiam paullùm, hæremus: & ego

ego circumſpiciens, Amici, inquam, omnia me fallunt, aut via fefellit, de quâ vxorem ſcio monuiſſe. Vbi etiam domus illa ruſtica, quam ſignauerat? atque ibi ductor noſter quærendus, aut potiùs euocandus. nam (Iuno mea hoc curauit) exſpectat. Ecce illum à tergo. hem, & hoc viæ fruſtrà etiam confecimus, & arduus ille adſcenſus manet? ſuccumbemus. Vir bone, vis nos ducere in hunc verticem, ad arcem illam famoſam & vetuſtam? Volo equidem Domine, inquit: aut pro me hæc filia mea. nam ego ſenex à pedibus laboro. Et tu ſuſtinebis? arrectus aſcenſus eſt. Confido, inquam. Iuimus duce mulierculâ, peruenimus: atque ego (mirantibus meis & gaudentibus) vno tenore, & ſine interquiete, cliuum peruaſi. Oſtendit rudera aliquot muri, & lapides in aceruo: ſed lapides rudes, ex indigenis illis, & arenaceis. dixit, murum olim ibi fuiſſe. Ego & foſſas ſtatim adnotaui, ſatis grandes & conſpicuas, etſi vepribus vel arboribus obſitas: quæ foſſæ cinxerant hoc quidquid ædificij fuit. Ducimur deinde ad cauum ſubterraneum: ſed recenti lapſu os eius clauſum erat, & lapides illîc accumulati. Quid fuit? inquam. Illa, Grande ſubterraneum atrium, fornicato opere, & lapidibus alibi ferro inter ſe deuinctis. Intraſti? inquam. Sæpiùs, ait illa, & meus parens atque omnis vicinia. magnitudo eſt pedum quadraginta aut plurium: tum murus è latere coctili iterùm occurrit. Quid deinde? inquam. Illa, Aiunt obſeptum ibi aditum: ſed ſubterraneas cryptas eſſe, quæ Louanium vſque in Diui Petri ducant. Ibi riſi, & ad meos: Non ſapuiſſet nobis cibus, ſine hoc fabellæ condimento, ſed res neque magna, neque vetus nimis hæc fuit: quid-

quidquid fama attollat. Nam & Gygantes aiunt inhabitaſſe. At nos ad verticis hoc labrum eamus, niſi fallor, ſub oculis omne opidum & vicina habituri. Videtíſne? ô delectabilem adſpectum! tanti fuit veniſſe, vt hoc frueremur. Quis pictor hîc eſt, qui delineet, & penicillo ſuo omnia loca effingat? poteſt: & vos adſpicite. Ecce *Diui Petri, Michaëlis, Gertrudis, Iacobi*, templa alia: ecce *collegia* illa atque illa, & notabiles etiam domos. Iterùm deſidero pictorem, & qui in tabellâ repræſentet.

Curaui tibi Lector: atque ecce habes.

CAP. XIV.

De incendijs in hac vrbe. tum de æde D. Petri, eius Canonicis, & Præpoſito. Denique de turre.

AVD. At nobis magis ſuaue (nam oculis ſatis antè vſurpauimus) per te diſcere initia præcipuorum operum, vel auctores. Hæc cupido nos tenet. LIPS. Id quoque indulgebo, & paullùm ſedeamus. Tu mea, accipe munuſculum, atque abi. Primùm moneo, vetuſta aliqua ædificia fruſtrà hîc quæri. non quin fuerint; ſed verè fuerint, & ignis violentia ſemel iterumque abſumpſit. Nam ecce memoriæ publicæ habent, principatu *Godefridi Primi* Ducis, anno ∞. C. XXX. TOTVM LOVANIVM *fortuito igne abſumptum*. Auditis, *totum*? itaque nihil ſuperfuit operis vetuſti. Surrexit tamen iterùm, vel ex nouâ materiâ, vel rediuiuâ: iterumque *exuſtum penè totum* (eædem Memoriæ) *cum primario ipſo templo*, annis paullò plus quadraginta à priore

flammâ. Ergo fruſtrà ea, vt dixi, quæramus: quæ ex-ſtant, videamus. Conſpicitis in vrbe mediâ templum *Diui Petri*. quis condidit? *Lambertus Primus* Comes, & honori huius Diui illud ſacrauit, & opidum tutelæ commiſit. Idem & Canonicos inſtituit: etſi alij ad filium eius *Lambertum Baldericum* referunt, qui etiam Bruxellæ in Diuæ *Gudilæ* collocauit. Certè iſte *Decimas agri Louanienſis* ijs legitur *adſignaſſe*. Initio ſeptem fuerunt, ijq́ue *Fratres* primò appellati: mox *Domini*, ad diſcrimen Minorum, qui acceſſerunt. Nam vt erat maiorum pietas, quidam & è priuatis opes ſuas huc contulerunt, & augendo collegio Canonicatus inſtituerunt. inter quos vnum *Simon Grindelius*, è Patriciis, anno ∞. C. LXIIII. & poſt viginti quattuor annos alium, *Godefridus* Prætor vrbis. Alios deinde (nam ad octodecim peruenerunt) aut Duces ipſi noſtri, aut item ciues. *Godefridus* quidem *Primus* Dux legitur duos inſtituiſſe, anno ∞. C. XL. Sed diſcrimen tamen erat, vt tetigi: quòd illi primi ſeptem, opibus præeminebant, & Decimas ſoli poſſidebant; donec anno ∞. CCC. XI. ſponte illorum, Minores in diuiſionem admiſſi, & ſic æquales omnes facti. Sponte, inquam: & ô miram raramq́ue benignitatem! nam iure laudanda eſt: & hoc æuum, vereor, exempla non donet. Sed hi Canonici: quibus *Præpoſitus* etiam, præter Decanum, velut caput præeſt: magna dignitas, & olim non niſi in Principum aut Procerum filios collata. Notantur certè ex Ducum noſtrorum liberis, item è Lucemburgenſium, alijsq́ue. Adhæret dignitati honos, quòd is à nouo Principe, quoties auſpicia imperij ſuſcipit, iuramentum ſollenniter exigat, capiatq́ue:

piatque: in quo & *Aduocatos ſe Canonicorum Diui Petri fore* profitentur. Equum deinde Principis, cui inſidet, donatiuum habet: quem tamen olim *Cantor* vindicabat, & lis inter eos fuit. Eſt nunc in hac dignitate, vir eâ & aliâ digniſſimus, *D. Georgius Auſtrius:* qui ipſo nomine inclytum genus prodit, & virtutes pro genere habet. Amorem certè & cultum ſtudiorum, quæ laudatiſſimi illius *Maximiliani Primi* Imp. nepotem decent. Sed heu, deſero hanc ædem, & non ſine gemitu: vt collapſa eſt? quàm lacerâ & fœdâ nunc facie? Mali fati (ſi auſim dicere) ea fuit, ſemper ignibus aut ruinis afflicta. Nam pręter incendia dicta, arſit etiam anno ∞. CCCC. LVIII. & tota edacibus flammis abſumpta eſt: ipſum æs Campanum liquefactum: ſed omnia ſtatim reparata, & Turris interuallo aliquo addita anno ∞. IↃ. VII. id eſt, quinquaginta circiter pòſt annis. Fuit ea inter egregias Belgicæ: ſed ruinæ deformarunt. prima anno ∞. IↃ. LXX. menſe Nouembri, me audiente & ad ſtrepitum procurrente, ſub veſperam; iterùm, anno ∞. IↃ. LXXVIII. denique vltimò iamnuper Decembri menſe, ante biennium. Quis excitat & reponit? calamitas temporum vetat, aut & frigus in talia, cùm ad ſuum modò quæſtum priuatim quiſque calet & callet.

CAP. XV.

Reliquæ Parochiæ, & earum æuum percurſum: & ſiquid notandum.

SVNT & alia illa Templa maiora, quæ videtis, & quas *Parochias* (alij *Parœcias* malunt) appellamus. *Diui*

Michaëlis portæ murorum veteri ſuperſtructum, anno ∞. C. LXV. Fallitur enim vulgus, qui vetuſtiſſimum cenſet. & quòd *Chriſma* ſacrum illinc petitur, & ad *D. Petri* defertur; non ea cauſſa eſt,ſed quia in viâ Leodicenſi eſt ſitum: Chriſma autem Leodico mitti olim ſolet,& illîc igitur decorè deponi. Sed partitio ipſa fit deinde in æde Petri, vt vetuſtiſſimâ, & primariâ. Turrim initio & hæc ædes habuit altiorem: ſed corruit cum vicinarum ædium detrimento, anno ∞. CC. XXV. neque iterùm eſt educta.

Tertia eſt *Diui Iacobi* ædes, æuo iſtis proxima: quæ anno ∞. CC. memoratur exſtructa. Eſt in exteriore vrbe, ſed ſcire licet iamtunc ea loca ædibus hominibusque frequentia fuiſſe: & ideò templum nouum aptatum. Neque alia item cauſſa *Michaëlinæ* ædis ſuperſtructę in portâ fuit,quàm vt vicinior atque opportunior eſſet illis ſuburbanis. Flagrauit *Iacobæum* de cælo tactum, anno ∞. CCC. L. reparatum eſt, & pars veteris turris etiam manet. Collegium Canonicorum habet,ſed ex tranſlatione. primitus enim Eincuriæ fuit: agente autem apud *Nicolaum Quintum* Pont. Duce noſtro *Philippo Bono*, anno ∞. CCCC. LVI. huc eſt tranſlatum. Mouit eum, opinor, ſolitudo aut inopia opidi,ſic etiam attollendi: mouit & Academiæ adſpectus, quam Canonici decorè colerent, & ipſi ab eâ excolerentur.

Quarta, *Sanctæ Gertrudis*, quæ *Henricum Primum* Ducem auctorem inſcribit. Condita eſt anno ∞.CC.VI. ſtatim à Iacobæâ. Sacellum anteà erat: fecit aut fieri curauit ille Princeps Parochiam: itemque *Canonicos Re-*

gulares

gulares ibi collocauit. Fama habet, turrim iſtam ſatis egregio opere, emolitos lanifices eſſe, idque collaticio inter ſe ære: potentem hîc ſcilicet frequentemque tunc nationem. Canonici iſti initio *Præpoſitos* habuêre, fuitque primus *Franco* quidam, qui obijt anno ∞. CC. XXX. Sed anno deinde ∞. CCC. XLIIII. *Henricus Furenſis* nomen *Abbatis* Romæ impetrauit, prætulitque. Non item ſucceſſor *Henricus Rodius* (è meis, niſi fallor, maioribus) qui modeſtiæ amans illum *Præpoſiti* recepit, & duo item alij ſecuti. Tum *Gualterus Moliardus* iterùm Abbas, anno ∞. CCCC. LXVI. & poſteri tenuerunt: inter quos nunc eſt & præſidet *Arnoldus Eynhoudtius*, pius, induſtrius, prudens vir, & qui cœnobium pulcherrimo ædificio auxit & ornauit. Eſt ab eo perpetua & magna *Porticus* circum hortos, in membra & cubicula ſupernè diſtincta: ad vſum duodecim è nobili ſtirpe adoleſcentium (nam tales admittuntur tantùm) quos hîc ali, & ſcientiâ ac pietate voluit informari. Inſigne opus, & inſtitutio: laus hîc auctori & gratia, præmium in melioribus locis eſto.

Quintum, *Sancti Quintini* templum, ſtructum ſub idem cum priore æui. Non maximum, ſed vel pulcherrimum, meo iudicio, inter omnia eſt: benè & aptè commenſuratum, multâ luce vndique colluſtratum. Atque hæ nunc ſunt quinque illæ *Parochiæ*: olim vnica *D. Petri* erat, manſitque ad annum ∞. CC. LII. Sed notant, grandi iamtunc populo, curas eius Parochi alleuandas fuiſſe, & quinque iſtas deſignatas, quas dedi.

CAP. XVI.

Virorum Cœnobia.

SVNT & Cœnobia plura, aut Sacella: quæ luſtrabo, & ſiquid dicendum videbitur, non omittam. Primi

DOMINICANI: qui & tempore ſunt inter religioſos hîc primi. Venerunt in vrbem, ſub annum ∞. CC. XXVIII. haud diu ſanè poſt primam inſtitutionem. Sed locum ijs ſuum aſſignauit & ceſſit (mira pietas!) *Henricus Tertius*, anno ∞. CC. LVI. Ceſſit, inquam, ijs ipsâ Aulâ ſuâ, quam in Diliæ inſulâ habebat, medio ferè vrbis loco: quam Annales noſtri *Baſſam Curtim* (id eſt, *Inferiorem Aulam*) vocant, ad diſcrimen illius ſuperæ, quam *Burgum* diximus fuiſſe. Ille idem Princeps templum, & alia, ibi ſtruxit: exſtantque ab illo æuo (ſatis notabile) ipſæ feneſtræ vitreæ in Choro, quas ille & liberi donarunt. Fama tenet *Albertum Magnum* Ratiſponenſem Epiſcopum huc veniſſe, & altaria quædam in anteriore templo ſacraſſe, anno ∞. CC. LXXVI. Aiunt & diſcipulum eius, inclytum illum *Thomam Aquinatem*, comitem fuiſſe, & Euangelium de loco ſuperiore ceciniſſe: ac pulpitum ipſum ſeruant, quo ferunt vſum. Familiarem fuiſſe Principibus noſtris, illud conſtat: & *Aleidem*, viduam dicti *Henrici*, ad eum Pariſijs agentem ſcriptitaſſe, & conſilia vitæ dirigendæ petijſſe, atque accepiſſe.

FRANCISCANI à tergo adhærent, brachio fluminis diuiſi. Ipſi in memorijs habent (nam alij aliter:) ſed ipſis credi-

credimus, huc veniſſe quinquennio poſt *D. Franciſci* mortem, qui eſſet annus ∞. CC. XXXI. non diu poſt Dominicanos. Initio fuêre, qui *Gaudentes* vocantur: ſucceſsêre anno ∞. IↃ. II. qui *Coletani:* & poſt ſedecim deinde annos iſti, ex vero *Obſeruantes*. Cœnobium vetus eſt: chorus templi nouus, altus & illuſtris, ſtructus anno ∞. IↃ. XXXVI. & conſecratus IIII. Nonas Iulij, quem vt Dedicationis templi diem ſollenniter nunc ſeruant.

AVGVSTINIANI cœperunt anno ∞. CC. LXIIII. qui (ſicut & Franciſcani) ſtipe collatâ templum & ædificia ſtruxerunt.

BOGARDI fratres, olim Laici, vt appellamus, & texendo vitam tolerabant; certis tamen inter ſe legibus & communione deuincti. Fuêre ab anno ∞. CC. LXXX. vel antè. nam exſtat tunc Diploma *Joannis* Ducis, recipientis eos in tutelam.

MARTINIANIS tenue principium ab *Henrico VVelléo* fuit, in Diui Petri Sacellano, anno ∞. CCCC. XXXIII. *Fratres* initio dicti. Aucti numero & opibus, quindecim circiter poſt annos, mutarunt inſtitutum, & *Canonici Regulares* facti, ex normâ Diui Auguſtini. Inter eos floruit, & famam ſtudijs ſcriptiſque fecit patruus meus maior, *Martinus Lipſius:* qui obijt in Eburonum terrâ, cœnobio, quod *Crucif-Lemum* dicunt, Præfectus: anno ∞. IↃ. LV.

CARTVSIANI cœperunt circa annum ∞. CCCC. LXXXIX. neque vnum auctorem operi inſcribunt. Alij alias cellas dederunt: ſed eminet *Ioannes Ouerhofius*

Antuer-

Antuerpienſis, Naſſouiorum Quæſtor. Fuerunt & duæ fæminæ auxiliatrices, *Margareta, Eduardi* regis Angliæ ſoror, vidua noſtri *Caroli Audacis*; & *Maria Magdalena Hamalia*, vidua item *Guilielmi Croij*, vtraque pietate, & liberalitate in pios, inſignis. Eſt in hoc Cœnobio ſpectabilis Porticus, magnitudine & opere: nec ſcio an hîc, aut in finitimis locis, alia comparanda.

PATRES SOCIETATIS IESV, primùm duo venerunt circa annum ∞. IↃ. XLII. Pietas & eruditio ſtatim prouexit, plures acceſſerunt, & Collegium eſt factum: quod *Læuini Torrentij*, Epiſcopi Antuerpienſis, & amici noſtri, liberalitate mirificè auxit, qui moriens opes ſuas ei legauit.

CAPVCINI vltimi, & per medias turbas ingreſſi. *Iacobus Bayus* Theologiæ Doctor, piè & liberaliter accepit, aream ædificijs, & hortos, itemque alia ipſe largitus aut ab alijs impetrans, *Conditoris* nomen meruit habere.

CAP. XVII.

Fæminarum cœnobia, aut. cœtus.

SVNT & Fæminarum ſacri cœtus, omni ſanctimoniâ & caſtimoniâ compoſiti: quæ precibus hymniſque Deum die & nocte venerantur ac placant. Sunt

BEGINÆ, non propriè aut ſtrictè Religioſæ, ſed quæ tamen eas æmulantur. Æuum earum vidi in templi lapidibus ſculptum: *Anno* ∞. CCCV. *hæc curia incepit.*

HOSPITALE magnum, ſiue Xenodochium, *Diuæ Elizabe-*

Eliʒabethæ ſacrum. Inſtitutum ab *Henrico* illo *Tertio*, qui Dominicanos: & ſub idem ferè tempus.

ALBÆ DOMINÆ quæ vocantur, primùm fuêre *Conuentus pœnitentium*, *ordinis S. Mariæ Magdalenæ.* Mutarunt, & aſſumpſerunt *S. Victoris Pariſienſis*, anno ∞. CC. LII.

S. VRSVLÆ in mediâ Plateâ, cœpit à priuatâ liberalitate *Eliſabethæ VVeſeliæ*, quæ vidua domos ibi in ipſo loco ſuas, & hortos, & vineas, legauit hoc fine: anno ∞. CCCC. XV. Sunt *Regulares*, & *Priori Bethlemitico* ſubiectæ.

GRISEÆ SORORES, à leucophæâ veſte. Dicunt ſe à ducentis annis huc veniſſe, è cœnobio Thenenſi. Subſunt *Abbati Gertrudano.*

NIGRÆ SORORES, ſuâ ipſæ induſtriâ ſurrexerunt. Vna aut altera cœpit, & curâ ægris impensâ (nunc quoque faciunt) nummulos corrogarunt, domum emerunt. Aliæ iunctæ ſunt, in regulam *S. Auguſtini* tranſierunt anno ∞. CCCC. LXII. Templum paullò pòſt ſtruunt, quod conſecrauit *Libertus* Epiſcopus Berytenſis, anno ∞. CCCC. LXXVIII.

CLARISSÆ, id eſt *D. Claræ* aſſeclæ, ordinis *Diui Franciſci*. Inſtituit nobilis matrona *Catharina Oppendorpia*, vidua *Ioannis Bloiſij*, Equitis, anno ∞. IↃ. XVI.

SVB-CASTRENSES, vt vocantur, Ordinis *Ciſtertienſis*: quibus conditor *Gualterus Templius*, vir nobilis: & acceſſit in partem eadem *Catharina Op-*

pendorpia iam dicta. Anno ∞. IↃ. XVIII. Abbatiſſam habent.

ANNVNCIATÆ: quarum prima inſtitutio in Galliâ à *Ioannâ*, filiâ *Ludouici Vndecimi* regis, vxore autem *Ludouici Duodecimi*. Cui cùm diu ante regnum nupſiſſet, *Duci* adhuc *Aurelianenſi*; in ipſo regno, ſuaſu miniſtrorum, & ſuo ambitu, ne Britanniæ Ducatus abalienaretur, *Annam* eius Duciſſam vxorem cepit, hac dimiſsâ. Cauſſa diuortij, metus præferebatur, & quòd non ſponte duxiſſet: neque iſta oppoſuit, & libens ad alterius æterniq. Regis cultum ſe conuertit. *Ducatum Bituricenſem* donum acceperat, cuius fructibus ſe tolerauit, & alia piis vſibus impendit. Inſtituit has Virgines, in honorem cultumque DIVÆ VIRGINIS, anno ∞. IↃ. I. Diffuſæ ſunt in Belgicam, & Brugas venerũt: illinc huc pars earũ traducta, faciente *Mariâ Hamaliâ*, de quâ dixi. Ingreſſæ primitus *viginti* ſunt, è quibus *ſex Brugenſes*, quę regimen aut exemplum nouellis eſſent.

CAP. XVIII.

Profana aliquot loca.

ABSOLVI. an & pauca in profanis opidi locis noto? ſed pauca. Ecce CVRIA iſta ſpectabilis eſt, ſiue Senatorum domus: tota è ſecto per artem lapide, figuris & emblematis variè ornata. Magnitudo iuſta eſt, ſymmetria belliſſima: & inſigne maiorum elegantiæ vel opulentiæ monumentum. Exteri cùm vident, laudant, an & inuident dicam? Strui cœpit anno ∞. CCCC. L. & intra

tra decennium (ita notant) eſt abſoluta. Cauſſa ſtruendi, abominatio prioris Curiæ, illius infauſtæ Foro veteri, vbi Patriciorum laniena, quam deſcripſi. Ab eo tempore abhorruerunt adire Senatores, & in Sagittariorum ædibus conuenerunt, donec hoc opus abſolueretur.

TVRRIS in mœnibus, longè conſpicua, quam *Impenſæ perditæ* vocant. Laterculo muri introrſum ſtructi, lapide deinde candido veſtiuntur: rotundâ formâ, in altum æquabiliter ſurgit, non in alium (& hoc fine factam credo) quàm Speculæ vſum. Circumiecta enim ad *multa millia* paſſuum vndique detegit: & ſunt qui aſſerant Antuerpiam, ſereno die, ab acribus oculis videri. Structa eſt anno ∞. CCC. LXIIII.

CATARACTES pulchro & operoſo opere, in ipſo *Diliâ*, atque illi coërcendo, aut diſpenſando, anno poſt *Turrim* illam factus. Qui tamen ex inſidiis vrbem, meo æuo, pęnè oppreſſit. Nam ecce, anno ∞. IↃ. LXXIII. cùm ingentes pluuiæ fuiſſent, & nix item ſoluta, VI. Idus Ianuarias, neglegentiâ Curatoris euênit, vt obijces parùm in tempore leuarentur, aquamque tranſmitterent. Stitit ſe amnis igitur, & magnâ mole intumuit, & mœnia iam ipſa æquabat; quæ iuxta Cataractem denique per rupit, & toto impetu vrbem inuaſit. Pecudes, & hominum quoſdam abſtulit, ædificia deiecit, libros corrupit, vt aliam ſupellectilem & penum ciuium omittam. *Guilielmus Canterus* noſter, in ſelectâ Bibliothecâ ſuâ ingens tunc damnum & męrorem accepit.

LOVANIVM:

id eſt,

OPIDI ET ACADEMIÆ EIVS DESCRIPTIO.

LIBER TERTIVS.

CAPVT PRIMVM.

Initium Louanienſis Academiæ, & hîc conditæ cauſſa.

SED heus amici, an non ſatis iam vidimus, ſatis ſedimus, & ſatias etiam ſermonum vos capit? AVD. Nos? vt verſu tibi dicam,

Antè diē clauſo componat veſper Olympo.

At te ne fatigemus, illa cautio eſt. LIPS. Ergo ſurgamus, in vrbem vorſoriam capiamus. nam & Sol in meridiem inclinat. Deſcendimus, & in viâ iterùm eramus, cùm AVD. Vrbem habemus, ſed præcipuum eius membrum, an animam dicam, omiſiſti, publicam Scholam, & quam *Academiam* ſolemus appellare. Animam dixi. quæ enim vita aut vigor ſine eâ huic opido ſit? quis adue-

aduеniat, aut frequentet? Nos certè exteros non congeries hæc lapidum, aut pratorum colliumque adſpectus trahit; ſed Muſa & Minerua, quæ hîc ſedem habent, & tu earum ſacerdos Lipſi. Age, originem eius explica & progreſſum: quod nos alioſque iuuet nouiſſe. LIPS. Non hercules inuitus fecero: & quis ſermo magis me delectet? Miles caſtra aut prœlia, ruſticus agros & ſegetes loquitur: hæc mea caſtra ſunt, hic ager quem colo, hîc ſeges aliqua gloriæ, quam meto. Ordiamur. Cùm Louanium ſeditionibus, vt dixi, afflictum & paullatim vacuefactum eſſet, mercimonijs pleriſque in Angliam aut aliò dilapſis: miſeratio & cura Principem etiam noſtrum habuit primariæ vrbis inſtaurandæ, & aliâ aliquâ viâ frequentandæ. Hæc occurrit, quam in manibus tunc habebat. Præërat nobis *Ioannes* Dux, miti imperio: & cùm bella ceſſarent, artium amor ſubijt, & exemplum etiam, quod aliæ iam prouinciæ præbebant. *Coloniæ* enim & *Lutetiæ* Academia erat: cur non florens & copioſa hæc Belgica haberet? cur liberos ſuos magno impendio ad longinqua loca mitterent, prompto, ſub manu & oculis eos habere? Itaque voces iam & conſilia apud Principem: ac didici *Engilbertum Naſſouium*, in flagrante tunc gratiâ, & animi honeſtum, præcipuum auctorem fuiſſe, & *Ioannem* ad Academiam inſtituendam perpuliſſe. Vbi de re ſedit, de loco deliberatum eſt; & multi *Mechliniam*, aëre & munditie commendabilem, ſuggerebant: ſed vicit *Louanium*, præter miſerationis adſpectum, quem dixi, quòd ingenio loci hominumque non alia vrbs aptior otio ſtudiorum videretur. Et benè iudicaſſe, quis non iu-

M 3 dicat?

dicat? Situ quid ſalubrius, vel amœnius? Aër purus & ridens: loca paſſim vacua & delectantia, prata, agri, vineæ, luci, & rus, vt ſic dicam, in ipsâ vrbe. Mœnia conſcende, & perambula: quæ ſubiecta facies? cuius frontem animumque non explicet iſta mirabilis ſimul & delectabilis varietas? Hîc ſegetes, poma, vuæ creſcunt; hîc pecudes balant, aut mugiunt; ibi aues garriunt & cantillant. Iam pedes aut oculos extra mœnia effer. ſunt riuuli, aut flumen Dilia, vago flexu; ſunt villæ, aut Cœnobia; eſt ſuperbum illud Prætorium *Heuerléa*; arboreta, aut ſiluæ intermixtæ; & vbique meræ locorum deliciæ. Nam de hominibus ciuibuſque, quid prædicem? Solem non videre magis ad humanitatem & benignitatem factos. Appello vos, qui inſediſtis: probitatem & candorem vidiſtis, officia & alacritatem ad miniſtrandum. Itaque mirabile, & verum eſt, velut Homericam loton hîc eſſe; & qui ſemel guſtarunt, vix auelli, aut auulſos deſiderare identidem & reſpectare. Hæc ipſi ſenſimus, hæc ab aliis audiuimus: & ô ſalue amœna & amata nobis vrbs,

Saluete Athenæ noſtræ, Athenæ Belgicæ,
O fida ſedes artium, & fructu bona,
Lateq; ſpargens lumen & nomen tuum!
Te Gallus, & Germanus, & te Sarmata
Inuiſit, & Britannus, & te duplicis
Heſperiæ alumnus. quàm frequens frequentia
Stipauit olim, & aduenarum copia!
Quæ minuit aliquid ciuicus, fateor, furor
Et Mars cruentus: ſed fuêre, quis neget?
Et fructus etiam apparet. ô quot millia
(Ita dico) protuliſtis inſignes viros,

Auxi-

Auxilia vel conſilia publicæ rei?
Quot Famæ in æde conſecraſtis nomina,
Perennibus victura ſcriptionibus?
Et porrò proferetis, & ſacrabitis,
Si donat aliquam mitior pacem Deus.
Donabit autem. vota vos modò & preces
Concipite, & in partem aduocate Virginem,
Patrona quæ veſtra audit, & Dei parens.

CAP. II.

Martinus Quintus approbauit. Natalis Academiæ, & Lectionum.

SED hem, ne extra lineam me eiiciat affectus. AVD. Sæpè ſic eiiciat, & tu tales voces: ſed perge. LIPS. Decreto igitur iam de Academiâ, & de loco: viſum mittere legatos ad Pontificem, cuius veniâ & auctoritate opus erat ad inſtituendam grauiorum artium Scholam. Præërat tunc Eccleſiæ *Martinus Quintus*, è gente *Columniâ*: id eſt, primariâ Latij familiâ; & quæ bello ac pace inſignia lumina rei Chriſtianæ dedit. Sed hic Pontifex bonarum etiam artium ſciens & cupiens erat: eoq; faciliùs de Academiâ impetratum. Diploma datum eſt ſignatumque, anno ∞.CCCC. XXV. quod nobis conſtat, & hîc aſſeruatur: fruſtrà exteri ambigunt de anno ſequente. Poteſtatem faciebat amplam omne genus artium docendi, doctos producendi & titulis honoribuſque afficiendi: ſolâ tamen Theologiâ, reginâ ſcientiarum, exceptâ. Quid mouerit, neſcio: fortaſsè vulgare doctrinam eam & ſpargere, haud ex vſu cenſuit, neque campum

campum nimis aperire diſputationibus & ſermonibus ſuper rebus diuinis. Quod tamen ipſe abnuit, ſtatim pòſt annuit *Eugenius Quartus*, quinto ipſo anno à Scholâ inſtitutâ: cùm ſuper hac re legatos ad eum *Philippus Bonus*, tunc noſter Princeps, miſiſſet. Nam *Joannes* magno illi operi haud diu ſuperfuit; vix famam etiam, niſi ab eo, & diſcidio cum * vxore, habiturus. Sed à Diplomate primo impetrato, non ſtatim etiam lectiones habitæ, ne erretis: & reiectæ eæ in annum ſequentem, id eſt *vigeſimum ſextum*, fuerunt. Quid ita? credo, quia Scholæ cathedris ſedilibuſque inſtruendæ; quia Doctores eligendi; quia ipſa iuuentus conuocanda erat. quod fecit publico edicto *Ioannes*, & in eo inuitat exteros & indigenas ad nouam Scholam: *in quâ*, inquit, *Doctores & Magiſtri lecturas ſuas, quilibet in ſuâ facultate, & alios actus Scholaſticos, ſecundâ die menſis Octobris, incohabunt*. Ecce, auſpicalem diem videtis, ipſo Duce ſic adfirmante: & hodie hæc Schola ſeruat, & illo exemplo, eo die lectiones quotannis renouantur, ſiue ipſo noſtrorum verbo, reſumuntur. Hoc ita verum videtur: tamen aliæ memoriæ, itemque diligens talium *Hadrianus Barlandus*, tradiderunt Septembri menſe initium factum, idque pridie *Natalem Diuæ Virginis*. Credo vtroſque vera dicere. ſed hos de auſpicijs primis loqui, id eſt, cùm velut in poſſeſſionem miſſi profeſſores ſunt, & oratio publicè habita eſt, magno Procerum conuentu (nam & id notant) perorante *Nicolao Prunio* Iuriſconſulto. Sed oratio tantùm: & lectiones dilatæ in ſequentem menſem, vt dictum.

* *Iacobâ*, Hollandiæ Comite.

CAP. III.

Regimen Academiæ, Rector, Conſeruator, Promotor, Senatus. obiter & de Cancellario.

INITIVM Academiæ habetis: noſcite & faciem aliquam eius atque adminiſtrationis formam. *Rector* & *Senatus* ſunt qui regunt, & Dux *Ioannes* olim, monitu Pontificis, omne ius ſuum in eos contulit, ac liberam poteſtatem in Studioſos permiſit. *Rector* à Senatu Academico creatur, idque ſingulis ſemeſtribus, vt nunc res habet. Anteà reperio, trimeſtrem modò dignitatem fuiſſe, atque id duraſſe ad annum ∞. CCCC. XLVI. id eſt per viginti circiter annos. Atque inter primos illos lætis animi oculis vidi *Ioannem Eeckhoutium*, nobilem virum, è maioribus meis: qui patris mei auunculus maior, in Burgundicâ aulâ poſteà vixit obijtque. Magna eſt hæc dignitas, & ſplendorem ei dant Accenſi, ſiue *Bedelli*, vt vocamus: quorum vnus, prælato grandi argenteo ſceptro ſemper præcedit & ducit, famulis ſequentibus; interdum & *octo* præëunt, cum ſuis quiſque ſceptris, ſed in ſollenni proceſſione, aut die feſto. Obuertunt omnes ora, venerantur & cedunt: atque alius quiuis honor faſces huic ſubmittit. Dicámne etiam? ſed narrantium fide. aiunt *Carolum Quintum*, Imperatorem illum verè Auguſtum, cùm fortè hîc eſſet, loco ceſſiſſe, & latus Rectori texiſſe. Magna humanitas, ſi non debuit; magna, etiamſi debuit. Ampliùs, inſigne poteſtatis purpuram geſtat, & in humeros extenſam epomidem reijcit, cuius oræ pellibus variegatis prætexuntur.

Caputium vocant, nec abs re: nam olim caput eo velare ſolent, & ſic geſtare. Hoc palàm liquet ex Pontificio diplomate, in quo Rector deſcribitur & ornatur: eſtque à Principum imitatione & exemplo, quorum talis ille olim cultus. Hic Rector, vt tetigi, ius omne in Scholaſticos habet, cauſſas audit, decîdit, mulctat, punit. Cui rei *Promotor* etiam eſt (ſic Prætorem noſtrum appellamus:) qui iubente aut conſentiente Rectore, neque aliter, manus inijcit, in cuſtodiam & vincula etiam ducit. Grandioris noxæ conuictos punit, vel capite, ſi viſum eſt. ſed raro viſum: & omnis iſta iudiciorum ſeueritas in pecuniarias ferè mulctas deſinit; mitigatque crimen vel ætas adoleſcentiæ, vel & fauor qui ſtudijs debetur. AVD. Ita diſcimus. ſed inuiſum hoc *Promotoris* nomen vnde ductum? LIPS. Neque ego ſatis ſcio. an quia ius promouet, & lites intentat? vndeunde, de munere conſtat: & in eius æui vocibus nec Varro ſatis Latinos fontes indaget. Barbara multa ſunt, ab Italis aut Gallis inuecta: quod notare potuiſtis & in *Bedellis*, quos ſcitiùs alij putant dicere *Pedellos*. AVD. Alia etiam quæſtiuncula. recens ego à Batauis ſum: neque Rectoris ibi tam magna & mera poteſtas. Apud vos autem hoc ambigo. ſi ciuis cum Studioſo agat, aut contrà, quod forum aut iudex eſt? LIPS. Diſtinctè dicam. ſi ciuis agit, rei forum ſequitur, id eſt ad Rectorem venit: ſi ſtudioſus in ciuem, aliud huic rei tribunal repertum eſt, neque ad vrbanum aut ſæcularem magiſtratum itur. Eſt enim *Conſeruator* (nomen illi, quia iura noſtra tuetur & ſeruat:) qui tribunal ſuum habet, & Adſeſſorem iuris peritum, ad quem cauſſæ hæ tales conijciuntur & aguntur. Imò licet

ad

ad eum è totâ Brabantiâ euocare, etiam æs aut aliud debitum petere: magno ſtudioſorum commodo, qui domo ſe, aut certè opido, non mouent. Quid ſi aliquis non pareat? dices. Scito igitur Eccleſiaſticum hoc tribunal eſſe, & ideò telum aut fulmen *Excommunicationis* poſſe exſerere: quod item Rector. Qui autem & hoc contemnunt, in eos Iudex à ſæculo aduocatur. Singulare hoc ius eſt, & olim ac nuper (ego vſus ſum, & ſcio) latè obtinuit: nunc peruicaciâ opidorum, quæ ſuos tuentur, itemque remiſſione aut frigore noſtrorum, reſtringitur: & cauſſas alias non dico. Si tamen ſic pergitur, breui non niſi nomen & memoria eius erit. Huic muneri ſolet præfici aliquis Antiſtitum, & ferè *Abbas Gertrudanus*, qui in vrbe agit. Eſt & alius in Academiâ honos, ſuper illum *Conſeruatoris*, quem *Cancellarium* dicunt. Is iuriſdictione abſtinet, dumtaxat titulos & honores, exactis ſtudiorum ſpatijs, auctoritate Pontificiâ confert: dico *Magiſterij*, *Licentiæ*, *Doctoratus*, vt Academiarum mos nunc habet. Hoc munus vindicat *Præpoſitus Diui Petri*, & illo abſente *Decanus*: ac proximum à Rectore in conuentibus publicis locum tenet. Dixi regimen & capita: ſed *Senatum*, qui omnia adgubernat, quem appello? Quinque claſſes, ſiue vt loquimur *Facultates*: *Theologiæ*, *Iuris Canonici*, *Iuris Ciuilis*, *Medicinæ*, *Artiúmque*. In has Doctores omnes veniunt, adſciſcuntur & aliqui non doctores, vt prudentia aut vſus ab ijs ſuadent: in illam autem *Artium* præcipui è Magiſtris. Hæc & *Decanum* habet, ſeorſim in conſeſſibus honeſtandum. Hic Senatus Rectorem, vt dixi, creat: idem omnia moderatur & temperat, & *Re-*

ctor etſi nomen magnum, tamen potentiâ ferè vt Venetorum Dux eſt,& à Senatu ſuo pendet.

CAP. IV.

Halæ noſtræ, ſiue Scholæ publicæ: item Pædagogia, & Collegium trilingue.

HÆC adminiſtratio & regimen eſt Academiæ: quæ ſtudiorum ratio, fundamenta, aut adiumenta, dicam. Primùm, eſt publicus locus, vbi tres primariæ ſcientiæ docentur, *Theologia, Iuriſprudentia, Medicina:* prima, inferiùs; ſupernè duæ reliquæ; & ſunt auditoria in vniuerſum quinque. Ædificium vetus eſt, nec huic vſui primò ſtructum: ſtructum autem lanificibus, cùm ij in flore eſſent, anno ∞. CCC. XVII. quod duplex inſcriptio parietibus inſerta docet. Vocant *Halas*, vt ſolent iſta hominum aut mercium receptacula: liceret Latinè *Baſilicas* dixiſſe. Vt autem nunc vſus eſt, *Athenæum* appellemus; & huic rei, id eſt auditioni, præcipua membra adaptarunt. Scitis etiam me ibi docere, & Hiſtorias aut antiquitates explicare. Sed præter hunc locum, qui liberis auditionibus ſeruit (nemo enim adigitur) ſunt etiam *Pædagogia* quattuor, vbi ſtrictior diſciplina, & pueri vel adoleſcentes in primis artibus, atque ipsâ Philoſophiâ maximè, inſtituuntur. Egredi, aut abeſſe, ſine veniâ non fas: & pręceptores ius ſuum tenent, & tempus non temerè diſpenſant. Sunt ea quattuor, *Lilium, Falco, Caſtrum, Porcus:* ita enim nomina ab inſignibus ſuis habent. Denique tertius eſt locus, linguarum notitiæ deſtinatus, quem à re vocant *Collegium trilingue:*

linguæ: nam *Hebraica, Græca, Latina* illîc præceptores ſuos habet. Alio nomine *Buſlidianum* dicitur, nimirum ab auctore *Hieronymo Buſlidio*, Præpoſito Arienſi, gratioſo apud *Carolum Quintum* viro, & qui moriens opes ſuas in hos ſtudiorum vſus reliquit. Viros aliquot inſignes, & Profeſſores habuit: inter eos *Petrum Nannium*, qui alios poſt ſe, vt meum iudicium eſt, reliquit, & fortaſſe relinquet. At nunc iacent ibi omnia & ſilent: heu tempora, an & heu iudicia dicam? ſed refræno. AVD. Non ego, & publicum deſiderium votumque eſt, præſertim Græcæ linguæ. Quando habebimus? LIPS. Tempeſtiuitas exſpectanda eſt: tamen & ego eos qui præſunt hortor intendere, & illud Tertulliani ſeriò cogitare: *Litteraturam, inſtrumentum eſſe ad omnem vitam.* Vetus etiam verſiculus eſt, De Idolat.

Διπλῶν ὁρῶσιν οἱ μαθόντες γράμματα.
Qui litteras didicêre, bis tanto vident.

CAP. V.

Collegia alendæ iuuentuti, Theologiæ, Iuris, miſcella.

PERGAMVS. nam & aliud Collegiorum genus eſt, vbi non tam docetur, quàm alitur iuuentus, & ſubſidia ſtudiorum in certos annos habet. Pulchrum inuentum, & quod in Angliâ magnificè vſurpatur: neque credam in orbe terrarum ſimile eſſe, addam & fuiſſe. Magnæ illîc opes & vectigalia: verbo vobis dicam? vnum *Oxonienſe* collegium (rem inquiſiui) ſuperet vel decem noſtra. At nos plura, & ſparſa habemus: primumque

omnium inſtituit, quod *Theologorum* dicitur, *Ludouicus Rijckius*, vir hîc Patricius & Principis Quæſtor. Ipſe, inquam, inſtituit anno ∞. CCCC. XLII. ſed alij auxerunt, & fundamentis ab eo iactis, vt ſic dicam, ſuperſtruxerunt. Diuiſum eſt, & vt facilius regimen eſſet, alterum factum, quod *Paruum* appellant. Accepi *Beſſarionem* Cardinalem (ô magnum in Græcis virum!) hîc fuiſſe, & hoſpitio exceptum, memoriam ſui reliquiſſe, Biblia manuſcripta. Id fuit anno ∞. IↃ. XIII. cùm Legatus à S. Sede in Belgium eſſet. Eminet ijſdem Theologiæ ſtudijs dicatum, *Collegium Pontificium*, ab auctore *Hadriano Sexto*, poſteà Pontifice: ſed cùm cœpit, Decanus hîc in æde Diui Petri erat. Alij etiam auxerunt; & induſtriâ ac probitate Præſidum incrementa cepit, ac nunc capit. Alia ſunt, ſacrata ſacris etiam ſtudijs, ſed minora: & ſatis ſit in deſcriptione vrbis, breuiculò inſeruiſſe. At in iure primum fuiſſe opinor, quod *Diui Iuonis* titulo dedicarunt, & *Collegium Iuris* appellarunt. *Robertus à Lacu* præcipuus auctor, alijque deinde ſtudij eius Anteceſſores, anno ∞. CCCC. LXXXIII. Succeſſit *quadriennio* poſterius *S*^ctí^ *Donatiani*. quod nomen ita habet, quia primus auctor, *Antonius Haueron*, Præpoſitus eius ædis *Brugis* erat. Ille cœpit, & domum ac vectigalia aliqua dedit, ſed tenuiter: poſteà *Joannes Carondeletus*, Epiſcopus Panormitanus, apud Cęſarem gratioſus, reparauit, ornauit, auxit, ſic luculentè, vt meritò alter conditor habeatur. Eſt & tertium *VVinckelianum*, Iuri dicatum, etſi (quod mireris) à Doctore medico *Joanne VVinckelio*, anno ∞. IↃ. LII. Ab his exemplis alia ſucceſſerunt, aut & quædam præiuerunt: ſed longum

gum ſit referre, nec poſſim niſi referre. Duo tamen ſunt ædificijs conſpicua, *Sabaudianum*, & *Dalianum*: atque illud iuuentute etiam frequens ſatis eſt, & floret; hoc modicè, ſed ob ſplendorem Princeps ſibi in Palatium lêgit & huc veniens eò diuertit. Quid ſileo? nouum iſtud *Leodicenſe*? pecco. Etſi enim perfectum non eſt, tamen affectum, & ſurgit auſpiciis Ser[mi] ERNESTI BAVARI, magnanimi Principis, & litterarum velut parentis. Inter magna erit, ſumma manus ſi imponitur, & multam frugem SEMINARIVM hoc feret: vt imponatur voueo, & hanc quoque gloriam faueo Eburonum amicæ genti.

CAP. VI.

Vetus Academiarum ſpecimen in Oriente, itémque Aethiopiâ, Africâ, Nouo orbe.

DE Academiâ, mei iuuenes, alia non habeo quæ vtiliter dicam. AVD. At ego, quod quæram. Scire lubet, & ſæpè cupido fuit, an & antiquitùs in Græciâ aut Latio Academiarum iſte mos, & tali diſciplinâ atque exercitio habita iuuentus? LIPS. Fuit, & non fuit. Loca habuiſſe ſtudijs deſtinata, id verum eſt; talibus ſtudijs haud prorſus, neque hac item facie aut formâ. Longiùs repetam, & peregrinabor paulliſper, iucundâ recordatione, per orbem terræ. In Oriente, vnde omnia bona & pulchra, reperio Academiam in Iudæâ fuiſſe, quæ *Dabir* dicta, & priùs vocabatur *Cariatſépher*, id eſt *ciuitas litterarum*. Græca Biblia, Τὸ δὲ ὄνομα Δαβεὶς. ἦν πόλις γραμμάτων τὸ πρότερον. Sed & opidatim prætereà Scholas habebant, quas ſuo nomine *Batte Midras* vocabant

Ioſue cap. xv. & xxi.

bant (à peritis ſic accepi) inſtituendæ pueritiæ. In Ægypto olim *Saïs* & *Heliopolis* fuêre, & artium ibi doctores Sacerdotes. Homerus eò diſcendi cauſſà, Solon, Thales, Plato, alij iuerunt: & ſacræ litteræ palàm, *Moyſen inſtitutum omni diſciplinâ Ægyptiorum:* ergo loca fuêre, vbi docerentur. Inter quæ *Alexandria* poſtmodum eminuit, & iam à conditore illo cœpit. Multa exempla, ſed illuſtre de *Iulio Cæſare:* qui cùm poſt Pompeij necem eò veniſſet,

11. Ciuil. τὴν πόλιν περιιὼν, ait Appianus, τοῦ κάλλους ἐθαύμαζε, καὶ τῶν φιλοσόφων μετὰ τοῦ πλήθους ἑστὼς ἠκροᾶτο: *vrbem circumiens, mirabatur pulchritudinem, & ſtans inter plebem Philoſophos audiebat:* nempe in publicis auditorijs & gymnaſijs. Sacras etiam ibi litteras ab antiquo floruiſſe, Euſebius Cæſarienſis docet, vbi de *Pan-*

Lib. v. Eccleſ. Hiſt. *tæno. Docebat is,* inquit, *Alexandriæ,* ἐξ ἀρχαίου ἔθους τοῦ διδασκαλείου τῶν ἱερῶν λόγων παρ᾽ αὐτοῖς συνεστῶτος, ὃ καὶ παρ᾽ ἡμᾶς παρατείνεται: *cùm ex antiquo Schola illìc conſtituta eſſet ſacrarum litterarum, quæ & ad noſtra tempora peruênit.* Viguit & Medicina, ex Ammiano, & quidem eximiè: *adeò,* inquit, *vt pro omni experimento ſufficiat medico, ad commendandam artis auctoritatem, ſi Alexandriæ ſe dixerit eruditum.* Oſtendit idem ſcriptor, *in eâdem vrbe doctrinas varias ſemper floruiſſe:* donec *Aureliano* imperante ciuilibus diſſidijs concuſſa, *amiſit regionis maximam partem, quæ Bruchion appellatur, diuturnum præſtantium hominum domicilium.* Igitur is locus fuiſſe videtur, vbi auditoria, & domicilia doctorum: etſi mox reſurrexiſſe iterùm ſtudia oſtendit. Certè Gregorius Nazianzenus, ἐργαστήριον πάσης παιδείας, *officinam omnis doctrinæ,* appellat: & diu pòſt (id eſt ante an-

te annos CCCC. & quod excurrit) *Beniaminus* Iudæus ſcribit, *ſe extra vrbem ædificium vidiſſe magnum & ſpatioſum, quod fuiſſe dicebatur Ariſtotelis* GYMNASIVM, *Alexandri præceptoris: in quo* VIGINTI *ferè Scholæ ſunt, à* TOTIVS ORBIS *hominibus olim frequentatæ.* De Ariſtotele, remitto: reliqua veritatem habent. Iam in alio Oriente, item Scholæ. De *Indis*, certum eſt Brachmanas & Gymnoſophiſtas fuiſſe, & cœtus ſuos docendi diſcendique habuiſſe. Manent hodieque, & nomen ipſum *Brachmanum* durat. At in *Iaponiâ*, *Bonzij* ſunt: & ij magnos diſcentium cœtus in primarijs opidis habent, & legi, qui cum Pariſienſi aliquâ Academiâ componant. Quid in Africâ? omitto *Abyßinos*, quos qui nuper luſtrarunt, aiunt iuuentutem litteris & Philoſophiâ imbui, & nouo nobis more, ad Scholas ire in elephantis. Sed de viciniore *Africâ*, certum eſt olim ſtudia viguiſſe, & vel *Carthago* illa Romæ æmula dicet. Apuleius atque alij de eâ: ſed de ſuo etiam æuo Auguſtinus: *Duæ vrbes litterarum Latinarum artifices, Roma atque Carthago.* Iam diu pòſt lego, in Mauritaniâ *Al-manzorem* regem, ijs propagandis, in opido *Maroco* ſuperba ædificia inſtituiſſe: de quibus *Ioannes Leo* teſtis atque arbiter oculatus: *Templum* eſſe, *quo maius vix reperiatur in toto orbe: in cuius Porticu centum circiter librariorum officinas, itemq; alias totidem è regione fuiſſe. Præterea, Collegium ibi nobiliſſimum, in quo triginta Aulæ, ſiue Atria, & in medio vnum ampliſſimum: vbi legere publicè ſolent, dum vrbs ea, & ibi litteræ, florebant.* Sed hæc omnia perijſſe, vel certè vacua & ſine vſu, iam ſuo æuo (*Leonis Decimi* Pontificis) fuiſſe: & quod reliqui, *Feſſam* migraſſe. *In hac ipsâ Feßâ,*

ducentas ferè numerari Scholas,quarum quælibet formam habet ampliſsimæ Aulæ: & in ambitu diſpoſiti gradus, quibus pueri ceu ſedilibus vtuntur. Dicit præterea,& *publicas Scholas* eſſe, quas aliter tamen non deſcribit. Item, notabile : præmia fuiſſe etiam Poëtis. atque eos ſolere, certo anni tempore (quamdiu reges ex *Marinorum* familiâ imperarunt) in regiam venire, ibi carmen è loco eminentiore,præſente rege alijsque, vt in theatro recitare: & qui victor iudicatus eſſet,*equo inſigni donari, item ancillâ fœminâ,centum aureis,& veſte quâ rex indutus tum fuiſſet.Ceteris etiam omnibus,qui certaſſent,quinquaginta aureos adnumeratos.* Conſiderate, magnus ingeniorum honos & excitatio fuit : vbi in noſtro æuo aut orbe reperienda? Quid etiam?ad Nouum orbem ibo? Sanè ibi barbaries : ſed tamen apud Mexicanos lego, *Scholas in Templis fuiſſe; & ad eas, diuites præſertim nobiléſque, filios ſuos miſsitare ſolitos ab anno ætatis quinto: vbi à præceptoribus ſuis docebantur, coërcebantur, neque egredi fas erat. Et ad vſum iuuentutis huius, terræ & agri erant,è quibus fructus & annonam colligebant.*

Lupus Gomara.

Cap. VII.

Idem in Græciâ, Aſiâ, Jtaliâ, & Romæ.

Ad notiora, & propiora venio. Et de *Græciâ*, quis ambigit ? aut quis neſcit, acceptâ ab Orientalibus doctrinâ, non ibi ſolùm proſeminaſſe, ſed in Aſiam, Italiam,Galliam,Hiſpaniam,Siciliam propagaſſe?Ita res eſt: & vbicumque Græcanicæ coloniæ,cœtus ſtatim & exercitia doctrinæ. In ipsâ Græciæ *Bœotiâ*, vetuſtam Scholam

Iam reperio *Mycaleſsi :* quam Thucydides fuiſſe oſtendit Peloponneſiaco bello. Narrat vrbem eam ex improuiſo à Thracibus captam, & inter clades præcipuam fuiſſe, quòd ἐπιπεσόντες διδασκαλείῳ παίδων (ὅπερ μέγιστον ἦν αὐτόθι, καὶ ἄρτι ἔτυχον οἱ παῖδες ἐσεληλυθότες) κατέκοψαν πάντας: *incidentes in ludum litterarium (qui* MAXIMVS *ibi erat, & pueri etiam paullò antè ingreſsi) omnes interfecerunt.* Sed hanc & alias vetuſtate, opinor, certè celebritate & gloriâ, *Athenæ* ſuperarunt. de quibus Iuſtinus: *Litteræ ac facundia, & hic ciuilis ordo diſciplinæ, velut* TEMPLVM *Athenas habent*. Adeoque ſuper reliquam Græciam fuerunt, vt Philo ſcitè ſcripſerit: Ὅπερ ἐν ὀφθαλμῷ κόρη, ἐν ψυχῇ λογισμὸς, τοῦτ' ἐν Ἑλλάδι Ἀθῆναι: *Quod pupilla in oculo, in animâ mens ſiue ratio, hoc in Græciâ Athenæ*. Atque alius breuiter, Ἑλλάδος Ἑλλάδα, *Græciæ Græciam*, eas dixit. Hanc vltrà laudare aut deſcribere, ſit Soli lucem dare: fatum eius deplorandum eſt, quòd iamtum *Syneſij* tempore (ſub Arcadio & Honorio vixit) *nil niſi mellis ferè opifices illic agerent*, bonâ omni arte in exſilium pulsâ. Nunc autem vicus eſt, & pauculæ etiam domus. Poſt Athenas, *Rhodus* in famâ & frequentiâ maximè fuit: & celebres in Aſiâ vrbes, *Epheſus*, *Tarſus*, *Mitylenæ*, & quas longum ſit numerare. In Italiam venio, atque ibi ſtatim *Thurij* occurrunt. quorum legiſlator magnus ille *Charondas*, inter alia ſciuit, τῶν πολιτῶν τοὺς υἱεῖς ἅπαντας μανθάνειν τὰ γράμματα: *Ciuium* OMNES *filios diſcere litteras.* Et quia videbat fore, vt pauperes inopiâ fortaſſe non poſſent; amplius ſtatuit, *vt è publico ciuitatis ærario honoraria præceptoribus ſoluerentur*. Digna lectu, quæ in laudem eius inſtituti Diodorus pruden-

Lib. VII.

Epi. CXXXVI.

Diod. lib. XII.

ter adiungit. Occurrit in eâdem Italiâ *Heraclea, Metapontus*, & *Croto*; vbi Pythagoras etiam ille (ait Liuius) *cœtus habuit iuuenum, æmulantium ſtudia doctrinæ.* Iam in Italiâ interiore *Faliſci* fuerunt, & nota eorum Schola perfidiâ magiſtri, & generoſo Camilli facto. Nec longè *Gabij*: quò, vt ad publicum ludum, ablegatos Romulum & Remum Dionyſius ac Plutarchus faciunt, ibique *inſtitutos Græcanicis litteris, item muſicâ, & tractatione armorum*. Quid *Tuſculi*? Liuius apertè, in Dictatoris Romani ingreſſu, *ludos litterarum ſtrepuiſſe diſcentium vocibus*. Sed ipſa iam *Roma* me vocat, illæ Athenæ, vt ſic dicam, noſtri Occidentis. Ea enim vrbs, poſtquam ipſa litteras accepit, ſtatim vnà cum imperio diffudit & ſparſit in has omnes terras. Accepit autem paullò poſt Punicum primum bellum; cùm *L. Liuius poëta docere fabulas Romæ cœpit*: & ſub idem tempus *ludum aperire, ac mercede Grammaticam docere Sp. Caruilius, qui libertus Sp. Caruilij erat, eius qui primus Romæ ab vxore diuertit*. Ita palàm Plutarchus in Romanis Quæſtionibus, & Caruilij huius æuum (ex Agellio, Valerio, alijs) eſt quale iam dixi. Tamen Suetonius in hæc pugnare videtur: qui libello *De Grammaticis*, vbi in ætatem eorum inquirit, *Primus*, inquit, *quantum opinamur, Grammaticæ ſtudium in vrbem intulit Crates Mallotes, qui miſſus ad Senatum ab Attalo Rege, inter ſecundum ac tertium bellum Punicum, ſub ipſam Ennij mortem*. Pugnare, inquam: ſed *opinari ſe*, dicit, ſignificatque alios aliter tradidiſſe. Id quidem eius æuum *ſexaginta* ampliùs annis poſterius ſit: nec mihi perſuadeat Suetonius, cùm & *Næuius* fabulas diu antè dederit, & verſus ſcripſerit *Ennius*: & probabile,

Agellius lib XVII. Noct. cap. vlt.

bile,cùm fructus iam eſſent, inſtitutores, &,liceat, ita dicere, cultores fuiſſe. Minùs à priore ſententiâ *Licinius Porcius* abit,cuius hi verſus:

Punico bello ſecundo,Muſa pennato gradu,
Intulit ſe bellicoſam in Romuli gentem,feram.

Significat celeri paſſu, & velut curſu, Muſam & litteras tunc ingreſſas: & ita fuit. AVD. Quid ergo?non iamantè Romę ludos palàm Liuius agnoſcit,vbi de Virginiâ? *Virgini*,inquit,*venienti in forum(ibi namque in tabernis litterarum ludi erant) miniſter Decemuiri manum iniicit.* Lib. III.
Idem Dionyſius: & ſuprà,loca à te laudata. LIPS. Ludi fuêre,ſed litterarij, id eſt in quibus legere & ſcribere, nec vltrà,docebantur. Ij doctores,*Grammatiſtæ* Græcis dicuntur,nobis *Litteratores*:at *Grammatici* nomen honeſtius, & plura complectitur, & Poëtas atque Hiſtoricos illuſtrat & docet. Ij Latinè *Litterati* appellabantur. Qui ſtatim ſub bellum Punicum ſecundum Romæ ſic increuerunt,vt *temporibus quibuſdam* (verba Suetonij) *ſuper viginti Grammaticorum celebres Scholæ fuiſſe in vrbe tradantur.* Addit,*ne clariſſimos quidem viros abſtinuiſſe, quò minùs & ipſi aliquid de eâ arte ſcriberent.* Neq; longè pòſt *Rhetores* & *Philoſophi* Romæ: denique omne genus doctrinæ,quod ingenuum hominem deceret. AVD. Iterùm de Rhetoribus ambigo. nam in Chronico Euſebiano diſertè: *Primus Quinctilianus publicam Scholam Romæ,& ſalarium è fiſco accepit*:idque in ęuo Domitiani. LIPS. Quid velit Euſebius,non planè ſcio. ſi de *publicâ Scholâ*,id eſt in quâ publicè doceretur; errat, & Suetonius reuincit,qui de *Epidio Rhetore*:*Ludum docendi aperuit, docuitq; inter ceteros M. Antonium,& Auguſtum.*

Idem in pluribus alijs certum verumque eſt, publicè do-
cuiſſe: vel ipſum Suetonium in *claris Rhetoribus* vide. Sed
hoc opinor Euſebiũ voluiſſe, quòd publicè data ei Schola
fuerit, itemque ſalarium: at alij priuatim alibi ludum ape-
riebant, & mercedes à diſcipulis capiebant. Sanè *Veſpa-*
Cap. XVIII *ſianus* (vt idem Suetonius de illo) *primus è fiſco Latinis*
* Bis mille & quingentos Philipp. *Græcisq́; Rhetoribus annua* centena conſtituit.* Atque in-
ter iſtos primos, potuit Quinctilianus eſſe. Honorem qui-
dem *Iulius Cæſar* diu antè habuerat: ſed honorem. atque
Iul. cap. XLII. is (iterùm Suetonius) *omnes medicinam Romæ profeſſos,*
& liberalium artium doctores, ciuitate donauit. Ciuitate,
ſed non ſtipendio: obſeruate. Primus ergo Veſpaſianus,
ſed Rhetoribus: addidit *Philoſophos* M. Antoninus Pius,
& liberalitatẽ etiam per prouincias diffudit. *Rhetoribus &*
Philoſophis, ait Capitolinus, *per* OMNES PROVINCIAS,
& honores & ſalaria conſtituit. Quæ ſalaria prouincia-
lia (nam in vrbe Veſpaſiani ſtatutum fortaſſe tenuit) fuiſſe
* Nobis mille quingenti Philippici. *ſexcentos Rom. aureos*, ſiue Latinè efferendo, * *ſexagena*
ſeſtertia, obſeruauit doctiſſimus Caſaubonus è Tatiano.
qui philoſophos auaritię increpans, *tantum*, inquit, *à con-*
temptu opum abſunt, ὥστε παρὰ τοῦ Ῥωμαίων βασιλέως ἐτησίους
χρυσοῦς ἑξακοσίους λαμβάνειν τινάς: *vt à Romano Imperatore*
quidam illorum ad ſexcentos annuos aureos accipiant.
Quidam, neque opinor omnes: & Luciani notabilis locus
eſt, qui huc facit. In *Eunucho*, vbi Philoſophos ſolens ſu-
gillat, ait obijſſe diem aliquẽ ex Peripateticis doctoribus,
in cuius locum alij (inter eos eunuchus quidam) ſubroga-
ri contendebant. Nec immeritò, inquit. *nam ſtipendium*
grande ab Imperatore conſtitutum erat ſingulis Philoſo-
phorum generibus: & quod illud? *decem millia drachma-*
rum

rum in ſingulos annos. Ecce, minus illo quod è Tatiano dictum eſt: & ſunt hæc ſaltem Romano ſermone, * *quadragena ſeſtertia*. Variaſſe igitur videntur, & certum eſt: ſiue ab ingenio Principum, ſiue à meritis doctorum. Inter quos ſiquis excellens, longè amplius ſanè, ſed extra ordinem, capiebat. Tale de Eumenio, qui vel * *ſexcenta* videtur tuliſſe. Ipſe in *Oratione pro Scholis* profitetur, *ſalarium ſe accipere à liberaliſsimis* * *Principibus, in ſexcenis millibus nummûm*. Et ea dictio ac ſcriptio ter iteratur, in vetuſtis etiam libris. Cur diffidimus, aut reſcribimus? Laudat *liberalitatem* Principum: & ipſe antè in dignitate Palatinâ, & *Magiſter memoriæ* fuerat; atque extra ordinem electus Scholæ huic inſtaurandæ, cur non plus aliquid, imò largiter, acceperit? Alij tamen *ſexagena* hîc reſcribunt (quem dixi, Caſaubonus:) alij ad vnam donationem referunt, Eumenio ipſo (qui *Salarium* appellat) abnuente. Vtcumque hoc habuit, olim ijs honores & præmia: atq; illud ab *Hadriano* benigniſſimè, quòd *Doctores, qui profeſsioni ſuæ inhabiles videbãtur* (æuo, aut morbo) *ditatos honoratosq́; à profeſsione dimiſit*. O bonum factum! & cur non, vt militibus, emerita ſua ijs eſſent? Manſerunt ſtipendia iſta ad Symmachi æuum (*Valentiniani, Theodoſÿ, Arcadÿ* Principum:) cùm rebus labentibus, artiumque etiam contemptu, *Romanæ iuuentutis magiſtris*, inquit, *detracta ſunt ſubſidia ſollennis alimoniæ*. Quę tamen poſteà reſtituta dicas: certè ſub *Athalarico* Gothorum rege habuerunt, cuius pulcherrima & digna legi epiſtola eſt apud Caſſiodorũ, iubentis *ſine deductione ea ſolui, & ſemeſtribus etiam ſingulis*. O Gothos iam nõ barbaros! & alia multa laudabilia eorũ tunc legas.

* *Mille Philippici.*

* *Quindecim millia Philipp.*

* *Diocletiano & Maximiano.*

Sym. lib. v. epiſt. xxxiii.

Lib. ix. Epiſt. xxi.

CAP.

CAP. VIII.

Idem in Prouincijs, & Galliâ noſtrâ: nec tamen eadem planè cum hodiernis Scholis facies.

ROMÆ igitur iſta: ſed ſtatim à capite in reliqua imperij membra hæc cura & amor diffuſa. Ecce in Hiſpaniâ, quæ inter primas Prouinciarum adita & intrata Romanis, probabile *Emporijs, Rhodæ, & Sagunti* fortaſſe fuiſſe: quæ opida Græcanicæ originis, cur non inſtituta & artes habuerint Græcorum? Et vt non ibi, certè *Oſcæ* (quæ duplex fuit, in Tarraconenſi & Bæticâ: ſed hanc egò Bæticæ accipiam) *Oſcæ*, inquam, *ludum publicum Græcis Latinisq́; litteris Sertorius*, animóſus ille exſul, *aperuit, & Hiſpanorum eò nobiliſsimos liberos conduxit, inſtituit, ſtipendijs è publico datis.* Diſertè hoc factum eius Plutarchus prodit, & laudat: & quid facturum talem in pace autumemus, qui iſta in bello; quid Principem aut potentem, qui exſul concepit? At Suetonius etiam hanc diffuſionem indicat, & ad Galliam noſtram mox deriuat. *Tradunt*, inquit, *L. Apuleium* (Grammaticũ) *ab Eſicio Caluino Equite R. prædiuite quadringenis annuis conductum ad docendum. Nam in prouincias quoque Grammatica penetrauerat, ac nonnulli de notiſsimis doctoribus peregrè docuerunt, maximè in Galliâ Togatâ.* Apuleius ille inter primos Grammaticos fuit: & extra Romam alibi docuit, tali illâ mercede annuâ, quam corruptè legi tamen mihi eſt certum. Nam ſcribendum, *quadragenis:* qui ſunt ipſi *mille Philippéi* noſtri. Alia ſumma exorbitat, & eſt equeſtris cenſus. Addit Suetonius in *Galliâ*

liâ Togatâ increbuiſſe: & verum eſt, ac pulcherrima ibi ingenia, *Catullus, Liuius, Plinij, Tacitus* noſter: ſed & *Mediolanum* ſcholam ſtatim aperuit, quæ grandis pro vrbe fuit. ad quam & *Diuus Auguſtinus* docendi cauſsâ euocatum ſe ſcribit, *impertitâ etiam publicâ euectione*: id eſt, curſu publico, & eius gratuitâ exhibitione. Iam in eâdem Galliâ, quis neſcit *Maßiliam* fuiſſe, illam, vt Tacitus dixit, *ſtudiorum magiſtram*? Quis *Auguſtodunum*, *Burdigalam, Toloſam*? & locis pluribus *viguêre ſtudia*, ait Ammianus, *laudabilium doctrinarum, incohata per Bardos, & Eubages, & Druidas*. Ad quos vltimos, ait Cęſar, *magnus adoleſcentium numerus concurrebat, diſciplinæ cauſsâ*. En, veſtigia vbique Academiarum, & ab antiquo: ſed ſæuitiâ temporum deinde, & barbarie inuadente, oppreſſa. adeò, vt laus hæc *Carolo Magno* ab Annalium ſcriptoribus iure tribuatur, vindicaſſe doctrinam, & litteras in Galliam poſtliminio reduxiſſe. Ille enim *iterùm à Româ artis Grammaticæ, & Computatoriæ, magiſtros ſecum adduxit in Franciam, & vbique ſtudium litterarum expandere iuſsit. Ante ipſum enim Dominum regem Carolum, in Galliâ nullum ſtudium fuerat liberalium artium*. Ab illo auctore Pariſienſis Schola, mater pænè dicam ceterarum: etſi *Bononia* antiquior eſſe iactat, & à *Theodoſio* Imp. ſed documentis parùm certis. Et loquor iam de Scholis, in hunc ferè noſtrum morem diſpoſitis & ordinatis. Quæ, incredibile eſt, quàm in Germaniâ pullulauerint: & illa regio, in quâ, Taciti etiam ætate, *litterarum ſecreta viri pariter ac fœminæ ignorabant*, pænè plures nunc Academias habet, quàm reliqua Europa vniuerſa. Sed ſatis ſit huius excurſus: & de hodiernis Academijs

Lib. v. Confeſs. cap. XIII.

Annales à Pythæo editi.

mijs ſeorſim etiam libri exſtant: eos videte. AVD. Exſtant: ſed in formâ & ordine an veteres illæ cum noſtris conuenerint, nondum à te dictum. LIPS. Scilicet non conueniſſe. Illæ Eloquentiam & Philoſophiam, duo præcipua ſtudia habebant: noſtræ Theologiam, Iuriſprudentiam, Medicinam. Illę doctores nullos, niſi à re & merito, ſciebant: noſtræ titulos & honores ſuos habent, ac donant. In diſcipulis etiam, Collegia aut alimenta non video: niſi quòd obiter in *Alexandri Seueri* vitâ apud Lampridium, *Doctoribus auditoria & ſalaria decreuiſſe, & diſcipulos cum annonis, pauperum filios, modò ingenuos, dari iuſſit.* Sanè ibi annonæ & alimenta pauperum ſunt, ſed neſcio an poſt ipſum (imò non puto) diuturna. Fuit & Alexandriæ *Muſéum*, ſed viris doctis inſtitutum: pulcherrimo inuento, & quod dilaudaui ac propoſui in libello *De Bibliothecis.* At cui bono? pauci legunt, pauciores attendunt: & mihi credite, pigere incipit ſalutarium monitorum, quæ ſuggerimus, quo, niſi conſcientiæ, fructu? Neglectus optimarum rerum eſt, imò contemptus: & breui de bonis honeſtisque licebit dicere, *Vixerunt.*

CAP. IX.

Loca ſuburbana percurſa, & deſcripta, id eſt tria Cœnobia.

SED finem denique ſermoni noſtro imponamus: nec vos vltrà abducite, rogo quæſoque. Nam ad plenam vrbis deſcriptionem ſuburbana dumtaxat iſta loca pertinent, quæ breuiter perſtringam. Eſt *Bancum* illud, quod videtis ad læuam, ipſâ viâ Bruxellenſi, teli iactu à

portâ. Cœnobium Virginum eſt, Ordinis *D. Auguſtini:* & auctorem habet *Henricum Primum* Ducem, cuius Diploma aſſeruant, datum anno ∞. C. XCVII. Inter alia, peculiari inſtituto, obligantur iudicare de Leproſis: & iudicatos recipere atque alere, qui ſunt quidem Louanienſes aut Heuerleenſes. Numerum nouenarium non excedunt, & promiſit Dux *Ioannes* non vltrà ſe nominaturum, anno ∞. CCC C. XXII. Princeps nouus, priuſquam Louanium intret, illîc quoque iuramentum ad altare *S. Georgij* ſolet edere, & precibus nuncupatis, dono aliquo honeſtare. Vlteriùs *Fliederbeka* eſt, cui vicini iam fuimus, Ordinis *D. Benedicti* cœnobium, quod auctorem præfert *Godefridum Primum* Ducem anno ∞. C. XXV. Filia &, vt ſic dicam, tradux eſt Cœnobij *Affliginienſis*, quod è ſuis quoſdam miſit, formandæ diſciplinæ. Extremis his temporibus Oeconomiæ laude non floruit: acceſſit & à bellis calamitas, & denique (ruinas vidiſtis) pulcherrima ædificia pleraque & templum ipſum ignis abſumpſit. Nunc in vrbe agunt, & præeſt *Abbatis* titulo *Liebertus Chalonius*, vir genere nobili, idémque cum probitate & modeſtiâ induſtrius: & conatur attollere, Deus vires & ſucceſſum donet. Iam è regione hîc noſtri *Parcum* videtis, item cœnobium, ſed Ordinis Præmonſtratenſis. Nomen habet ab ipsâ re & vſu, quem antè prębuit. fuit enim *Viuarium*, ſiue locus clauſus, alendis feris ad delectationẽ Principum, quod genus *Parcos* noſtri & finitimi dicunt. *Godefridus* ille idem, quem dixi, paullò poſt *Fliederbekam* inſtituit, & locum hunc ad meliores vſus, vt ipſe in Diplomate fatetur, vertit. Vocauit eò ab vrbe Lauduno Galliæ *Præmonſtratenſes*, quorũ celebris

tunc pietas & eruditio: & operam egregiam Antuerpiæ, atque alibi, nauauerant contra *Tancelinum* hęreticũ, qui venena opinionum variè in Belgicâ ſpargebat. Factum anno ∞. C XXIX. quinque circiter annis ante mortem ipſius *Norberti, Magdaburgenſis Archiepiſcopi*, qui Ordinem hunc Præmonſtratenſem inſtituit, condiditque. Abbas primus fuit *Simon* quidam: & ab eo *viginti tres* alij, vſque ad *Theodericum Tuldelium*, qui mitræ geſtandæ ius à Pontifice impetrauit. Vir hic non pius ſolùm, ſed prudens fuiſſe legitur, multa in amplificationem loci feciſſe: atque idem carus *Carolo Audaci*, & mox *Maximiliano Auſtrio*, Principibus noſtris, & conſilijs eorum mixtus. Succeſsêre alij ad hoc æui circiter triginta: & plerique omnes, diuino quodam beneficio, laudabiles, legum & diſciplinæ tenaces, in œconomiâ etiam boni. Præeſt nunc *Ioannes Drutius*, ab ijſdem alijsque laudibus æſtimandus. Amœnus hic locus eſt, ſiluâ, piſcinis, riuo, pratis delectabilis: & ſtudioſos ſæpè ad ſe trahit.

CAP. X.

Heuerléa breuiter laudata, & luſtrata.

SED quàm magis *Heuerléa* iſta, quæ nunc ſe aperit, & pergentibus pulchrâ facie occurrit? O videam, & fruar te, noſtræ deliciæ! ô inſiſtamus, & fixo pede atque oculo, pænè dicam oſculo, libemus! Hæc eſt *Heuerléa* olim dicta, *Heuriam* nunc compendio vel mutilatione appellant: & *Dominium* ſiue Toparchia, non *Baronatus*, vt nunc titulus eſt, fuit. Sed potens ſatis Dominium, & *Berthemium, Eegenhouiam, Siluam-Merdaliam, Altam-*

tam-Heuerléam, aliaque finitima, ad ipſas vrbis portas habuit ſubiecta. Domini ſe inſcribebant, *Cubicularios Ducis Brabantiæ:* habuitque veteri ſtemmate & propagine proprios ſuos, vſque ad *Ranzonem Grauium*, *Henrici* generum; quo defuncto, emit *Antonius Croyus*, inter prudentes & opulentos Principes cenſendus, & qui magnâ apud *Philippum Burgundum* gratiâ, valdè familiæ ſuæ decus ſtabiliuit vel auxit. Ille enim & *Comitatum Bellimontanum*, cum opido; item *Ceruiam*, egregia ſanè membra, adiunxit. Obijt ipſe anno ∞.CCCC.LXXVII. At in *Baronatum* Heuerléa poſteà tranſijt, cùm *Philippus Croyus* primus *Dux Areſcotanus* eſt inſtitutus. Sed prima igitur emptio ab *Antonio*, ornatus & cultus deinde, à *Guilielmo Croyo:* quod clarum apud nos nomen eſſe ſcitis, & meritis ſuis illuſtre. Ille eſt, qui pro *Carolo Quinto*, poſteà Auguſto, in ſacro fonte ſpopondit; ille, qui eiuſdem iuuentę rector & moderator datus; ille, qui Hiſpanijs pręfuit; ille, qui pace & bello omnia apud magnum hunc Cæſarem fuit. Prudentiâ & virtute inſignis, ſed & felicitate notabilis, quòd ad extremum vitæ æquabili gratiâ vel auctoritate viguit: neque vel alienus liuor, aut Principis frigus, minuit vel detraxit. Itaque magnas opes vel relictas à maioribus, vel partas à ſe habuit: ſed neque ijs, neque potentiâ, niſi in publicum bonum vel ornatum vſus, hîc atque alibi egregia monumenta reliquit, alter *M. Agrippa*, vt cum adſimili viro componam. Cùm enim liberos non haberet, etſi in iuuenili & nobili cõiugio *Mariæ Magdalenæ Hamaliæ*; multa ſibi ſuiſque ſtruxit, plura Deo, & in vſum religionis aut ſacrorum. Alia nunc omitto, ſed ab eo ecce pulcherrima hæc Arx, etſi opere


 (mors

(mors enim interuênit) imperfecto: ab eo templum & cœnobium hoc amplum Cęleſtinorum, quod vxor perfecit. Nam obijt, dum curis publicis intendit, in Germaniæ *VVormatiâ*, menſe Maio, anno ∞. IↃ. XXI. cuius defuncti corpus relatum, * *Areſcoti* primò ſepultum eſt, mox in hoc templo, chori medio, vbi & monumentum ſuperbum & titulos eſt videre. In latere etiam ad parietem, veram eius in tabellâ effigiem. Neque defuncto amorem & honorem *Carolus* noſter non exhibuit: imò ipſe exſequijs interfuit, & raro in Cæſaribus exemplo, funus deduxit & honeſtauit. Ille igitur auctor præcipuorum operum: ſed ecce Ill^mus & Excell^mus qui nunc præeſt, *Carolus* primus *Dux Croyus*, & quartus *Areſchotanus*, immane quantum auxit & ornauit. Deus bone, quot ille opera ſtruxit, quæ apparent, & non apparent? multa enim terrâ conduntur: & valles ſuſtulit, & montes deduxit; & quidquid hîc viarum, arborum, ſepium, fontium, viridariorum, hortorum eſt, illi auctori inſcribendum. Omitto ædificia quę fecit, cœpit, aut concepit: quibus perfectis, credite, non erit in Europâ prætorium quod iure ſe anteponat. Quò maximè facit facies ipſa loci, à Deo & naturâ ſic amœna. Ecce inter modicè decliues colles Arx iacet; flumen Dilia prætercurrit à fronte; à tergo *Fura* riuus; tum prata, agri, ſiluæ, pulcherrimo adſpectu recreant animum & diffundunt. Quid fontes, vias, & manu facta, aut facienda dicam? Quin videte in hac Tabulâ & diſcite: quam ipſe ille Princeps delineari iuſſit; & eſt expreſſa tota *Heuerléa*, qualis eſt, aut qualem mente deformauit. Videte.

* Quem locum in *Marchionatum* attolli curauerat.

Inſerenda hîc Tabula HEVERLEÆ.

Satis



1. Porta opidi, quæ Heuerleënſis dicitur, quia huc ducit.

2. Porta noua, quę Baronatum Heuerléæ à ditione Louanienſi ſeparat.

3. Pulcherrima Via, quæ ab ipſo opido, recto limite, aduſque ſiluulam & fontium receptacula, ſiue caſtellum aquarum, ducit. Longa eſt paullò minùs mille paſſus, lata pedes XL. ad libellam æquabilis, & inter montes aut colles, altos alibi ad viginti pedes, depreſſa & complanata. Margines ſepibus viuis clauduntur, in parte muris: tilijs arboribus adſitis vtrimque obumbratur. Egregium, & regium opus, vt verbo dicamus.

4. Parcum ſiue Viuarium, quod feris eſt deſtinatum.

5. Via, Wauriam municipium verſus.

6. Riuus, qui à Parcenſi Cœnobio in Diliam manat.

7. Piſcinæ, numero ſeptem, ſuaui aſpectu & opportuno ſitu, inter decliues agros, & veſtitos arboretis colles.

8. Silua Heuerleënſis, magna, venatibus apta.

9. Domus & receptaculum venatorum.

10. Area ſubiecta, itemque riuus & piſcinæ.

11. Silua Merdalienſis, lata, diffuſa.

12. Dilia flumen.

13. Prata adſita.

14. Fura riuus, cuius curſum in præcipuâ parte opus & manus direxit: eumdem per prata deriuauit, piſcibus aut piſciculis receptaculum & cuſtodiam.

15. Agri arui, & prata.

16. Hortus pomorum.

17. Limes ad flumen, nucetis alibi conſitus.

18. Templum Parochiale Heuerléæ, antiquum.

19. Agri arui.

20. Viuarium cuniculis aut lepuſculis, itemq; Columbarium.

21. Domus in vſum nobilium domeſticorum, itemque aduentorum.

22. Via, quæ ad Siluam Heuerleënſem tendit.

23. Area ante Equile.

24. Ipſum Equile, & area interior.

25. Area ante Arcem, lata & pulcherrima, vtrimque arboribus, ambulacris & xyſtis clauſa.

26. Tiliæ arbores diſpoſitæ.

27. Hortus prunorum, perſicorum, & id genus.

28. Hortus florum cum ſuis flexibus & Labyrinthis.

29. Fons, qui altè ſubſiliés marmoreo labro duplici excipitur.

30. Pergulæ, topiario opere, grandes: occultæ aquæ aut ſiphones in ijs, qui ingredientes fallunt & inundant: monticuli item ſiue rupes è topho, ſilice, teſtis conchiſque marinis, mirandâ arte. Vertebrâ motâ, molæ molunt, auiculæ cantant, aqua adſtantes ſpargit: alia, cum oblectatione miranda.

31. Fons publici vſus.

32. Hortus ceraſorum, varij generis.

33. Via arboribus limitata, ad Cœnobium.

34. Hortus holerum, & herbarum edulium.

35. Fons in eo item è marmore, & tali vaſto labro.

36. Pergulæ, Labyrinthus, & fons.

37. Via & arbores adſitæ, iuxta flumen.

38. Idem ante Cœnobium.

39. Templum, & cœnobij multiplex ædificium: in quo vigintiquattuor religioſos eſſe oporteat, ex lege & ſcito teſtatoris: ſed iniuria temporum, itemque hominum incuria, diminuerunt.

40. Hortus religioſorum.

41. Area Cœnobij.

42. Collegium, quod deſtinatum, vt parua Academia, Lectionibus aut diſſertationibus, in gratiam Principis & aduentorum.

43. Hortus Cœnobij.

44. Aula inferior Cœnobij, & piſcinæ.

45. Hortus pirorum Cœnobij.

46. Agri arui.

47. Prata.

48. Agri arui.

49. Parcum, ſiue locus clauſus in ſiluâ, ad feras.

50. Arboreta, fons primarius & ſcaturigo, item piſcinæ.

51. Arx ipſa, domicilium Principis: ſuperbum opus, ſi perfectum.

52. Fons in eâ pulcherrimus, altè ſaliens, & labris marmoreis exceptus; ſtatuis ornatus.

53. Foſſæ circum arcem, latæ, profundæ, nitidâ aquâ plenæ.

54. Hortus voluptatis.

55. Molendinum duplex: frumentis frangendis, & ſecandis lignis.

56. Venatorum domus, & Falconariorum.

57. Area ponè Arcem.

58. Prata.

59. Foſſæ minores, vel Elices è riuo Furâ.

60. Viæ & adſitæ arbores, itemque ſepes.

61. Agri arui.

62. Communes agri.

63. Via, quæ Bancum cœnobium ducit.

64. Ipſum Bancum.

65. Via regia, quâ Bruxellam itur veniturque.

66. Porta Bruxellenſis.

* Quem
locum in
Marchio
natum at
tolli cura
uerat.

Satis vidiſtis, imò non ſatis (quis enim faſtidiat?) locum amœnitati & Muſis factum. Has addo, quia ipſe Ill^mus Princeps impendia ſua & curas eò confert. Deus donet perficere, donet ipſum & ex eo poſteros frui. En & Epigrammatium quod olim luſi

IN HEVERLEAM.

MÆSTA ô Belgica noſtra, tolle vultus,
Tolle, & lumine lætiore luſtra
Magni PRINCIPIS *hoc opus, ſacratum*
MVSIS ET VENERI, *& venuſtiorum*
Quidquid eſt hominum. ſuperba gaude
His adaucta Palatijs & Hortis,
Hiſce Fontibus, hiſce & Arboretis,
Xyſtis, Limitibúſque, & Ambulacris.
O diſpar facies vetuſtiori!
Antè ſcabra loca hæc, & abſque cultu
Horrida, ardua, iniqua, ſabuloſa:
Nunc quàm ſplendida, quàm polita rident?
Ades GRÆCIA *tu vetus, vetúſque*
Ades ROMA: *mea, ecce,* BELGICA *audet*
Se conferre, an & auſit anteferre?

Sed iam pedem in portam ponimus: benè eſt, venite rectà ad ædes meas, prandebimus vnà, & miſcebimus alios ſermones. Quid ſubducitis? tu, inquam, *Rubeni*, tu *Santene*, tu *Vvvene*, tu *Del-Plani.*

Lubet

Lubet ſubtexere hunc SCAZONTEM, quem ſuper inclinatione Vrbis ſcripſi.

LOVANIVM loquitur.

VRBS vrbium fuiſſe glorior quondam,
Lumen decuſq; Belgicæ, & caput regni
Quod à Lothario inclytum trahit nomen.
Quàm lata muris, & frequens fui tectis?
Quàm denſa ciue? ſicut æther hic ſtellis.
Nam multi honeſti & nobiles ſuam ſedem
Iſtìc habere, multa plebs ſuam ſedem.
Vulgus Mineruæ ſacrum & æmulum, lanam
Tractabat & texebat, exteris mercem.
Quid nobiles? ferocis ij magis Martis
Pulli audiebant, bella & arma poſcebant.
Meus ille ciuis (credet hoc ſequens æuum?)
Domi foriſq; claritudinem & nomen
A Marte peperit: ille adoreas crebras
Eques pedeſq; patriæ tulit terræ.
Germanus hunc miratus, acer & Gallus,
Pugnax ſimul Britannus. & quid hæc iacto?
Hunc Aſia vidit terra, vidit Aegyptus,
Et axe vidit altero ferox Liuo,
Itemq; Lithuanus, & Scytha, & Moſcus.
Sunt vera, & hæc fuiſſe glorior quondam;
Sed heu, fuiſſe: iam quid eſſe me dicam?
Ludibrium ſtatus prioris & fati,

Vmbram-

Vmbramq́; ſomniumq́; floris antiqui.
Huc me redegit contumacia, & fœda
Seditio, ab impotente plebe concîta
Semel iterumq́;. quod luit quidem magno
Suo ipſa damno, pulſa, cæſa, & afflicta:
Sed & ego ſenſi. ſolitudo nam vaſta
Mox inſecuta: quam fugare dum Princeps
Parat Ioannes, *nobile hîc Athenæum*
Inſtituit: & res hæc habere ſucceſſum
Iam cœperat, iam cœperamq́; florere,
Cùm ciuica, ecce, bella, triſtia heu bella,
Iterùm dederunt infrequentiam priſcam.
Heu fata rerum! abite, & alta ſpirate:
En illa cecidi ego alta, nec caput tollo
Lumen decusq́; Belgicæ, & caput quondam.

INDEX CAPITVM
LIBRI PRIMI.

OCCASIO *ſermonis, & in rem præparatio.* Caput I. *Paginâ* 1.
De æuo & nomine Louanij, reiectæ opinationes leues, aut fabellæ. Cap. II. 4
Conditus opidi ad Normannica tempora relatus: & de ijs igitur prædictum, & immani tunc vaſtitate. Cap. III. 7
Louanij Normanni fuerunt, ſederunt, & graui ibi prœlio attriti, aut deleti. Cap. IIII. 9
Diei eius lætitia, & nunc etiam memoria. Initium interioris opidi, & poſteà portarum è lapide, ac murorum. Cap. V. 14
De arce ſiue Burgo, non videri perantiquam: nec niſi Comitum domicilium fuiſſe. Cap. VI. 18
Opidi exterioris initium, mœnium operoſitas & magnitudo. Cap. VII. 20
Nomen Louanij paullò vetuſtius, itemque Comitum, qui huic loco fuerunt. Aliquid de Lotharingiâ præmiſſum. Cap. VIII. 22
Reges & mox Duces Lotharingiæ, itemque Archiduces: Comites noſtri in hac parte, & ſtirpe. Cap. IX. 25
Comites hîc perpetui: & de Carolo Duce dictum, à quo noſtra magnitudo. Cap. X. 28
Lambertus Comes, alijque ex ordine, ad Godefridum primum Ducem. Cap. XI. 31
De Marchionatu Rienſi, quis ille, & quãdo acceſſerit. Cap. XII. 37
Idem in Brabantiâ quæſitum: qualis, & vbi ea? Cap. XIII. 39

LIBRI SECVNDI.

Dignitas Ducum Brabantiæ, atque opidi Louanij: Cuius nomen in titulis præualuit. Eaipſa caput Lotharingiæ. Cap. I. 44
Frequentia olim Louanij, & incolentium mira multitudo. Cãp. II. 47
Nobilitatem multam fuiſſe, in ſeptem familias diuiſam: eiuſque origo quæſita. Cap. III. 49
De hominibus S. Petri, qui item nobilitatis ius habent. Origo & honores. Cap. IIII. 51
Plebs olim in militiâ: & hoc fine exercitia, & Gildæ. Tum de Lanificio. Cap. V. 53
Opes Louanienſium, vt illo æuo, notabiles: & pauca exempla. Cap. VI. 55
Pietas & Probitas Louaniẽſium. Cap. VII. 58
Facta militaria eorum, & expeditiones pro religione. Virtus Guilielmi Rhodij. Cap. VIII. 59
Facta alia militaria, & virtus in præcipuis

præcipuis prælijs. Cap. IX. 63
Labes vrbis, & in eâ ſeditiones. Prima leuior, ſecunda grauiſſima, Couterelliana: eaque accuratè deſcripta. Cap. X. 68
Seditio tertia, & diro facinore horrenda. Cap. XI. 74
Seditio quarta, & vltima, cũ motu minisque magis quàm præſenti noxâ. Cap. XII. 78
De arce Keſſelſteiniâ aliquid: tum Eiconiſmus vrbis. Cap. XIII. 79
De incendijs in hac vrbe. tum de æde D. Petri, eius Canonicis, & Præpoſito. Denique de turre. Cap. XIV. 81
Reliquæ Parochiæ, & earum æuum percurſum: & ſiquid notandum. Cap. XV. 83
Virorum Cœnobia. Cap. XVI. 86
Fæminarum Cœnobia, aut cœtus. Cap. XVII. 88
Profana aliquot loca. Cap. XVIII. 90

LIBRI TERTII.

Initium Louanienſis Academiæ, & hîc conditæ cauſſa. Cap. I. 92
Martinus Quintus approbauit. Natalis Academiæ, & Lectionum. Cap. II. 95
Regimen Academiæ, Rector, Conſeruator, Promotor, Senatus. obiter & de Cancellario. Cap. III. 97
Halæ noſtræ, ſiue Scholæ publicæ: item Pædagogia, & Collegium trilingue. Cap. IV. 100
Collegia alendæ iuuentuti, Theologiæ, Juris, miſcella. Cap. V. 101
Vetus Academiarum ſpecimen in Oriente, itemque Æthiopiâ, Africâ, Nouo orbe. Cap. VI. 103
Idem in Græciâ, Aſiâ, Jtaliâ, & Romæ. Cap. VII. 106
Idem in prouincijs, & Galliâ noſtrâ: nec tamen eadem planè cum hodiernis Scholis facies. Cap. VIII. 112
Loca ſuburbana percurſa, & deſcripta, id eſt tria Cœnobia. Cap. IX. 114
Heuerléa breuiter laudata, & luſtrata. Cap. X. 116

APPROBATIO.

Hoc Iuſti Lipſij Hiſtoriographi ac Profeſſoris Regij de Louanio ſcriptum ſi emittatur in lucem, poſterioris æui hiſtorijs multam adferet lucem. Datum Louanij, 28. Septemb. 1605.

Guilielmus Fabricius Nouiomagus, Apoſtolicus & Archiducalis librorum Cenſor.

PRIVILEGIVM CÆSAREVM.

RVDOLPHVS SECVNDVS diuina fauente clementia electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Wirtembergæ, &c. Comes Tirolis, &c. Noſtro & Sacri Imperij fideli dilecto IVSTO LIPSIO gratiam noſtram Cæſaream. Poſtquàm inter alia, quę DEVS immortalis hominibus liberali manu dedit dona, illuſtria inprimis illa & quaſi diuinæ ſunt, quæ in litteris liberalibusque diſciplinis conſiſtunt, quibus ſcilicet homines non tantùm ab animalibus ceteris rationis expertibus, ſed à rudi etiam & imperito hominum vulgo ita diſtinguuntur, vt tanquam Dij quidam ſplendeſcere in terris videantur: rem ſanè præclaram ſeque dignam illi præſtant, qui diligentem iis ipſis in litteris ac diſciplinis operam ponunt; præclariſſimam vero & Reipub. vtiliſſimam, qui eas ita excolunt, vt aliorum menti docendo, ſcribendo lumina præferant, eoſque ex ignorantiæ tenebris quaſi manu educant. Quos excitare, quos amare atque animare, ad dignitatis noſtræ munus, ad quod Diuino vocati beneficio conceſſuque ſumus, inprimis pertinere exiſtimamus. Cùm itaque ab iis, quorum nobis ſpectata fides, quique iudicare de Litteris poſſint, acceperimus, inſignes te animi ingeniique tui dotes tibi à natura inſitas à primis temporibus ætatis tuæ ita litterarum ac diſciplinarum ſtudiis excoluiſſe atque exornaſſe, vt olim iuuenilibus adhuc annis præclara floreſcentis minimeque vulgaris eruditionis ſpecimina præbueris, dum obſcura in antiquis ſcriptoribus loca, quæ quædam tanquam luſtra erant, illuſtraſti, quæque in iis iniuria temporum deprauata & corrupta fuerunt, reſtituiſti, dum vetuſta Latinæ antiquitatis rudera in nouam ſubinde ſtructuram ſingulari artificio eleganter conuertiſti: ad exquiſitam adeò & raram doctrinam, quæ magnam de te apud doctos quoſque viros opinionem excitarit, perueniſſe, eamque variis abs te libris acri & graui cum iudicio ſcriptis atque in lucem editis oſtendiſſe, vt in eo quod tam feliciter tractes ſcriptionis genere paucos tibi pares hodie reperire ſit: iam verò matura te ætate virum, viro magis magisque digna, & viris doctis grata ac Reipub. vtilia ſcribere, quæque à primis illis Romanis olim auctoribus ſcripta fuerunt, à mendis purgare, & lectiſſimos quoſque ex Muſarum hortis, in quibus aſſiduè verſeris, flores colligere, concinnare, quibus Lectores mirifice recrees, & eorum pectus ad prudentiam probitatemque informes: haudquaquam prætermittere voluimus, quin Reipub. ad quam hæc abs te ornamenta conferuntur, cauſa, Cæſareo té noſtro elogio decorandum, & quamuis per te ſatis ipſe animatus ſis, animandum magis patrocinioque noſtro defendendum pro benigna noſtra in te ſuſciperemus voluntate. Quoniam verò lucubrationibus atque operibus tuis in lucem edendis, peculiárem te eligere velle Typographum, accepimus, Diplomate hoc noſtro priuilegioque te & Typographum tuum aduerſus quorumcumque fraudē, qui lucri cauſa, quod fieri ſolet, eadem excudere aut typis imitari fortè velint, munitos cupimus. Quamobrem pro auctoritate noſtra Cæſarea decernimus, ſtatuimus, vetamusque, ne quis Typographorum, Bibliopolarum,

aut

aut aliorum, qui librariam negotiationem exercent, eos libros, quos tu editurus es, quocunque modo, charactere, aut forma, ſiue integros, ſiue aliquam eorum partem typis imitari, edere, excudere, aut venundare intra ſacri Romani Imperij, Regnorumq; ac Dominiorum noſtrorum hereditariorum fines, triginta annis proximis à primo editionis die computandis, abſque tuo tuorúmve heredum conſenſu audeat: Hac autem lege addita, vti tria vt minimùm cuiuſque libri exemplaria, quemadmodum moris eſt, ad Imperialem noſtram Cancellariam mittantur. Si quis verò edictum hoc noſtrum tranſgredi, violare, aut contemnere deprehenſus fuerit, eum non ſolùm eiuſmodi libris, tibi, heredibúſve tuis, auxilio Magiſtratus, vbicunq. reperti fuerint, vendicandis, priuari, ſed triginta etiam Marcharum auri puri mulcta, cuius ſemiſſis quidem Fiſci noſtri Procuratori, fraudis vindici; alter verò ſemiſſis, tibi heredibúſve tuis pendatur, puniri volumus. Mandantes vniuerſis & ſingulis noſtris & ſacri Romani Imperij ſubditis & fidelibus dilectis, tam Eccleſiaſticis quàm Politicis, cuiuſcumque ſtatus, gradus aut ordinis extiterint, præſertim verò iis, qui in Magiſtratu conſtituti, vel ſuo vel ſuperiorum ſuorum loco aut nomine, ius dicunt, iuſtitiámve exercent, ne quemquam hoc Priuilegium noſtrum impunè violare, ſpernere aut negligere patiantur: Sed, ſi quos contumaces compererint, conſtituta à nobis mulcta, eos puniri & quibuſcumque modis coërceri curent, ni & ipſimet grauiſſimam noſtram in ſe conuertere indignationem velint. Id quod hoc Diplomate, manu noſtra ſubſcripto, & Cæſarei noſtri ſigilli impreſſione munito, confirmamus. Datum in arce noſtra Regia Pragæ, die prima menſis Auguſti, Anno Domini Milleſimo, Quingenteſimo, Nonageſimo ſecundo: Regnorum noſtrorum Romani decimo ſeptimo, Hungarici vigeſimo, & Bohemici itidem decimo ſeptimo.

Subſign.

RVDOLPHVS.

Iacobus Curtius à Senfftenaw.

Ad mandatum ſacræ Cæſareæ M^tis proprium.

Io. Baruitius.

Additum ſigillum Cæſ. M^tis in cerâ rubrâ.

Svmma Privilegii Regis Catholici.

PHILIPPVS *Dei gratia Hiſpaniarum, &c. Rex Catholicus, diplomate ſuo ſanxit, nequis,* IVSTI LIPSI *Hiſtoriarum in alma Vniuerſitate Louanienſi Profeſſoris, & item Hiſtoriographi ſui libros quoſcumque, à Cenſoribus legitimis approbatos, præter ipſius, heredúmve eius, voluntatem, intra triginta annos à prima ſingulorum librorum editione computandos imprimat, aut alibi terrarum impreſſos, in has Inferioris Germaniæ ditiones importet, venaléſve habeat. Qui ſecùs faxit, præter librorum confiſcationem, triginta marcharum auri puri illatione mulctabitur. Vti latiùs patet in litteris, datis Bruxellæ,* XIV. *Febr.* M. D. XCVII.

Signat.

Verreycken.

Svmma Privilegii Regis Christianissimi.

HENRICVS *Dei gratia Galliarum & Nauarræ Rex Chriſtianiſſimus, ſingulari priuilegio ſanxit, nequis per vniuerſos Regnorum ſuorum fines,* IVSTI LIPSI, *quos vel hactenus edidit, vel in poſterum editurus eſt libros, excudere intra decennium præter voluntatem ipſius poſſit. Qui ſecùs faxit, præter librorum confiſcationem, ter mille florenorum illatione mulctabitur; vti latiùs patet in litteris, datis Pariſiis,* XIII. *Iulij,* M. DC. V.

Signat.

Perrochel.

TIbi IOANNES MORETE, pro amicitiâ quæ mihi cum Plantino (heu, quondam meo) & Plantinianis eſt ac fuit, tibi, inquam, permitto, vti hos meos de OPIDO ET ACADEMIA LOVANIENSI Libros tres typis tuis excudas ac diuulges. Ne quis alibi alius præter te, cupio ſiue iubeo, ex lege quam magnus Cæſar & Reges dixerunt.

Iuſtus Lipſius.

LABORE. ET. CONSTANTIA.

Calumniae Imago
ex Luciano

p. 224-25

Contributors to Iusti Lipsii ...
... Fama postuma.

1. Dedication to Dionysius Villerius
by Balthasar Moretus

Page

A. I. Woverius
3 E. Pierssenaeus
7 B. Gilbert. Rollianus

13 C. Iacobus Bengauitius

22 E Janus Lernutius (see p. 115)

26 F. Maximilianus Vriendtius

28 F. Adrianus Florentius.

31. G. Hubertus Audeiantius

35 H Simon Briconius Polonus
(written in Naples!)
38 I Balth. Moretus

41. K Michael Groenewegken

43 L Philippus Rubenius, Doctori suo M.P.

47 M. Ludovicus Lorinus

51. Gangerius Rivius.

52 Joannes Bleniwart

54 H Epigrammata
55 P. Pantinus, Io. Bochius, Fr. Sweertius
c 56.
also p. 74 (?)

M. Verentius
[illegible] Regius (also p. 68)
Th. Seghetus Britannus
Fr. Junianus Gandavensis
62 C. Rivius
Rich. Stanihurstus, Hibernus Dublinensis

63 Erycius Puteanus

66 Laurentius Beyerlinck (also p. 74)

71 ff Greek Epitaphia

105. Vita Iusti Lipsii,
Aubertus Miraeus
Canonicus et Bibliothecarius ~~Bruxellensis~~
Antwerpiensis

p. 120: he was adv. in illustrations of)
Saturnalium libro — De gladiatoribus

"[illegible] Otonis Vaenii, nostratium
pictorum facile principis, manu ac penicillo
adiutus." (See also p 124; O.V. as one of his friends
also in De Amphitheatro?)

p. 123. Lipsius' letter to Martin Delrio —
about his return to Catholicism.

p. 126 Otto Vaenius illustrator !!

p 129 Nic. Faber!

p. 182-3 Philopoemen

"the last of the Greeks"-
so Lipsius
"the last of the Romans"

Feb. 1607 (approved)
(Gangericus Rivius)
(written 1606)

Binding by Deanna Held